




1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE


A 3 9015 00391 291 5
University of Michigan – BUHR


1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE



Genovesi

ANTONII GENUENSIS

In Regia Neapolitana Academia primum Ethices, postea Œconomices Professoris

DISCIPLINARUM METAPHYSICARUM ELEMENTA,

MATHEMATICUM IN MOREM ADORNATA.

EDITIO NOVISSIMA,

Ab ipso Auctore, rejectis omnibus anterioribus Editionibus, & tanquam non suis reputatis, omnino reformata, perpetuis additionibus locupletata,

ET NUNC PRIMUM IN QUINQUE TOMOS DIVISA.

TOMUS TERTIUS.



BASSANI, MDCCLXXIX.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

PHILOSOPHO LECTORI

P. S.



UÆ erant hic præfanda post hanc tu pagellam ex veteribus editionibus habes. Diutius te morari nolo, nec tibi fastidium creare. Itaque quid hoc codicillo velim paucis accipe. Superioribus duodus opusculis τα μετα τα φυσικα, idest ea, quæ longe sunt a rebus humanis semota (audax facinus!) explicare studuimus. Sæpe in iis pertractandis Socratis vetus ac veneranda vox occurrit animo, id oportere investigare quod nobis εν μεγαροισι κακον τ' αγαθον τε τετυκται *in ædibus pravum aut bonum fuerit*. Non quî ego Dei divinarumque rerum contemplationem, quibus præcipue philosophum delectari oportet, parum ad nos attinere censeam, quum nulla sit nec ad animi agnitionem præstantior, nec ad religionem moresque moderandos magis necessaria; quæ utinam per stultos mortales eo loci immota stare liceret, quo illam stare decet! sed quod majorum nostrorum lasciva quadam animi prurigine factum sit, ut ultra fines suos rationem, curiositatemque nostram provexerimus, atque per imaginaria sæpe spatia divagati, cum tenuibus & incomprehensibilibus umbris congredi amaverimus. Igitur & quæ eorum more scripta sunt atque disputata, quæque interdum pythagorismum aut platonismum sapiunt, nolim ego tamquam oracula haberi a lectore: me & meos passum manes, ac nonnunquam inferiis agitatum, ille quidem, per me licet, existimet. Deum, supremam mundi hujus causam, sapientissimam ac præpotentem, υψιμεδοντα, ab omni mortali concretione secretam, mundi legem, pietatemque, quam ex

ejusmodi lege illi debemus, suam providentiam, ac beneficentiam, divinamque servatoris nostri gratiam, quæque cum his sunt juncta, in tuto esse sinat ∴ hæc ne moveto. Cetera philosophorum arbitria, quo is cumque accipiat modo, haud in magno ponam discrimine. Sed has nunc ambages mittamus ∴ contrahamus vela, ac φυσικα, και ηθικα, a quibus ne si velimus quidem separari possumus, inspectemus. His heis vivimus: his felices aut miseri sumus. Apollinis, ut ajunt, pareamus oraculo, *nosce teipsum*. Nam quum a quo simus, ac quo simus in loco, satis, si non ad curiositatem, ac saltem ad vitæ usum, desceptatum sit, quid nunc simus principio pervideamus: tum quî beati aut miseri (quod adprime in vita est utile) esse possimus; quam philosophiæ partem qui cetera docti negligunt, mihi somnambuli videntur, aut Gymnosophistis, si vera prædicant, iis persimiles, qui pensiles sese afflictim excruciant, ejus inscii, *cui bono?* Erunt & hic fortassis ανοητα (*inintelligibilia*) plura, aut quæ Arabum oleant vetus oleum. Sed quid facies philosophantium impetigini? Demus hæc antiqui ruris vestigia urbanitati, quam omnes juvenes philosopi, si sapimus, ac egregie morati sumus, decrepitæ senectuti debemus ∴ sciamus meliora, sed ne eo audaciæ, ac impietatis evadamus, ut canas majorum barbas ac rugosa jugula furentes vellamus. Conficiat senium, quos mortales natura progenuit. Tu, si ea nares feriant, grandes gradus facito: quæ in rem sunt tuam (sunt enimvero plura, opinor) legito. Si vero nihil tibi inde emolumenti promittis, ne accedito: quid tibi huc tactio est? Sed enim, *cujus tu in his discipulus sectæ?* Nam suboluit id Simium quæritare. Quid si nullis stipendiis militem? Nam in iis, quæ ad Deum ejusque pietatem adtinent, Dei sum, ac orthodoxus: in reliquis, quæ philosophici sunt imperii, nec Aristoteleum me esse profiteor, nec Platonicum, nec Epicureum, nec Stoicum: nec Græcum postremo, nec Latinum ∴ quin nec Cartesianum, nec Newtonianum, nec Malebranchianum, nec Leibnitianum. Cujus igitur?

tur? Mei ſum: *Rationalis* ſum. Quid tu criſpas frontem, quia dixi *rationalis ſum*? Tu ne, inquis, philoſophus ſine duce? Quid monſtri iſtuc eſt, *ſecta rationalis?* O præclare! Tam tibi contemtus dux eſt ratio, ut ei ullum mortalium anteponas? Tu igitur mihi dic contra, quid iſtuc eſt, *animal rationale*? Sis ergo tu qui velis: ego ſi animal eſſe rationale velim, tu ne etiam iraſceris? Sed utro tu vis me modo eſſe fac. Nam utroque ego modo valere te jubeo, ac plurimum valere.

P. S. Erat jam hæc tertia pars ad umbilicum perducta, quum vir mihi amiciſſimus, cui ego perlegendam dederam, monuit, quæ ſequuntur. Primum videri ſibi quæ in appendice *ad libertatem* diſſero obſtruſiora, quam ut plene intelligi comprehendique poſſint. Tum pag. 292. & 293. duobus locis aliquantulum offenſum, quorum altero ſciſco, naturam nos docere, non tantum Deum eſſe, verum eſſe eum & invocandum, & omni modo colendum: quod ei cum *gratiæ* doctrina non ſatis conſentire videbatur: altero Euſebii Pamphili paradoxum probare videor ſtatuentis, primos mortales ex φυσικαις εννοιαις, ex *naturæ notionibus* virtutes quaſdam hauſiſſe, quas ille præcipuas in Chriſtiano putat.

Qnum nihil ſit, quod ego magis cavere velim, quam ne opuſculorum meorum lectores vel in minimis apicibus offendantur, maximas me ei gratias debere profiteor. Ejus igitur injectam animo ſolicitudinem ſic eximo. Gentes & Deum agnoviſſe (nam a poſtremis commodius exordiri placet) & omni eſſe modo colendum, tota Ethnica vetuſtas docet. Quin Sacerdotes, Poetæ, Philoſophi, ritus quoque, quibus Deus, aut Dei colerentur, conceptis formulis conſtituerunt, ſanxeruntque. Id tota docta Græca Latinaque vetuſtas clamat. Quid igitur ei faciemus? nam ut factum infectum ſit ne Deus quidem efficere poteſt. Porro hunc cultum duplici præſertim in re poſuerunt εν τῳ ευχεσθαι, και τῳ θυειν, *in precibus & ſacrificiis*, ut diſputat Plato in Euryphrone. Ejus doctrinæ ra-

tio hæc iis fuit palmaris, quod, ut ait Homerus Odyss. III.

Παντες δε θεων χατεουσ' ανθρωποι

Omnes homines deorum egent ope.

Hæc & veteres omnes Christiani Apologistæ agnoscunt, & Huetius, vir in omni Christiana Theologia consummatus, pluribus docet in *Quæstionibus Alnetanis* lib. III. Quin hoc loco cap. II., quod est *de beatitudine*, sic exorditur: *Spes in Diis collocandas esse: bona ab iis expectanda & in vita, & post mortem: metuendos eosdem, ac summe colendos, philosophorum prope omnium constans opinio est.* Quid igitur, inquit aliquis, peccat naturæ ratio, & qua in re Christi gratia locum habet? Peccat quidem plurimum, quod sæpe ego disserui, indigetque in omnibus, quo plena sint & perfecta, ac recta, quæ, quo beati simus, necessaria sunt. Patrem ac opificem mundi natura docet: sine Dei tamen ipsius gratia, non sine aliqua erroris mixtura. Nemo, non dicam vulgi, sed ne philosophorum quidem puram sinceramque Dei notionem, ac talem, qualem hodie Christiani habemus, animo concepit, ne divino quidem Platone excepto. Id & Aristoteles satis demonstrat in I. Metaphysicorum, & ipse magno exemplo est, & si quis inficiatur, facile, nec tamen temere, in me suscipio demonstrandum. Eadem Deum esse colendum docet: id κατα γυνη ignorare homines nequeunt, quin Deum esse mundi auctorem ignorent: sunt enim ea inter se connexa & copulata. Sed quotus philosophorum quisque (nam vulgus fœdissimum hic omitto) non huic doctrinæ impuras alias miscuit? imprimis vix reperias, qui eum ultimum ac summum hominis finem agnoverit, nec qui coluere, divina caritate coluerunt, sed animali cupiditate. Atque id est, quod ait Apostolus, & *Deum agnovisse, nec tamen sicut Deum glorificasse*, γνοντες τον Θεον, ουχ' ως Θεον εδοξασαν. Expediamus paucis: neque enim hic ea de re agendi locus est. Deum docet natura? docet invocandum? docet ei servire oportere? Docet enim vero: sed, ut Scholæ ajunt, *sine*

gra-

gratia, non sicut oportet. Quod ego subintelligi velim quotiescumque vulgatas hujusmodi formulas usurpabo, ne cogamur per singulas paginas, quo suspiciosis hominibus morem geramus, doctrinam gratiæ occentare.

Convertamus nunc nos ad Eusebii locum, viri totius christianæ vetustatis eruditissimi. Primos, ait ille, mortales & a Deo doctos fuisse, & a natura: illud *gratiæ*, hoc *rationis* est. Virtutes igitur morales, modestiam, justitiam, tolerantiam, fortitudinem, & pietatem unius Dei, duplici ex fonte derivabant. Nam & eas *prophetia* Deus docebat, & δια τεκμηριων, *per signa*, naturæ scilicet opera, patefaciebat. Id non Eusebius tantum scribit, sed omnes Græci, Latinique Patres, quorum studiose loca collegit Nieremberg Jesuita copiosus initio operis docti & eruditi, *de Scriptura*. Hoc ipsum toto tertio *Alnetanarum quæstionum* libro demonstrat Episcopus Abrincensis. Ac vero inepti erimus, atque Græcis Latinisque scriptoribus aperte revincemur, si id in animum constituamus, Ethnicos nec morales virtutes cognovisse, nec curasse, coluisseque. Quin perridiculi quoque esse possimus, qui quum quingentos supra annos in nostris Christianis scholis Aristotelis *Ethicam*, ac Ciceronis *Officia* docuerimus, atque justitiam, probitatem, humanitatem adhuc a Digestorum libris hauriamus, ignotas, aut nullo modo cultas virtutes Ethnicis fateamur. Quid? nonne oratores ipsi e sacro suggestu adhuc Aristidis justitiam, Catonis fortitudinem, Lucretiæ castitatem, Titi clementiam summis laudibus extollunt? Venit hic mihi in mentem egregii illius Hesiodi dicti

Πιστεις δ' αρα 'ομως και απιστιαι ωλεσαν ανδρας

Credulitas pariter ac diffidentia perdunt homines.

Igitur hinc conficio systema virtutum moralium christianismi cum mundi systemate consentire, idest cum lege naturæ. Quid est autem naturæ lex, nisi quæ in natura ipsa mundi atque hominum inserta est?

. . . . *separat hæc*

Nos a grege mutorum . . . . ut ait Juvenalis (satyra XV.). Quid autem ita? nempe quia

Sensum a cælesti demissum traximus arce,
Cujus egent prona & terram spectantia. Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas: nobis animum quoque; mutuus
Affectus petere auxilium, & præstare juberet, ut nos
Dispersos traheret in populum, & migrare vetusto
De nemore, & proavis habitatas linquere sylvas.

Quid quod nostri quoque *catechismi* id docent? Fere totum christianarum virtutum systema Decalogo comprehensum est: Decalogum autem legem esse naturæ Catechismus Romanus tradit, eversaque Mosaica œconomia, nos non ut Mosaicam sanctionem obligare, sed ut naturalem. At si naturæ lex est, naturæ ratione cognosci debet, ne pugnantia & ridicula loquamur.

Quid ergo, inquit aliquis? ecquæ erunt hac in re gratiæ partes? multissimæ ac præcipuæ. Hujusmodi virtutes ratio demonstrat, humanæque felicitati esse necessarias dictat: eas homines & cognovere, ac semper quidem, & ubique; sed tamen (dicam compendio, idest Scholæ formulis) *non ut oportet*. Quid, ais, istuc *non oportet*? Principio non plene perfecteque agnoverunt; id quod hominum historia docet, sæpeque est a nobis animadversum. Tum non omnes eo destinaverunt, quo illæ suapte natura tendunt: nam de *fine ultimo* perabsurdas habuere opiniones. Ac ii, qui eo destinasse videntur, mille commentis depravaverunt. Postremo tota vita depravati aut privatæ suæ utilitati sacraverunt, quo nullus est uberior vitiorum fons, aut cum infinita deorum superstitione fœdarunt, aut si Dei metu ac reverentia coluere, cum ea pietate sexcentas nescio quas pravitates admiscuerunt, ut sæpe solum virtutis nomen reliquerint. Itaque virtutes ut rite recteque, eaque animi sanctitate agnoscamus, colamusque, qua cum Deo agere oportet, non a natura, neque a ratione habere posse christiana docet religio, sed a Dei ipsius misericordia atque gratia. Hoc igitur sensu me intellectum iri volo: nam in eam sententiam ipse me sæpe explicaveram.

Su-

Superest ut injectos ab illa appendice scrupulos evellam. Itaque paucis ego dicam quid longo illo sermone efficere voluerim. Liberi ne sumus, necne? Ea de re agebatur. Crederes fuisse olim, hodieque esse homines adeo sibi ipsos ignotos, ut se liberi arbitrii facultate pollere, aut ignorarent, aut pernegarent? Sed nulla est tam stulta sententia, qua sibi interdum homines perplacere nequeant. Equidem ego quum cogito, tam me liberi esse arbitrii ignorare posse sentio, quam me esse: neque enim est hoc illo manifestius: nam utrumque immediato conscientiæ sensu pernosco. Si prima in re decipior, cur non deciperer in altera? Sum, quia me esse persentisco: liber sum, quia continenter libertate me uti conscius sum. Hæc tu mihi incerta facere moliris? opera abuteris. Adeon' enim me stultum esse existimas, ut dictis ego tuis potius, quam naturæ credam meæ? Id si sapis, totus desipis. Hoc potius ego tibi præcipio, ut intelligas, quotiescumque sermo a natura discrepat, aut convictum esse mendacium, aut sine ulla mente oris strepitum. Hoc tu crebro reminiscere, nisi si insanire ames.

Certa hæc sunt. At enim. Externæ nos causæ concutiunt. Qui systematis mundani partes sumus a totius ne legibus immunes erimus? Quasi quisquam sit, qui ita nos in hac tellure insitos esse putet, ut nec calore, nec frigore, nec sono, nec odore, nec ulla postremo re, qua circumdamur, tangi possimus: quasi terra, alimenta, climata nihil nostris conferant ingeniis. Tangamur ergo: cum cæli natura temperamenta consentiant. Quid istuc ad eam, de qua agimus, quæstionem? Non enim quærimus aut qui natura simus, aut unde concitemur; sed hoc potius, eas postquam sensationes, irritationes, voluptates, vel dolores in nobis excitari senserimus, uti ne iis pro nostro arbitrio possimus, necne? Ac prout lubitum fuerit iis nos uti ipse mihi sum testis. Quid attinet convicta rebus verbis elevare? Neminem me audire certum est: cujus lingua cum natura depugnat. Satis id dictum.

Ecce autem: qui tantas motiones pro imperio moderari

derari possimus? Quia nempe vim in nos ac efficaciam infinitam non habent. Quid friguttis? Nam si haberent, non obsisteremus. Sed esto; ignoremus hoc *quomodo*: ignorabimus etiam nos obsistere, moderari, libere, ac videntes prudentes obsecundare? Liceat igitur, si ita vis (me enim scire fateor) ignorare *τὸ quomodo*, quod mortales depereunt, quoque sæpe pereunt. Mene ut ea plusquam usus est sollicitent? O hic illud præclarum, μη μαλλον! Tanta, inquiunt, naturæ moles nos non rapiet? Non: nam si moles, in animam non aget, qui moles non est. Si bona aut mala, qua sola ratione in animos agere potest, rationi, consilio, electivæ facultati subditur. Ea est mentium natura. Aut igitur rupes evadas necesse est (nam hæc est μοιρα), aut si mens sis, fataliter (vide quam audeo) liber es: nullæ te moles efficient unquam liber ne sis. O te miserum! ah ah perterrefeci: scio. Vereris videlicet ut sis liber. Tantæ te intemperiæ agitant?

Sed euge: animos resume. Liber ut sim, inquis; *a coactione*, qui esse possum *a natura*? Sunt enim inter se consatalia, *boni vel mali perceptio*, *appetitus*, *electio*. Non potuisti paucioribus verbis plures ανοιας (*incogitantias*) effutire; nam quo ego alio verbo dicam? Adeon tibi es impervius? Quin tu illud, nosce teipsum? primum hoc tibi edico, nos plures nostras cogitationes quasi rimari, expiscari, proque libertate aut gignere, aut adsciscere. Studia id te disciplinarum satis docere possunt: tum si tu aliquando comminisci aliquid, atque tecum mundos effingere soles. Nisi si putas quas Homerus, ac reliqui poetæ fabellas cecinere, insertas ab Apolline animis fuisse. Tum eadem opera nobis appetitus plurimos aut creare, aut accendere. Nam quum Chremes tumido delitigat ore, non tu sentis ea cum conciperet, animum Terentio intumuisse? Ita amamus, timemus, irascimur sæpe nobiscum ludentes. In his omnibus unus est artifex, liberum animi arbitrium: eo hæc omnia facimus, reficimusque.

Jam quum extrinsecus animo cogitationes advenere, sequun-

sequuntur enimvero appetitus. *Consatalia sunt hæc*, quando ita loqui amas. Quid tum? Aut præripiunt animi consultationem electionemque ii appetitus, aut ei subjecti sunt parentque. Quum illud evenit stulti sumus; nulla tum arbitrii potestas: elisa enim ratione nemo liber est. Sed si quis nullum esse nisi ejusmodi in se appetitum clamet, næ is bruta animans est. Ejus me angit misericordia. Cum hac animante se de libero arbitrio disputare negat fas esse Origenes (*a*). Ego te in hunc censum, ut referam? Nolo tecum illatæ injuriæ, omniumque gravissimæ agere. Tute igitur videbis quis esse velis. Commovi scilicet. Bono animo esto. Si ergo rationi tot subsunt appetitus, videsis, ne tecum pugnes, qui de sublata libertate illos reos facis. Quid verbis opus est? Teipsum concute. Ego mihi certus sum, me ita posse meos moderari appetitus, ut si sapiam, aut vix unquam, aut raro capiar. Hoc facti est: ejus mihi conscius sum. Ecquam alteram efflagitarem demonstrationem? Adversus certa facta, quorumque quisque sibi testis est intimitus, argumenta omnia futiles atque captiosæ sunt argutationes.

Sed illud te turbat, qui moderer. O molestum πῶς! Non tu dum dabis, scire nos quidpiam posse quin τὸ *quomodo* pernoscamus? Sed hoc πῶς me quoque scire arbitror. Nempe hujusmodi appetitionum in animum efficacia, vis, potestas infinita non est. Unde sciam rogas? Si esset, non moderarer. At nunc tam certum est me moderari, qua certum me cogitare, me sentire, me vivere, me esse denique. An hæc tu mihi incerta facere paras?

Ehodum, inquis. Tu ne hæc vi tua moderari ais? Vide ne sis intestabilis: nam ista Dei ope perficis: non ergo arbitrio. Bona verba quæso. Me hæc compescere ipse mihi testis sum: tute tibi. Numquid aliter? Ita sane. Quæso, nunc edissere, ego tuque unde sciamus hæc nos Dei gratia posse! Nam certe scimus alicunde. Christiana, inquis, id docet doctrina. Egregie.

(a) *περι αρχων lib. III.*

gie. Hoc ego quoque præcipio. At qui ego tuque ignorare possumus, eadem christiana doctrina doceri, nullam arbitrio nostro Dei gratia vim inferri. Philosophiæ christianæ dogma est, nobis ad hæc perficienda Dei gratiam esse necessariam: sed par dogma sub Dei gratia liberi esse homines arbitrii. Utrum vis inficiaberis, Christianus non eris. Teneris igitur. Et gratia Dei id efficimus, & libero arbitrio. Non tu aerem verberas? Nisi si tu opinaris esse alterum altero magis christianum.

Viam & rationem, qua id fit, quæro, inquis: quæro *quomodo*: hanc harmoniam duarum istiusmodi virium pervidere aveo. *Quomodo* igitur? Oh impudentia! Hoccine est humanum factum aut incœptum? Hoccine est officium mortalium? Enecasti? Tu ad singula πῶς (*quomodo*)? Illud ego tibi edicam Tullii: negatum natura *quatenus*. Hæc velim tecum cogites. Nulla in vita pulchriora, neque amabiliora, quam hæc sunt tria, *intelligentia*, *visio*, *lumen*: nulla nobis perpetuo viciniora intimioraque. Intelligimus ne nos quidquam? Videmus? lumen est aliquod, quo læti sumus? Interim hæc tu mihi edisseras oro: πῶς intelligimus? πῶς videmus? πῶς res ostendit lumen? Quæ ejus natura? Tu mihi magnus eris Apollo. Tum ego tibi istuc πῶς præpotentis Dei expedire conabor. Interim dum philosopharis, vale.



AN-

ANTONIUS GENUENSIS

Philosopho suo

S. P. (1)

PRodit *altera* Metaphysicæ pars *parentis sui* titubanti animo, corde, & pectore, post varios hominumque urbisque labores. *Neque enim ignoras quæ prior fata habuerit,*

...... Quæ causa indigna serenos
Fœdarit vultus, aut cur hæc vulnera cernas.

Saltem ex Apologia, *quam* Appendicem *perscripsere*, *discere in promtu est. Nam ubi ego (ita me Deus adjuvet) in id omnes intenderam nervos, ut nefarios homines ratione adversus religionem abutentes pro virili refellerem, non defuere qui aut arma impiis suppeditare, aut publicam causam prodere, nec clanculum, sed publice clamitarent. Non ego quidem eram ignarus, multos studiose mihi contradicturos, quod nullo modo vitare potui, nisi si nihil omnino scriberem, maxime cum sint, ut in Civili, ita in Literaria Republica, quidam* fruges consumere nati, capite censi, *quin quum nihil ipsi peperere umquam, aut parere possint, in alienis operibus proscindendis ineptissime sunt eloquentes:* alii

(1) Quum hæc, quæ fuit olim secunda pars disciplinarum metaphysicarum, nunc fit tertia, absurde hic collocata præsens epistola videri potest. Sed ne qua re lectorem fraudarem, edendam curavi, hisque binis verbis eum monere.

alii vero, qui quantum proficimus, gloriæ suæ demtum arbitrantur. Quos utrosque jure potuissem contemnere, qui bonorum hominum, nec omnino stupidorum, judicia revereri soleam. Sed in eo falsus sum animi, quod ubi humanitus errorum philosophandi reprehendi expectabam, quos ego reprehensores optabam, quibusque magnas agerem gratias, majores haberem; ecce autem criminationes, ingestæque sine ulla non dicam christiana caritate, sed ne humanitate quidem, calumniæ, quæ tanto fuere acerbiores, quanto in hominem paratum flammis devovere, si quid minus recte scripserit, petulantiores, quod ego viro summo Josepho Spinelli Neapolitanæ hujus Ecclesiæ Archiepiscopo contestatus eram. Neque enim is ego sum, qui plerique alii omnes, qui scriptionum mearum eo teneor amore, ut etiam contra jus & fas defendere ausim. Quum in publicum eas emisi, velut alienas specto, paratus in me facere, quod crudeliores ipsi nominis mei inimici vix audeant, ignoscere nempe aliis multa, mihi nihil, *modo ne veritati officiamus, tantum abest ut justas reprehensiones, & admonitiones adsperner. Nam etsi nemo sit, qui non intelligat, quanta sit humanæ mentis brevitas, quanta imbecillitas, quamque facile errare in plurimis; at, confidenter dicam, pauci sunt, qui sibi & sapientiæ suæ minus confidant, quique sapientum judicia magis reformident & venerentur, quam ego sim. Et his quidem ex animo ignovi & christianæ legis memor, & quod ita natura sim comparatus, ut nec graves iras sentire, nec diuturnas gerere valeam, nihilque magis homine indignum putem, quam illud, quod profanus homo non dubitavit diis tribuere,* manet alta mente repostum. *Quid est enim aliud* homo homini lupus? *Alia certe esse hominis debet vita: nam & qui fratres sumus ex eodem nati stipite, & qui socialem vitam sub eodem Imperatore Deo agimus, & qui eodem jure tenemur, quique nos Dei & Christi imitatores profitemur,*

non

non diligere tantum nos mutuo, sed & amare oportet. Ecquid? non pudet nos barba tantum & pallio esse philosophos? Sed, utcumque hæc æstimata sint, ut nunc non in magno ponam discrimine; illud efficere non possum, quin valde commovear eorum pertinacia, qui quum alia, tum illud continenter jactant, me, ratione & via, qua philosophor, scepticismo suppetias ferre, & quin, ut dixi, titubanti animo & pectore hanc alteram Metaphysice partem emittam. Nam quamvis studuerim quidem accurate rationis humanæ dignitatem, sed intra suos cancellos, tueri, remotissimasque ipsas suspiciones, quoad potui, effugere curaverim; acutiores tamen sunt multi, quam ut ego evadere possim, hujus ævi Aristarchi. Quamquam quis ferat accusari hominem scepticismi, qui mathematicum in morem cogitationes suas disponat, & qui exactas etiam in abditissimis rebus demonstrationes producere conetur? nisi forte qui nesciat, qui fuerint umquam, aut hodie sint Sceptici, quos ego, si lectionis ullius patientes esse possunt, ad Sextum Empiricum amando. Ac ignorare quid istuc sibi vocabulum scepticismus *velit non sine ratione & causa dico. Nam rogatus quidam eorum, qui numquam suo judicio uti didicerunt, quique rationi numquam sacrificavere, sed aut ex incertis vulgi polluti rumoribus præjudicant, aut ex cassis phantasiæ imaginibus, ecquid præcipue in Metaphysica mea reprehenderet,* Scepticismum, *inquit. Cur ita? nempe, inquit, quia parum a Jansenismo distat. Oh præclare!*

Spectatum admissi risum teneatis amici?

Jam quis eum Pyrrhonismi insimulet, qui ingenue fateatur, se ea ignorare, quæ genus omne humanum ignorat? Nisi si quis nihil clam esse hominibus oportere, nec divinarum, nec humanarum rerum, arbitretur: aut tum perpulchre cum hominibus agi, quum sciveris noveris, te scire fateris, nihil omnino reputans, nihil esse tam temerarium, tamque in-

di-

dignum sapientis gravitate atque constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit & cognitum sine ulla dubitatione defendere. Quamquam id tantum abest, ut Scepticismi vires dilatet, ut nihil potius sit, quod Scepticismum funditus evertat, quam accurate distinguere inter ea quæ homines plane norunt, & ea quæ ignorant. Nam qui etiam ea, quæ ignorantur, deridiculis argumentis hominibus persuadere student, etiam ea, quæ sciuntur, in suspicionem adducunt hominum, qui nec trunci sunt, nec satis docti, quorum est magna Reipublicæ literarum pars. Itaque ego ita sum animo constitutus, ut quæ certe scio, quæ ego esse arbitror omnia, quæ ad pietatem & vitam pertinent, suntque necessaria, nullo modo, nec voce, nec scriptione prodere valeam; quæ ignoro, nequeam non pro ignotis profiteri, atque in iis sapientum hominum sententiam, & doctrinam exspectare, paratus rationi, a quibuscumque ea tandem proficiscatur, parere, idque adeo læto animo, ut nihil mihi umquam præclarius esse duxerim, quam ab erroribus (quos ego haud dubium erro plurimos) & ignorantia mentem in sapientiam & libertatem vindicare. Non ego quæsiverim umquam quomodo sint alii animo affecti: abdomini jecinorique suo vivant, si ita placet; quando nihil veritatis cupedia morantur: ego sic institutus sum, ut nulla alia bona mentis perfectioni, & tranquillitati nedum præponere ausim, sed ne conferre quidem. Quocirca quamquam certum mihi est, me undique inclementer impeti; prædixisse tamen mihi erit satis. Emergent proculdubio qui crimini vertant, protulisse me argumenta Epicureorum & Socinianorum adversus animi naturam: Spinozæ & Collini adversus libertatem. Quibus si reponam, me communem sanctissimorum quoque Patrum scribendi rationem sectatum: argumenta quidem produxisse impiorum hominum, sed confutasse, idque esse peropus ei, qui his de rebus

differit ; quum defensio duobus continetur , demonstratione , ac refutatione : ii statim regerunt , nec veteres Ecclesiæ Doctores (quis tantam stultitiam crederet?) Spinozam & Collinum aggressuros fuisse , quippe quos vel nominare nefas : & fortasse me non idem animo sentire , quod scribo . Egregie prorsus ! Quasi Spinozæ & Collini non quovis seculo exstiterint , postquam scimus exstitisse & Aristotelem & Zenonem , & Epicurum , & Diagoram , & horum sectarios , atque admiratores ! nam certe quos Origenes , Eusebius, Lactantius , Cyrillus Alexandrinus , Gregorius Nazianzenus , Augustinus , Beatus Thomas in opere adversus Gentiles confutandos aggrediuntur , quorumque ad vivum resecant objectiones , plura quoque & majora commenti sunt adversus Christianam Religionem. Conflictarunt cum veteribus illi , conflictandum nobis est cum recentibus Religionis hostibus , non aut umbras impetere , quod majorem nostrorum theologorum partem efficere video , aut in otio , dum illi clamant , tabescere . Ac vero ego quoque censeo stultum esse parare arma , urgere agmina , in aciem prodire , ubi nullus imminet hostis : sed incuriosum sedere , aut cum veterum somniis confligere ubi hostes non fines modo invasere , sed integras provincias ferro ac flammis populantur , est Rempublicam prodere . Quod vero suspicantur , me aliqua scribere , aliud sentire , id licet non sit in literaria Republica novum , atrocius tamen est , quam ut verbis curari possit . Quid reponam , nisi præripere eos , quod Dei proprium est , in hominum corda judicium ? Quid quod hoc bellandi genus reciprocum esse potest ? Nam quis vetat , & me de iis credere , quæ illi de me improbe suspicantur ? Ac possim facilius , si non quod docent , sed quod agunt , perpendere velim . Sed alia lege utor . Eos interea meminisse velim Apostolici verbi , nolite judicare ante tempus. *Nam ad me quod attinet , sic animum jamdudum formavi , ut supremis potestatibus , quandoquidem eorum jus mihi ratio est , sine ulla ratione paream ; Philosophis vero quantum eorum meruerint ratio-*

nes. Quid si etiam sine ulla, atione me dimovere ab iis, quæ veriora puto, gestiunt, eos si contemnam, nemo sapiens erit, qui me jure meo non uti dicere possit. Sed ea satis; nam copiosius prosequi animi videri potest minus, quam ego sim, pacati.

Sunt autem quædam, quorum tibi nunc, philosophe, & humanissime Lector, rationem reddere debeo, quod subaudiverim te mussitantem. Primum, quæ tantæ tenuere moræ? *Rogas? Destinaveram nihil amplius, si per amicos licuisset, edere: nam quantumvis nihil mihi conscius essem, cur in publicum prodire non possem, at hærebat animo grave illud Apostoli verbum,* non comedam carnes in æternum, si frater meus offendatur. *Sed propositum pervicere amici. Nam & Venetiis, & Roma viri quidam docti juxta & humanissimi ita impulerunt, ut mihi persuaderem non esse admodum paucorum judicia extimescenda, eorum maxime, qui assuetudine maledicendi intestabiles evaserint: & scrupulos omnes heic viri ex omni ordine literatissimi exemerunt. Ita ruptæ moræ. Deinde gravissimo per hos annos pectoris morbo laboravi, ut vix necessariis curis intendere possem animum. Nam ego non ita philosophiam colendam esse censeo, ut etiam vita periclitetur: ne si vellem quidem id juris in me habeo:* vetat summus ille imperator Deus, se invito e statione discedere. *Tum quamquam super his rebus scripseram plurima, at indigesta, ea erat moles, ut mihi fuerit necesse ex integro rem omnem repetere: in quam rem quum non quantum voluerim, sed quantum potuerim incumberem, effluxit tempus. Nec tamen eis caussis quidquam judicio tuo prævertere velim: tu si inertiæ tribuere ames, non repugnabo.*

Jam rogas, quum duas tantum Metaphysicæ partes promiserim, cur tertiam nunc adjiciam? Nempe, quum secundam hanc perlegeris, tute ipse intelliges, non potuisse me uno volumine in octavo, *ut vocant, tantam rerum molem complecti, nisi omnia corrumperem, aut Herculis cothurnos infanti vellem adaptare.*

ptare. Quæ super natura Dei & Religionis commentatus sum, aut ex veterum recentiorumque philosophorum lectione suppetunt, ea, nisi hallucinor, præstantiora sunt, quam quæ a me hucusque sunt pertractata. Malui ergo promissis, quam ei negotio detrahere, quod

Æque pauperibus prodest, locupletibus, æque,
Æque neglectum pueris, senibusque nocebit.

Prius tibi promiseram: posterius conscientiæ debeo & Deo. Te autem faciliorem habeo & humaniorem judicem in priori illa causa, quam aut memetipsum, aut vindicem Dei oculum in altera. Quod tu facies profecto, nisi fastidiosus & delicatulus velis haberi philosophus, aut inter Ephemeridum (quod nunc hominum genus copiosius est) litteratos censeri.

Sed utcumque in eo te accipiam, inquis, at id non fero, quod nimis oles in hac parte *e schola: Arabes conradis: lutulentos nescio quos consectaris rivulos. Saltem dum fuerit tibi id laboris non parvi,*

Responsura tuo numquam est fama labori.

Talis nempe nunc est conditio philosophandi! Næ tu declamator egregius! Macte. Ausculta interea, & tene. Mentium humanarum ab Adamo vigor seculis omnibus idem fuit: curarum objecta non eadem, nec eadem disciplina. Fuere qui quondam totum eum vigorem individuum poesi, aut oratoriæ applicuerunt, in quo quum essent unice intenti, fuère præcellentes. Alii mathematicis, ceterosque post se reliquerunt. In iis seculis, qui barbariei nomine appellantur, cura unica fuere res Metaphysicæ, sæpe chymericæ, *sed fuere tamen. Concedam ego aliis literarum nitorem & cultum: sed philosophorum, quos barbaros vocamus, Arabum, quique inde hausere, propria est Metaphysica. Terrent, fateor, incomptus vultus & hispidus, inanes sæpe conatus, volatiles extra universum phantasiæ, frequentia Arabum deliria, acres nonnumquam de somnis pugnæ: neque idcirco te monuerim, ut accedas: sed si qui sunt, qui tibi eos exantlare labores non*

 sunt

sunt gravati, qui & ejus ævi philosophiam tibi paucis eleganterque exhibeant, & ex stercore, ut inquis, aurum colligant, tu ne etiam graveris accipere, nec potius grati animi testimonium præbeas? Optandum esset potius, ut viri in utraque literatura versatissimi, in hoc Dictionariorum sæculo, *Dictionarium nobis darent eorum omnium, quæ in Arabum ac Scholasticorum libris jacent nunc contemta: nam & sunt in iis egregia plurima, &, si non semper docent, at acuunt; & historica omnium ætatum philosophia magna est vel cultissimæ eruditionis pars, nisi si velimus adeo esse inepti, ut nostra interesse arbitremur, quæ vetusti Scythæ, Chaldæi, Ægyptii, Persæ, Græci cogitaverint in cœnosis fabulosisque veterum traditionibus, maximo animi capitisque labore exquirere, habereque in numerato; partem vero hanc maximam, & cum rebus nostris plurimis arctissime connexam, negligere. Quod opus, nisi præsentes docti aggrediantur, apud posteros magis quoque rerum illarum incuriosos, utpote in tanto bonarum literarum apparatu natos, tam tenuis earum rerum notitia est perventura, ut omnis funditus ea philosophicæ historiæ pars intercidat: nam quæ sunt ab Historicis philosophiæ collecta, nimis sunt illa jejuna, & pauca. Utinam Bernardus Lamy, quam susceperat ad umbilicum duxisset Scholasticæ Theologiæ historiam? Fortassis plurimorum votis fecisset. Quid, quod ego robore, & sublimitate cogitandi primipilis illis scholæ philosophis recentiorem pene neminem anteposuerim? Sic enim habe, mihi videri illos viros, horum magnam partem feminas. Scilicet quemadmodum veteres homines quanto moribus & vestibus impoliti atque hispidosi, tanto magis animi corporisque robore præ cinædis istis Penelopes sponsis valebant; ita veteres illi philosophi quanto incultiores, & rudiores aspectu, tanto fuere meditatione, & cura profundiores ac ratiocinio pollentiores. Uno verbo: quo sine manu, sineque libris iri a mente humana potest, ivere profecto veteres illi Metaphysici.*

Num-

Numquid aliud? Indicem, inquis, rerum postulo. Scio. Capitum indicem tu igitur in versa pagina quære: copiosiorem expecta. Bono sis animo. Interea lege, libereque, sed amice judica, ut soles: nam

Nunc ego te experiar quid ames, quid simules. *Vale.*



INDEX CAPITUM.

ELE-



ELEMENTORUM
METAPHYSICÆ
MATHEMATICUM IN MOREM ADORNATORUM

PARS TERTIA

Qua continentur principia Psychesophiæ, & Ethicæ.

PRÆFATIO.


Ostquam de generalibus Ontosophiæ, & Cosmosophiæ principiis in priori Metaphysicæ parte disseruimus, tum de Deo ac Religione in altera; superest, quo integra *Metaphysicarum disciplinarum* demus Elementa, ut de Mente Animaque humana pertractemus (1).

Tractatio de Animabus humanis appellari solet græco vocabulo Psychelogia, quasi λογος περι της ψυχης, *dissertatio de Anima*, quod græcum vocabulum licet pro respiratione interdum veteres Græci acceperint, nec

(1) Hanc rerum metaphysicarum partem Pneumatologiam scholæ dixere, latius, ut patet, vocabulum augustissime capientes. Et

varo pro sanguine (1); tamen philosophi pro ipsa Animi substantia, ουσια, adhibuerunt. Est autem hæc Philosophiæ par omnium maxime quum necessaria ac utilis, tum jucunda. Enimvero nihil mortalibus esse potest aut magis necessarium, aut magis utile, quo vivant beati, quam illud, quod Deo veteres tribuerunt, *nosce te ipsum*: & rerum animi agnitio omnium pulcherrima Philosophis semper visa est, omniumque ferme hominum vehementem curiositatem semper ea excivit perquisitio. Ac sane qui perspectam habet animi sui naturam divinam & immortalem, non potest non præsentia, ac circumjacentia bona contemnere velut infantium crepundia vana, & fugacia; spectare vero sempiterna, atque secundum ea vitam longe nobilissimam instituere. Quanti illud est Africani (a)! *sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc: nec enim tu is es, quem forma ista declarat, sed mens cujusque, is est quisque, non ea figura, quæ digito demonstrari potest. Deum igitur scito esse: siquidem Deus est, qui viget, qui sentit, meminit, qui providet, qui tam regit, & moderatur, & movet id Corpus, cui præpositus est, quam hunc mundum ille princeps Deus* (2). Nempe duo maxime sunt, quæ perpetuo homines misere miseros habent, metus mortis, & circumpositorum bonorum nimia admiratio. At utrumque, si non omnino demit, maxima saltem ex

(a) *Apud Cic. in somn. Scip.*

vero Pneumatologia ea disciplina, quæ *de Spiritibus*, περι των πνευματων, *agit*. *At* πνευματα, seu spiritus, Christianis Philosophis dicuntur, *Animæ humanæ*, *Angeli*, *Deus*: nam de brutorum animabus anceps disceptatio est. *Spiritus* nomine appellantur, non tam quia sunt substantiæ incorporeæ, quam quia activæ: quidquid enim activum est *rouab* Hebræis, πνευμα Græcis, *Spiritus* Latinis dicitur. Hinc subtilissima etiam corpora *Spiritus* vocati a Physicis, & Chemicis. Hinc ventus in Hebræis, Græcis, *Latinisque auctoribus spiritus* nominatur. Quin quod πνευμα tenue aliquod corpus significat, Origenes diserte monet, non accipi de Deo, nisi metaphorice; quum sit ille omnis omnino materiæ expers.

(1) Strepsiades apud Aristophanem in Nubibus Act. II. scen. 1. lamentatur, cimices exsurgere sanguinem, ψυχην εκπινουσι. *Purpuream animam* eodem sensu dixit Virgilius.

(2) Quo fortassis sensu accipi potest, quod apud Euripidem in Troadibus Jupiter dicatur ... νους βροτων, mens mortalium.

ex parte extenuat animi nostri intima contemplatio, efficitque nos non modo in mortis prospectu alacriores, verum etiam in adversa fortuna tranquillos, atque idcirco minus ad magna gerenda impeditos. De hac igitur disciplina illud ego dixerim, quod Strepsiades Aristophaneus in Nubibus Act. I. sc. I., ait, de Socratis schola:

Ψυχων σοφων τουτ' εςι φροντιςηριον
Est hæc animarum sapientum schola.

Jam ad hanc scientiam comparandam non tam librorum copia adhibenda est, quam penitissima naturæ nostræ meditatio: ex hac enim meditatione facilius, uberiusque, quam ex ulla librorum lectione humanum patescit ingenium. Quinimo si ulla hujus præclarissimæ scientiæ amatori lectio præcipienda est, eam Historicorum potius esse dixerim, quam Metaphysicorum: hi enim, ut plurimum non eum, qui in Adæ fæce versatur, sed in Platonis Republica, hominem exhibent, atque describunt: illi totam, quanta quanta est, naturam humanam, collatis moribus, offerunt. Egregie Diodorus Siculus in Procemio ad Bibliothecam: *Nam quum multa experimenta rerum variis cum laboribus periculisque, ipsi procul ab omni discrimine positi gesta legimus, ea nos admonent maxime quid conferat ad degendam vitam. Cognitio igitur ex aliorum cum secundis, tum adversis rebus percepta, doctrinam habet ad omnia valde necessariam. Pulchrum est enim ex aliorum erratis in melius instituere vitam nostram, & non tam quid alii egerint quærere, quam quid optime ab iis actum sit, nobis proponere ad imitandum. Seniorum consilia, quos ætas prudentiores effecit, laudantur. At hos tanto antecellit historia, quanto plura rerum exempla complectitur diuturnitas temporis, quam hominis ætas.* Scilicet, quod Soloni ab Ægyptiis dictum repetit Plato, *nihil earum rerum scire, quæ antequam nascereris facta sunt, hoc est, semper esse puerum*, verissimum est. Sed est & alter, ex quo natura hominis discatur, liber, homines scilicet ipsi quibuscum futurus in hac disciplina sapiens conversetur, oportet. Hinc in cultis nationibus utramque rem commendat Plato in v. *de legibus*, & peregrinari, & peregrinos comiter excipere. Ulyssem sapientem prudentemque celebrat Homerus, quod multorum urbes moresque vidisset: & in Græcis ceteris sapien-

sapientia hac potissimum ex caussa præcelluere Athenienses, quod peregrinarentur: contra rustici indoctique habiti sunt Lacedæmonii, quod, ut ait Nicolaus Damascenus, nec ipsi peregrinarentur, nec alios facile hospitio susciperent, quam ξενηλασίαν tacite perstringit Thucyd. lib. II. Itaque Romani barbari fuerunt quanto tempore ceteras ignorarunt nationes. Idem hodieque contingit iis populis, quibus hæc cum exteris communio, aut legibus vetita est, aut moribus: cultique homines, doctique, omniumque mortalium rerum humanarum scientes sunt ii, qui longe lateque cum aliis communionem frequentant.

Quoniam autem, quæ de quacumque re instituitur tractatio, ex methodi analyticæ legibus, a definitionibus vocabulorum paullo obscuriorum, quæ ea in re explicanda usuvenire solent, suspicienda est; omnium primum vocabula, quæ passim in hac materia usurpantur, definiemus. Non autem ita, ut Geometræ nudas, & exsuccas definitiones ponemus, sed ita, ut velut primam & simplicem epigraphen naturæ humanæ exhibeamus, quam mox adjectis paucissimis axiomatis, nec multo pluribus theorematis, paullo latius diducturi sumus. Præterea longe alia est ratio definitionum Geometrarum, & ceterorum Philosophorum: illæ notionum sunt *arbitrariarum*, hæ *proprietatum realium*: ut idcirco quum postremæ non longe ab *axiomatum*, & *theorematum* natura distent, non esse ullo modo *arbitrariæ* possunt, sed *reales*.

DEFINITIONES.

I. MEntem voco rem intelligentem, principium cogitationum activum, vel, si quis malit, substantiam intelligentem.

Scholion. Non heic mentem appello δύναμιν *vim* tantum intelligendi, vel cogitandi, quæ Græcis νοῦς, Latinis proprie *mens* dicitur, sed ipsam rem, quæ intelligit, ipsum principium activum intelligendi, ὑποκείμενον cogitans; quo modo Tacitus lib. I. Annalium loquutus est; *tua*, inquit, *Dive Auguste*, *cælo recepta mens*. Nec est cur me reprehendant Philosophi, qui id definitione complectar, quod nondum perspicuum fecerim, sit nempe mens humana substantia, necne. Enim vero cum negari non possit, nos cogitare, velle, eligere; & hæ sint qualescumque actiones;

datis

datis vero actionibus exsistere debeat, & earum principium aliquod activum, & ejus principii subjectum aliquod, seu substantia (ex prop. 173. pr, par.); inter comperta statui debet, exsistere substantiam aliquam cogitantem, nec perquiri oportere, nisi quæ sit ejus substantiæ natura.

Cartesius, Sylvanus Regis, ac plerique alii hoc statuunt discrimen inter notiones *Mentis*, & *Animæ*, ut eadem substantia cogitans siquidem in se ipsa spectetur, *Mens dicatur*; si prout corpus informat animatque, *Anima*. Quam ego doctrinam in his Philosophis, qui nullum *reale commercium* inter mentem, & corpus esse opinantur, non possumus non ridere. Sed & quidam veteres *Mentem* ab *Anima realiter* velut duas res, atque, ut nunc loqui amamus, *duas substantias*, distinxisse videntur, ut non pauci e recentibus Philosophis. Anima docto Varroni definita, est, *Aer conceptus in ore, defervefactus in pulmone, fervefactus in corde, diffusus in corpus* (a): quæ esse debet a *mente* diversa, quum hæc sit res ipsa cogitans, corporique imperans. Neque vero parva est in naturali Philosophi ea quæstio, vita ne corporis a substantia mentis manet, an aliunde: quippe gravissimi Philosophi non modo e veteri schola, veluti Henricus Gandavensis, aliique, sed recentiores quoque plures, veluti Gassendus, Cudworthus, ac non pauci alii, a *substantia media* repetunt: Cartesiani a *spiritibus animalibus*; Leibnitius, & Wolfius *a vi corpori insita*: veteres *a vi animi sensitiva per totum corpus diffusa*. Profecto eæ actiones, actionumque vires, quibus corporis vita continetur, & conservatur, imperio mentis non subsunt, velut motus cordis, pulmonum, arteriarum, calor vitalis: præterea sensus ipse videtur quodammodo prævertere omnem mentis cogitationem, & voluntatem, atque ab eo potius cogitatio omnis ortum ducere. Quæ efficiunt ut Philosophus suspicetur aut mediam quamdam in homine esse substantiam vitalem, aut fluidam substantiam, quæ sit mentis vehiculum, ut appellat B. Augustinus, totum corpus permeare, & mechanicis corporis legibus esse obnoxiam.

Veteres, ut hoc obiter dicam, tria in animo consideranda esse putabant, 1. animæ ipsius substantiam, 2. tenue corpus-

(a) *Apud Lactant. de Opif. cap.* 17.

pusculum, quo perpetuo circumdatur, 3. & corpus hoc crassius, aut ea hujus corporis pars, quæ præcipua ejus sedes est. Locus est Homeri insignis, quo ea tria explicat. Nam in Iliade ψ seu lib. XXIII. Achiles phantasmate amici Patrocli somno excitatus, exclamat

Ὦ ποποι, η ρα τις εςι και ειν αιδαο δομοισι.
Ψυχη, και ειδωλον, ατερ φρενος ὐκ ενι παμπαν.
Papæ! Certe igitur aliqua est & in Orci ædibus
Anima, & idolum: sed præcordia non insunt omnino.

Videntur igitur hoc in loco diserte tria illa distincta ψυχη, ειδωλον, φρενες. Ψυχη substantia est cogitans: ειδωλον prior ac tenuis vestis, quæ, ut illi putabant, perpetuo animam comitatur: φρενες (quo vocabulo seu cor, seu diaphragma, seu tota pectoris cavitas capiatur, perinde est) sedes est animæ præcipua.

In his tribus tota ferme antiquitas mirifice consensit: ac in tertio vulgus: nam philosophi caput prætulere: in duobus reliquis sapientes una atque indocti. Christiani ipsi prioribus sæculis eadem constanter docuerunt; tenueque illud corpusculum *vehiculum* animæ vocat Augustinus, aliique Latini Patres: Græci vero Theologi ψυχην *animam*; quum substantiam cogitandi dicant & πνευμα *spiritum*, & νυν *mentem*. Videre est ut hæc copiose explicat vir divini ingenii Origenes in των περι αρχων libris.

II. Intellectus est ea mentis facultas, aut vis (A) qua abstractas, aut genericas formas percipit, qua cogitat, ratiocinatur, &c. Intellectus ratiocinans vocari solet *ratio* (B).

Scholion. (A) Intellectum definivi *vim mentis*, non ipsam mentem, idcirco quod ita simus vulgo assuefacti, ut *actiones* quascumque ex *viribus* manare judicemus, *vires* vero subjectorum quorumcumque esse. Quum autem functiones, quas intellectui tribuimus, nobis videantur esse actiones qualescumque; fit ut intellectum vim appellemus: & quum exsistat substantia quædam cogitans, quæcumque ea sit, quod paullo post videbimus, ejus substantiæ vim intellectum dicimus. Non sum ignarus refragari nobis viros doctissimos, non e veteribus modo Scholasticis, sed e novellis quoque Philosophis, qui intellectum *passivam* faciunt *potentiam*, cui notioni explicandæ minus est vocabulum *vis* accommodatum. Sed næ isti egregie sapiunt. Nam siquidem percipere ideas, versare eas ex

omni-

omnibus adspectibus, conferre, quid antecedat, aut sequatur perspicere, reminisci, conjicere, intellectus sunt; profecto eæ quum sint actiones, intellectus activa potentia est: si vero mentis id esse negant, nulliusne subjecti erunt, an alicujus? Nullius dicere, est aliorum patientia abuti. Si alicujus, id mens est. Aristoteles duo in anima distinguit; δυναμιν, & ενεργειαν, *potestatem*, & *actionem*. Ac quamquam quasdam ενεργειας, ut sensuum, & phantasiæ ab extrinsecis causis reperit; non dubitat tamen esse δυναμιν cogitationum & intellectionum. Vide II. de anima. Quæ quum sint perspicua, otiosum censeo pluribus eam quæstionem persequi. At enim, ideas seu φαντασιας excipit intellectus, non creat. Esto. At tum non ideæ intellectus erunt actiones, sed aliæ, quas circa ideas exserit. Quod si qui est, qui tribuat quidem homini mentem, sed negat activam, is pugnantia pronunciat. Nec ego igitur probo Renatum Cartesium, qui cum alibi, tum epistola VIII. primæ partis, quæ ad Elisabetham eruditam illam Principem Palatinam, scribit, *rationes*, *quæ Dei exsistentiam probant*, *illumque primam esse & immutabilem causam omnium effectricem*, *quæ a libero hominum arbitrio non pendent*, *mihi videri probare*, *illum etiam esse causam actionum omnium*, *quæ a libero arbitrio pendent*, idest a mente cum ratione, nec invita agente, quum nihil sit aliud arbitrii libertas; & quidem caussam non tantum primam, & conservatricem creatarum virium, earumque directricem, quod vacat controversia, sed *totalem:* nam paucis interjectis addit, *verum Deus ita est rerum causa*, *ut sit etiam* TOTALIS. Id enim præter quamquod evidentissimis rationibus repugnat, quæ demonstrant inesse in rebus mundanis vires suas, singulis peculiares, quemadmodum ex prima parte patet: grandem quoque viam pandit Spinozismo, quod quum ex iis, quæ in eadem prima parte dicta sunt, tum etiam ex iis quæ inferius sumus dicturi, est evidens.

(B) Philosophi nempe non aliud videntur *rationis* vocabulo intelligere, quam vim istam *computandi*, quæ sine intelligentia non est. Sed aut fallor, aut viri ipsi docti, dum velut ex tripode definiunt, *hæc recte rationi esse consentanea*, *illa adversa*, nihil minus sæpe meminerunt, quam quod *rationem* esse posuere. Ut ergo enucleatior *rationi* sit Philosophis nostris notio, paullo altius repetam.

1. Ea

1. Est in hominibus determinatus quidam idearum numerus, quibus res externas sibi repræsentat.

2. Hujusmodi ideæ (1) nec immutabiles omnes sunt, nec semper eodem numero continentur: nam præter quam quod in singulis hominibus pleræque variant numero, & qualitatibus pro, ætate, conversatione, moribus, studiis, affectibus, &c. in tota quoque quadam humani generis parte, veluti in Græcia, Italia, Perside, &c. numero, & qualitatibus variant pro variis temporibus, publicarum rerum fortuna, sectis Philosophorum, aliisque causis. Itaque non eodem modo cogitabant Græci Codri tempore, atque temporibus Xersis, aut aliis: non eodem Romani tempore Numæ, ac temporibus Decemvirorum, aut Augusti: nec eodem modo tota Europa Christiana tempore Caroli Magni, ac tempore Caroli V.

3. Quod dico de Rep. Civili, id magis etiam de Litteraria dictum volo. Habent enim sua fata & literæ. Disciplinarum, atque Artium quædam hoc sæculo, quædam alio magis florent: hæ in Gallia magis; aliæ in Anglia. Maxime cum disciplinarum quarumdam fortuna pendeat, aut e publica æstimatione, aut ab utilitate: *Honos alit Artes, omnesque incenduntur ad studia gloria; jacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur* (a). Hinc vero fit, ut non eodem modo semper in Rep. literariæ cogitetur.

4. Quum ergo vulgo loquimur, minusque accurate, ea plerumque judicia dicimus rectæ rationi conformia, quæ præsenti numero, & qualitatibus idearum tum nostri, tum eorum, inter quos versamur, consentanea judicamus; ea vero adversa rectæ rationi, quæ ab his ideis abhorrent, quæ etiam absurda, & significantius græce ατοπα quasi non sit eo tempore iis locus, dicimus. Ita superioribus sæculis *cum ratione consentire*, aut *ab ea dissentire*, idem prorsus valebat, atque Aristotelis placitis consentire, aut dissentire; cujus rei plura, etiam doctorum hominum exempla, proferre possem, si esset opus.

5. Sed hæc judicia (4) alio tempore, aut apud alios, ob varietatem idearum (2. 3.), conversa natura, non eadem censentur. Inde fit, ut vix paria reperias judicia probata omnibus, & omni tempore, falluntur que sæpe, qui levi

(a) *Cic. in prima Tusc.*

levi quadam similitudine de veteribus, aut extraneis judicant, consentire eos nobis.

Scholion. Instar omnium sit unum e Rep. Literaria depromtum exemplum. Henricus Morus egregius fuit philosophus, & penetratione mentis, atque usu rationis insignis. Is sua consulta ratione ad Cartesium scribit: *tandem enim clare mihi affulsit Cartesiana lux, idest libera, distincta, sibique constans* RATIO; *quæ naturam pariter, ac paginas tuas mirifice collustravit*: ita ut aut *nullæ*, *aut paucissimæ supersint latebræ, & loci, quæ non patefecit nobilis illa Fax .... omnia profecto tam concinna in tuis Philosophiæ Principiis Dioptricis, & Meteoris, tamque pulchra sibi ipsis*, NATURÆQUE *consona sunt, ut mens*, RATIOQUE *humana jucundius vix optaret, latiusque spectaculum*. Mersennus in epistola ad Gisbertum Voetium ..... *credidi*, inquit, *lucem aliquam eximiam huic viro* (Cartesio) *Deum infudisse .... vix, ut credam ulli mortalium majorem rerum naturalium cognitionem a Deo tributam*. *Rectæ* ergo *rationi* Cartesiana Philosophia consentanea tum videbatur. Nunc contraria omnia: nam sunt hæc πρός τι, *relativa*. Quæ ergo est recta isthæc ratio? nec in Philosophia tantum naturali id sæpe obtinet, sed in morali maxime, in qua idcirco de virtute, & vitio, de bono & malo, de justitia, & injustitia apud minus accurate disserentes tot sententiæ, quot capita.

6. Philosophus ergo noster, quo ab his vulgi erroribus caveat, duo distinguat in *recta ratione*, ideas, & *ratiocinium*, seu *materiem*, & *artem*. Tum vero dicito quidpiam esse rectæ rationi conforme, quum & ideæ rerum naturæ sunt conformes adamussim, adeoque immutabiles; & inde ducta ratiocinatio est necessaria. Quod si quando incidat quæstio de *recta* generis humani *ratione*, vim ratiocinandi, non æqualem licet, omnibus esse communem pronunciet, principiorum vero ratiocinandi pauca tantum, eaque manifesta. Ex quo intelliget & esse rectam quamdam rationem toti generi humano communem, eamque immutabilem: & plures alias, quæ itidem dicantur rectæ temporum, nationumque propriæ, sed quæ revera tales non sunt.

7. Sed quæret hoc in loco quispiam, sint, nec ne, ideæ ullæ toti hominum generi communes, eæque immutabiles? Neque enim, si nullæ sint hujusmodi ideæ, esse nulla potest toti hominum generi communis ratio, sed inter

ter eos tantum erit aliqua, quorum communes quædam ſunt notiones. Quum hæc quæſtio plurimi interſit, & ad ſpeciei humanæ unitatem aſſerendam, & ad illud jus conſtituendum, quod naturale, & omnibus commune dicitur, commentemur hac de re paullo accuratius.

8. Ac illud in primis quilibet per ſe animadvertere poteſt, rerum naturam unam eſſe ac uniformem ubique, ſaltem ſubſtantia, legibus, ac ordine generali, ſeu & pulcherrime conſtructam ordinatamque, & eodem ſemper, ac ubique ordine ire, relationeſque earum rerum, quæ in natura ſunt, eaſdem ſemper eſſe, conſtantes, immutabiles. Sunt enim omnia ex rerum ipſarum eſſentia in natura ordinata; quæ quoniam eædem ſunt ſemper ac conſtantes, unum, eumdemque ſemper ordinem ſervarunt, ac ubique ſervant.

9. Porro hujuſmodi rerum natura, quacumque hominum ſenſibus patet, ac quomodocumque patet, eamdem, ac eodem modo is objicitur: *non aliam videre patres, aliamque nepotes*, inquit ille. Magnorum globorum ordo, ſitus, motus, phænomena cetera, eadem ubique. Telluris, quæ ſunt, naſcuntur, creſcunt, intereunt, ordinem ubique ſervant eundem, relationes eaſdem, ubicumque ſunt. Ac quamquam *non omnis fert omnia tellus*, ſunt tamen ubique communia quædam, ac plurima magis *modificationibus*, quam ſubſtantia differunt. Ita objecta ſenſuum humanorum, ſaltem maxima parte, ubique ſunt eadem, & conſtantiſſima.

10. Jam humani ſenſus ſunt in omnibus hominibus ſimiliter conſtructi, oculi, aures, tactus. Natura quoque ipſa humana ſimilis in omnibus. Reperies quidem homines magnitudine, colore, victu, vitæ moribus inter ſe quandoque differre plurimum, ideſt iis, quæ ſunt *naturæ humanæ accidentia*; at non aut corporis *ſtructura eſſentiali*, aut *propenſionibus* naturæ, affectibus, ejuſque generis aliis. Voluptate & dolore capiuntur ubique omnes, ac permoventur: iræ, odio, amori, miſericordiæ, ſpei, metui, ambitioni, avaritiæ, aliiſque aut animi perturbationibus, aut vitiis, aut virtutibus, ſubjecti omnes. Ita videre, poſſimus, quacumque patet tellus, Sinenſes, Japonenſes, Tartaros, Samojedas, Lapones, Americanos, Africanos eamdem generatim habere naturam, ac Europæos, nec differre; niſi iis, quæ naturæ accidunt, aut quæ educatione, aut climatibus inducuntur. Ac id ego obſervavi ſæpe in Viatorum

torum Itineribus, incultas ipsas ac barbaras gentes, quas vocamus, generis misericordia tangi, amicitia capi, justitiæ esse intelligentes, pudore ac verecundia solere ad turpes res suffundi, ac eo constantius, quo a magnis civitatibus remotiores, *in quibus corrumpere, & corrumpi sæculum vocatur*.

11. Præterea vis judicandi & ratiocinandi, utut non in omnibus æque expedita & promta, est tamen in omnibus. Itaque hominum societatem invenies nullam, quæ & vitæ consulere nesciat, & non sit numerorum suapte natura intelligens, & regimen politicum omnino ignoret, saltem œconomicum, & religionis sit inscia, & artes qualescunque non excolat. Sunt populi qui hæc omnia perfectius, plenius, promtius efficiant; sed nemo, qui penitus ignoret. Cultura igitur, & educatione, nonnihil etiam temperamento, differunt magis, quam natura.

12. Ex quibus ego conficio esse communem quandam toti hominum generi rationem. Nam & similis in omnibus natura, ac sensus (4), & una ac uniformis ubique natura rerum (2), eademque oculis omnium objecta (3); & ratiocinandi facultas omnium (5). Ergo habent homines omnes, ut eandem semper ac constantem rerum naturam sensibus subjectam, ita communes quasdam ac constantes notiones. Iisdem præterea affectibus ac propensionibus subjecti, ac communi ratiocinandi facultate præditi, non possunt non in communibus quibusdam veritatibus perpetuo consentire. Ex quibus illud efficitur esse rectam quamdam rationem hominum omnium communem. Quod nisi esset, qui fieri unquam potuisset, ut aliæ cum aliis locis ac climatibus distantissimis nationibus societatem inirent, ac commercia agitarent? Id enim non magis fieri potuisset, quam inter sanos, & insanos, homines & pecudes, quibus nulla est communis ratio. Me elementorum angustiæ vetant, hac in re esse longiorem. Lectores, qui philosophari amant, ipsi per se hæc copiosius deducere possunt, potissimum si in humana historia fuerint versati.

III. Perceptio Philosophis est unius ideæ contemplatio, quin eam cum alia quacumque comparemus.

IV. Judicium est plurium idearum, earumque relationum clara atque evidens perceptio.

Scholion. Distinguendum est judicium a *dubio*, *opinione*, *fide*. Illud sic ego accipi velim, ut sit perceptio clara re-

lationis idearum: si obscura sit, aut nulla, *dubium* est: si minus ex una parte obscura, *opinio*: si nulla apud nos, sed alterius judicium pro nostro habeamus, *fides*. Ita judico, *totum esse qualibet sua parte majus*: dubito, *stellæ pares ne numero sint, an impares*: opinor, *esse in luna animantes*: credo, *ab Annibale apud Cannas exercitum Romanum internecino prælio trucidatum*.

V. Ratiocinatio est plurium judiciorum comparatio instituta ad id clare percipiendum, quod intuitione non perspicitur. Ea constat *principio*, *applicatione*, *consequentia*, aut, ut ajunt Græci, ηγυμενῳ, μεταληψι, επιφορα.

Scholion. Sunt hæ definitiones ex Malebranchio desumtæ (*a*). *Quum* v. g. inquit, bis *duo*, vel *quatuor percipimus, tum simplex est perceptio. Quum vero judicamus bis duo non esse quinque, quid in hoc negotio agit intellectus? id unum certe, percipit nimirum relationem paritatis, quæ est inter duo, & duo, aut bis duo, & quatuor: & relationem imparitatis, quæ est inter bis duo & quinque. Judicium igitur intellectus nihil aliud est præter perceptionem relationis, quæ inter duas, vel plures deprehenditur res. Sed ratiocinium est perceptio relationis, quæ inter duas vel plures relationes duarum vel plurium rerum deprehenditur*. Hæc ille. Quæ cum sint, qui potuit idem philosophus scribere, judicia pertinere ad voluntatem, non ad intellectum? id certe est notionibus suis turpissime implicari (1). Sed est in hac Malebranchii doctrina, quod aut minus sit verum, aut minus clarum. Enim vero non omnis perceptio relationis duarum idearum proprie judicium est, & appellari potest, ut superiori scholio dictum est: clara tantum & evidens judicium & est, & dici debet: obscura vero, aut *opinio*, aut *dubium*; ut perceptio idearum extremarum, sed non earum convenientiæ, aut repugnantiæ, siquidem convenientia, aut repugnantia ex alterius authoritate statuatur, *fides* (2). E. G. clare percipio A = B, aut A ≠ B, seu *intuitione* id efficiam, seu *ratiocinio*, judico. Si minime intueor clare, tum aut *opi-*

(a) *Lib.* 1. *de inq. ver. cap.* 2. §. 7.

(1) Non ego negaverim sæpe in Græcis Latinisque scriptoribus *judicium* & βȣλην, ac judicium & *voluntatem* una permisceri. Id tamen ita fit, quod illi vocabula βȣλη, & *voluntas* pro decretis acceperint, quæ non sine judicio & consilio fiunt.

(2) Vide quæ diximus in Arte Logico-Critica lib. 3. cap. 2. §. 6.

opinor, si quidem parva quædam, non illa tamen clara lux affulgeat: aut dubito, si nulla, vel utrinque æqualis: aut tandem credo, si ex alterius auctoritate id mihi persuadeam.

VI. Idea est forma quædam rei cujusvis, aut exsistentis, aut possibilis.

Scholion. Non heic persequar idearum genera, quod in arte Logico-Critica feci copiose. Unum tantum moneo, distinguere Philosophos solere inter ideas *intelligibiles*, νοηματα, & *phantasticas*, seu *materiales*, φαντασιας: illas enim vocant formas pure intellectuales, omnis concretionis corporeæ expertes: has impressiones in cerebro factas, seu ab objectis externis in sensus incurrentibus, seu ab actionibus ipsius mentis in cerebro. Quæ divisio, quod subboluit Cartesio in examine programmatis Belgici, nullo modo esse propria potest. Nam idea est forma exhibens rem quamdam, seu *ideatum*, sed exhibens menti perspicienti: dicitur ergo *idea* hujusmodi forma ex relatione ad mentem intelligentem. Jam nunc aut mens incorporea est, aut corporea. Si primum nequit suscipere, & intueri nisi formas pure intelligibiles, atque idcirco materiales formæ in cerebro descriptæ, quæcumque eæ sint, cum nequeant immediate esse menti præsentes, dici ideæ non possunt, nisi admodum improprie. Quod si corporea sit, tum nullo modo obversari ei possunt νοηματα, formæ intelligibiles, neque idcirco illæ sunt intelligibiles ideæ. Præterquam quod definiri prius oportet, ideæ, & perceptiones idem sint necne, ut possit divisio illa intelligi. Nunc vero cum id non constet, videri potest, eam divisionem vocabulis constare nihili. Interim hoc modo loqui oportet, ne susceptas disciplinas turbemus (1).

Ceterum quidquid sit de hujusmodi divisione, id certum est, non posse alio modo concipi a nobis ideas, nisi formarum, aut imaginum instar, quæ cum objiciuntur menti, res referunt, aut exsistentes, aut possibiles. Scilicet rerum aut exsistentium, aut possibilium perceptio non fit

 extra

(1) Vox ιδεα sæpius apud Platonem atque Aristotelem pro specie aliqua universali capitur. Dubio tamen vacat, Græcorum vulgus ita loquutum, ut quæcumque forma oculis adspiceretur, ιδεαν vocitarent; quo modo *speciem* a *specie* eodem sensu dixere Latini. Sed mox abstracte accipi cœptum est in scholis.

extra nos, ſed in nobis. Quum vero fieri nequeat, niſi intima conjunctione principiis intelligentis, aut cum rebus ipſis quas percipit, aut cum earum rerum imaginibus, quo modo diſputat Ariſtoteles, niſi *ideæ* ſint *imagines* & *formæ* rerum, oportet mentem noſtram cum rebus ipſis uniri; quod explicari non poteſt, niſi aut ope intellectus agentis Arabum, qui ſit toti naturæ creatæ infuſus; aut, quod abſurdius quoque eſt, ope Pythagorici, & Spinoziſtici ſyſtematis, ut non ſit alius intellectus noſter, niſi pars quædam Dei, aut Deus ipſe *per univerſam rerum naturam diffuſus, & commeans*. Spinoza enim ſic cenſet (a): *quod ad mentem humanam attinet eam etiam partem naturæ eſſe cenſeo; nempe quia ſtatuo dari etiam in natura potentiam infinitam* (intenſive, & extenſive reali extenſione) *cogitandi, quæ, quatenus infinita, in ſe continet totam naturam objective, & cujus cogitationes procedunt eodem modo, ac natura, & ejus nimirum idearum. Deinde mentem humanam hanc eamdem potentiam ſtatuo, non quatenus infinitam, & totam naturam percipientem; ſed finitam nempe, quatenus tantum humanum corpus percipit, & hac ratione mentem humanam partem cujuſdam infiniti intellectus ſtatuo*. Quæ cum ſint non minus abſurda, quam impia, nihil immutandum eſt de vulgari illa definitione.

VII. Memoriam vocamus facultatem ea iterum percipiendi, quæ alias ſunt a nobis percepta, ſed ita, ut nobis probe ſimus conſcii, fuiſſe ea alias percepta. Quocirca ſi ſenſus præteritæ perceptionis deſit, ea actio reminiſcentia dici nequit.

VIII. Reminiſcentia eſt actio ipſa, qua rem alias perceptam iterum percipimus cum ſenſu & conſcientia fuiſſe alias perceptam. Differunt igitur memoria, & reminiſcentia veluti *habitus*, & *actus*, ut nempe quod *habitu* eſt memoria, id *actu* ſit reminiſcentia.

Scholion. Ineſſe in ſingulis *reminiſcentiis* ſenſum veterum perceptionum, id clara intima conſcientia perſentiſcimus. Id explicatu difficilius videtur Philoſophis, unde is ſenſus proficiſcatur; neque enim eam rem ullo modo expe-

---

(a) *Epiſt.* 5.

expedire posse opinantur. Et certe seu e cerebri vestigiis exsistere dicas, seu e vestigiis sui generis, quæ post sensationes, & perceptiones fortassis supersunt in animo ipso, inextricabilibus implicaris quæstionibus. Nam cerebri vestigia perceptionem excitare posse, ut demus, non video qui possint reminiscentiam. Regeres, agnoscere mentem non recentia esse vestigia illa, sed vetera: rogo quibus tandem signis? Vide ut clare respondeas. Confugere vero ad vestigia in animo ipso fortassis insculpta, magis etiam mihi obscurum videtur, quam superius: enim vero nec quid sint hujusmodi vestigia, nec qualia, *actuosa* ne, an immobilia & inertia, explicari potest. Non desunt qui eum sensum, non minus quam sensum doloris, aut voluptatis a Deo repetunt (1). Argumentum rei inextricabilis perspicuum (2). Quæ omnia idcirco monui, ut habeant tirones philosophi exercendæ mentis argumenta. Ceterum de memoriæ natura in loco commodius.

IX. Vocamus facultatem sentiendi (3) eam, qua motuum in nervis, aut ab externis objectis factorum, aut à caussis in ipso nostro corpore exsistentibus excitatorum conscii sumus.

Scholion. Duo distinguere oportet in sensationibus, alterum, quod est corporis, alterum, quod ad animum pertinet. Ac in corpore est irritatio quædam, aut expansio telæ nervosæ, sine qua nulla in nobis gignitur sensatio. Nam hæc tela est ita sensationum omnium instrumentum, ut oculi visus, aures auditus. Hinc fit, ut eo læso, aut in aliqua sui parte, aut in omnibus, sensationes vel debili-

(1) Malebranchius.

(2) Dubitari non potest, quin sensus iste nascatur ex idearum concatenatione & identitate. Nulla enim idearum nostrarum est, quæ cum pluribus aliis περιστάσεων diversarum loci, temporis, personæ non sit conjuncta. Itaque ubi ad animum redit aliqua iis stipata *circumstantiis*, reminiscor: reminiscor vero fere numquam, si illæ oblsiteratæ sint. Hoc cogitanti non potest, non esse perspicuum. Sed necesse tamen est, ut eæ motiones, quibus idearum memoria excitatur, aut eædem sint cum illis; quæ olim eas ideas exhibuere, aut non multum ab illis dissimiles. Hanc hic identitatem, dico, idearum.

(3) Scholæ hic nos adigunt a latina vi atque elegantia verbi *sentire* abscedere: est enim hujus verbi mira prorsus in Latinis Auctoribus vis & intelligendi, & præsentiendi, & judicandi, & acute pervidendi.

bilitentur, vel omnino cessent; hinc, ut si nimium relaxetur, ut in profundo somno, aut in lethargo, sensationes evanescant. Ad animum pertinent *perceptiones doloris, & voluptatis, & sensus*, seu *conscientia irritationis corporeæ*, quæ singulas sensationes comitatur: nam, qui intendunt animum, intelligunt conjuncta quidem illa duo esse, sed distincta. Qui mentis humanæ essentiam in sola posuere cogitatione, ii sensum istum unum faciunt *ex modis cogitandi*. At nisi nobis ipsi illudere velimus, negare non possumus, *sensum* hunc longe diversæ naturæ esse a modis cogitandi, quod sensit Aristoteles in libris de Anima, Interim Philosophi isti, nisi dicere velint, sensum illum esse agitationem mediæ cujusdam Animæ, quum constet, mentem esse substantiam omnino inextensam, nihil superest, ut dicant, nisi esse *nescio quid*. Sed ea de re accuratius infra.

X. Facultas imaginandi dicitur ea, qua ideas corporeas absentium corporum nobis repræsentamus, varieque copulamus, augemus, minuimus, & qua res ipsas incorporeas sub corporeis imaginibus nobis depingimus. Vocari etiam solet *phantasia*.

Scholion. Non est ea *vocabuli* definitio, sed *rei*. Nam quod ea facultas nobis insit, intima conscientia scimus. Ut autem imaginationis naturam accuratius explicemus, paullo altius exordiemur. Sensationes omnes quædam sui vestigia, quæcumque ea sint, in nobis relinquunt, quorum vestigiorum ope possimus habere easdem perceptiones luminis, colorum, figurarum, distantiarum, sonorum, odorum, similium, etiam quum res illæ præsentes sensibus nostris non sunt. Perceptiones hujusmodi dicuntur imaginationes, phantasiæ, & phantasmata. *Phantasiæ* ita, ut *sensationes*, duas semper in nervosa tela agitationes excitant; unam qua phantasiæ sunt, quæ sine agitatione organi sensationum nemini mortalium accidunt: alteram, qua bona aut mala exhibent. Illa essentialis est omnibus sensationibus & imaginationibus: hæc accidit ab animi judicio, sine quo nullum aut bonum, aut malum a nobis reputatur. Posterior hæc *affectus* nomine venit.

Quibus ex rebus patet sensationes ab imaginationibus non differre, nisi diuturnitate, & vivacitate: diuturnior, & vivacior natura sua est *sensatio*; minus diuturna, minusque vivax *imaginatio*. Ex quo id intelligitur facillime,

quod

quod alibi animadvertimus (*a*), tum *imaginationes* pertinacissime pro *sensationibus* haberi, quum diuturnitate, & vivacitate sensationes ipsas adæquant. Sed eadem vi, qua præteritas sensationes mens sibi repræsentat, potest sibi effingere phantasmata similia, quæ scilicet numquam sensibus percepimus. Potest hæc phantasmata associare, augere, minuere, atque ita novas rerum formas sibi exhibere, quod faciunt Poetæ. Potest res ipsas incorporeas corporeis phantasmatibus exprimere, quemadmodum pictores exprimunt. Sed in omnibus his, ut fingere infinita, ita infinita peccare potest. (1)

XI. Vita posita est in actione aliqua perenni, quæ ex principio activo rei, quæ vivit, intrinseco manat, quæque cum sui sensu, seu conscientia conjuncta est.

Scholion. Non aliam vitæ notionem habent homines, nec in scientiis, quæ in hominum scholis traduntur, definitiones, nisi ex communi hominum notionibus accipi possunt. Unum ut observemus oportet, *vitæ* plura genera, quæ gradibus distinguantur, statui posse: nam & plantas, & brutas animantes, & homines, & dæmones (quo nomine bonos, malosque spiritus ex græcorum philosophorum usu intelligo) & Deum, vivere dicimus. Plantæ quidem vivæ appellantur, quousque vis plastica, quæcumque sit, eas permeat, & perenniter animat: brutæ vero animantes, quousque & vi eadem plastica & sensu præterea, atque motu spontaneo sunt præditæ. Hominum vita in eo brutorum vitæ præstat uno, quod ratione quoque utantur homines, ut sint in nobis duo vitæ genera, rationis una, animantis altera. At longe diversa Dæmonum vita, siquidem illi nullo ne tenui quidem corpore utuntur, esse de-

(a) *In Arte Logico-Critica*.

(1) Angelus a S. Joseph Carmelita in Gazophylacio linguæ Persicæ testatur se vidisse hominem, qui quum oppium persicum deglutisset, plures horas riserit invitus, ineptaque plurima ac obscœna effutierit. Coram se phantasmata adspiciebat quasi deambulantia; eaque monstrosa aut perridicula (pag. 260.); Chardinus testificatur id huic ipsi Carmelitæ contigisse (in Itinerario tom. 4. pag. 202.). Ac similia efficiunt apud nos spiritosissimi liquores, ut apud ceteras nationes oppium. Mirabilia sunt catalepticorum phantasmata. Sed & videre possimus, quid in hominibus possit phantasia in iis, in quibus deturbata est, quorum ubique magna est copia. Plurimum in his enarrandis oblectamenti videtur cepisse Henricus Morus lib. 1. de immortalitate animorum.

debet, ut penitus diversa, ac generis eminentissimi vita Dei. Sed in eo vitæ harum rerum omnium conveniunt, quod esse non possunt nisi *energiæ*, idest actiones, & quidem intrinsecæ, ac perennes, ut si eæ actiones interrumpantur, vivere continuo desinant. Quocirca, si quæ sunt, quæ vivunt quin ullius actionis perennis indicium præseferant, quemadmodum semina, & ova, dubitari non potest quin intrinsecus actione vitali agitentur, cujus nulla sint sensibilia vestigia.

XII. Appetitus, seu desiderium est propensio animi erga bonum aliquod perceptum, & ut præclare Chrysippus, *ratio actionem imperans* (a): Aversatio est quum animus refugit a malo aliquo percepto.

Scholion. Vis qua appetimus, aut aversamur, *bruta* est, idest, omnem usum rationis, & consultationis prævertit; sed non prævertit tamen omnem perceptionem; nam, ut ignoti nulla cupido, ita nullus ex ignoto metus. Veteres Philosophi appetitum diviserunt primum quidem in *rationalem*, & *animalem*; deinde animalem in *concupiscibilem* & *irascibilem*. Nec tantum objectis, sed subjectis quoque primos distinxerunt: nam *rationalem* in superiori animi parte, idest *intellectiva* locarunt, *animalem* in inferiori, idest *sensitiva* posuerunt. Hinc vero explicuere, ut iis videbatur, facillime, eam pugnam, quæ inter utrumque intercedit, quaque fit illud, quod Medea apud Ovidium pronunciat: *video bona proboque, deteriora sequor*, quodque Paullus Apostolus in epistola ad Romanos paullo pluribus dicit, *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum, illud operor*. Opinabantur nimirum inferiorem animi partem cum superiore pugnare, & ut Plato eleganter dicit, equum cum equite, *singulosque homines sibi ipsos hostes esse*, ἑκαστου αυτους σφισιν αυτοις πολεμιους, quæ sunt ejus verba in I. de Legibus. Inde est Horatii illud, *animum rege* (animum appetitum hunc intelligit concupiscibilem & irascibilem, qui affectuum sedes habetur), *qui nisi paret, imperat*. Quæ magnifica magis sunt, quam clara; nam quum anima sit incorporea & simplex substantia, vocabula partium inferioris, & superio-

(a) *Apud Plutarchum de Stoic. contrarietatib.*

rioris, *vocabula* videntur esse nihili. Ego qui in ea sum sententia mentem humanam dum corpori conjuncta est, nihil nec agere, nec pati nisi cum corpore, quo veluti instrumento utitur, rem sic explico. Ex singulis phantasiis totidem nascuntur in tota tela nervosa, qua præcipue continetur vita animalis, irritationes, eæque in ratione sunt *intensitatum perceptionum* bonorum, vel malorum; quas perceptiones bona, aut mala *repræsentata* voco. Jam quum bonorum, aut malorum *repræsentatorum* intensitas non sit æqualis ob eas res, quas loco suo explicaturi sumus; fit ut, ne irritationes quidem illæ sint æquales. Jam in ratione irritationum illarum excitantur in nobis sensus voluptatis, aut doloris: qui & ipsi inæquales plerumque sunt. A sensu doloris, vel voluptatis intensiore semper vehementior excitatur appetitus; ergo appetitus excitatur in ratione *bonorum* aut *malorum repræsentatorum*, idest in ratione intensitatum commotionum, atque idcirco *perceptionum*. Itaque si contingat, ut eodem tempore duo diversa objecta utrumque bonum videantur, ut A, B; A quidem animi, B vero corporis, hocque intensitatis *6*, illud 4 percipiatur; consequetur, excitari appetitum erga A propensione, ut 4, erga B, ut *6*, quæ est appetituum pugna: quos appetitus impetus si libertas, ut sæpe compescere potest, ita sequatur, iique extra regulam sint, fit ut contra rationem agamus: atque hoc est *videre bona*, *deteriora sequi*, *& legem sensuum* adversus *legem mentis* prævalere.

Malebranchius (*a*) duo alia inclinationum genera ponit, *congenitas*, *& acquisitas*, atque primas *naturales* appellat. Operæ pretium est integrum ejus locum transcribere: *Si Deus*, inquit ille, *quum hunc mundum creavit*, *materiam undequaque immensam creavisset*, *nec ullam ei vim motricem indidisset*, *nulla profecto corporum varietas provenisset*. *Totus potius adspectabilis hic mundus nihil etiamnum esset*, *nisi pondus iners*, *vastaque moles*, *quæ demonstraret quidem summam Dei potentiam*, *& magnitudinem*, *sed nulla formarum distinctus varietate*, *nulla rerum successione*, *qua universitatis rerum pulchritudo continetur*, *procedens*, *nulla etiam divinæ sapientiæ indicia præberet*. *Sunt autem in spiritibus propensiones & inclinationes in hoc intelligentiarum mundo*,

---

(a) *Lib. 4. de inquirenda veritate cap. 1.*

do, quod motus in mundo corporeo. Itaque nisi spiritus hujusmodi præditi essent inclinationibus, nihil quidem illi unquam appeterent, vellentque, nullaque esset in spirituum mundo actionum ea varietas, quæ mentes rapit in admirationem quum divinæ sapientiæ, tum quoque ejus misericordiæ, justitiæ, bonitatis, atque ceterorum Dei attributorum. Discrimen itaque inclinationum efficit haud dubium in spiritibus, quod motionum varietas in corporibus, atque unica hac re tota creaturarum pulchritudo efficitur, & continetur.

Pergit porro, ac quæ tandem hujusmodi sint inclinationes, ut detegat, hunc in modum ratiocinatur. *Inclinationes naturales spirituum non possunt aliud esse, præter quam continuatæ impressiones voluntatis Dei, a quo illi creati sunt & conservantur: quocirca oportet, ut sint ea consentanea finibus Creatoris: ergo spectant & Dei gloriam, & spirituum ipsorum conservationem. Velle enim non potest Deus, ut quæ creata sunt voluntates in alia bona vehementius rapiantur, quam in Deum ipsum ... Nihil igitur imprimit in mentibus Deus, quam amorem erga Deum, quo & ipsum & cetera propter ipsum amamus. Est autem is amor, quod principium est ceterorum peculiarium amorum nostrorum, amor ipsius boni, seu boni generatim sumti, summi boni.* Hæc autem est prima naturalis inclinatio ceterarum fons secundum Malebranchium. Altera vero est inclinatio, qua studemus nos conservare, seu nostri ipsorum amor. Ac ita quidem his de rebus disserit vir doctus, ut eas inclinationes velut naturæ rationalis quasdam, ut ita dicam, *leges mechanicas* videatur habere: nam *mechanica lex* ea Philosophis dicitur, cujus nulla est in natura causa anterior, sed quæ sola Dei voluntate & existit & conservatur (a). Nec is primus est, qui exemplis e legibus corporum mechanicis deductis, animi humani propensiones explicare studuerit: nam B. Augustinus, cujus hic principiis totum systema suum inædificavit, in *Confessionibus* eodem prorsus exemplo utitur, *ponderibus*, inquit, *suis aguntur omnia. Amor meus pondus meum: illo feror, quocumque feror*. Ut, si Newtoniana calluisset, potuisset dicere, esse in mentibus amorem, & odium, quæ sunt in corporibus vires centripetæ, & centrifugæ. Hoc distant, quod illa libertati subsunt; hæc naturæ necessitati parent.

Inte-

(a) *Vide Wolfium in Cosmologia.*

Interim sunt philosophi, ac ii quidem graves, qui ab hac doctrina dissentiunt. Putant enim omnes hominum inclinationes *ex usu vitæ* nasci, consentaneas tamen naturæ, idest nullam in partem nos flecti antecedente vi, sed tum demum, quum aliqua nos aut rei alicujus idea, aut naturæ indigentia, permovet. Nempe quum ita sit natura humana comparata, ut voluptate conservetur, dolore destruatur: adeoque dolore, & voluptate impellatur ad objecta vitæ consentanea, retrahatur a noxiis; hinc efficitur, ut commercio, & usu rerum inclinationes, aut aversationes nascantur erga eas res, quæ vitæ sunt consentaneæ, aut ab ea aversæ. Nempe naturæ ipsius sensu quodam interno quisque amat esse, agere, vivere, idest exsistere, nec exsistere modo, sed cum commoditate, ac beate quoque exsistere: sed hic naturæ conatus, sensus, & amor, quo nullus in natura nostra prior concipi potest, non persentiscitur, nisi irritatione aliqua instrumenti, qua anima utitur, corporis scilicet. Hæc irritatio aut internis fiat caussis aut externis, non compescitur, nisi aut bona adepti fuerimus, aut mala evitaverimus. Inde fit, ut quum usu vitæ externa didicerimus bona, aut mala, in ea feramur, incipiamusque amare beatitudinem, & ipsum bonum, aversari vero miseriam. Quod si, inquiunt, ingenitæ sunt naturæ nostræ propensiones quædam, aguntque ante omnem vitæ usum, *brutæ* ne eæ sunt, idest tales, quæ prævertant perceptionis, & rationis usum, an *rationales*, quæ scilicet ex ideis boni, vel mali oriuntur? primæ quidem naturæ potius corporeæ essent, quam animalis, ac rationalis: posteriores innatas supponunt notiones; quas quum isti disterminaverint, consequitur nec illas esse ullas. Ego non dubito, quin prior illa opinio similior sit vero: ingenitas nempe esse vires illas: sed esse tamen puto instar virium corporum elasticarum, quæ sunt quidem in corporibus perpetuo: minime tamen agunt, nisi premantur. Vires igitur illæ naturæ humanæ irritatione aliqua excitantur (1).

XIII.

(1) Non multa meditatione indigemus, qua intelligamus, natura ipsa fieri, ut 1. *esse velimus*, 2. *& bene esse*, 3. *& beate*. Nam principio nihil natura nostra vehementius abhorret, quam *non esse*: secundum hæc, *non bene esse*: tandem *non esse beate*. Aristoteles mortem *terribilium omnium extremum* vocat, ac vere, & eleganter vocat. Hinc nullum est malum, aut periculum, quod ho-

XIII. Voluntas est *appetitus rationalis*, *ac libertati parens*.

Scholion. Hic voluntatem a libertate distinguo, duasque habeo potentias, licet inter se conjunctas, *appetendi* alteram cum consilio, alteram *eligendi*. Appetitus sine ulla animi ratione, voluntas a nobis non dicitur, sed mechanica propensio, affectus, &c. Is igitur appetitus *voluntatis* a nobis nomine insignitur, qui rationalis sit ac libertati obediens. Hinc voluntatem nisi mentibus, nulli alteri animanti tribuere solemus. Quod ut intelligatur apertius, ex nostri ipsorum conscientia, quinque, quorum alterum ex altero nascatur, in hoc negotio sunt distinguenda. I. Intellectus seu vis percipiendi, & cogitandi: II. Perceptiones boni vel mali, quæ potentiæ intelligendi sunt actiones. III. Inclinationes, aut aversationes, seu appetitus ex iis perceptionibus nati: IV. Potentia eligendi, vel fugiendi ex ratione: V. Electio ipsa, aut fuga. Eorum quartum mihi *libertas* est, tertium voluntas. Scio hæc sæpe permisceri quum in Græcis, tum in Latinis scriptoribus: id quod fit, quod libertas voluntatem, seu appetitum rationalem moderetur, nullaque sit voluntas sine liber-

---

homines non invadant audentissime, quum de morte evitanda agitur; tum enimvero omnes animi corporisque vires explicantur. Quin numquam homines quantum ingenio corporeve valeant plene dignoscunt, quam quum in ingentibus periculis versantur. Plenæ sunt horum exemplorum historiæ, præsertim navigantium. Jam quantopere *non bene esse* reformidat humana natura, inde intelligi potest, quod nihil ferme agamus, aut omittamus, nisi animi ac naturæ inquietudine, dolore scilicet ac ægritudine commoti. Nulla est molesta perceptio, quam non statim ex animo ejicere velimus: nullus, ne exiguus quidem corporis dolor, quem non depellere. Ac sumus adeo interdum delicati, ut minus etiam jucundas perceptiones, si jucundiores nobis suppetant, continuo fastidiamus, & nisi ejecerimus, tristemur. Tandem eodem naturæ impetu fit, *beati esse velimus*, idest quum omnis ægritudinis ac molestiæ vacui, tum ab omni dolore liberi; ac postremo lætitia, atque voluptate diffluentes. Itaque & in jucundis perceptionibus hæremus lubenter, & iis privari timemus, &, si subducantur, ægritudine statim corripimur molestissima. Tum ingentes quoque labores subire parati sumus, si ii ad hanc qualemcumque beatitudinem quidquam conferre arbitremur; & ab omni etiam levissima cura refugimus, si in id animum induxerimus, turbari illa animi quietem & pacem. Quocirca tria illa, *esse*, *bene esse*, *esse beate*, naturalia omnibus sunt hominibus, ex naturæ ipsius humanæ structura quasi emergentia: ingenita ergo hoc pacto sunt. Sed ejusmodi tamen vires nisi pressione non excitantur: pressio ægritudo est ac dolor: hæc irritatione instrumenti generantur: qua de re alibi.

libertate. Jam quum voluntas non constet sine ratione: inde factum quoque est ut apud Græcos βυλη, βυλησις; & βυλημα sæpe pro *consilio* capiantur, βυλομαι vero pro *consultare*. Nam illud Homeri initio Iliados Διος δ' ετελειετο βυλη, Dei *consilium*, ac, ut nostri loquuntur, *decretum* (nam nullum est sine consilio decretum; ut ipsa *vox indicat*) latinis sonat. Quin βυλη, & βυλομαι sæpius consilium & consultare, quam *determinare*: θελω, & θελημα potius determinare, & determinationem significant. Sed non raro permiscentur.

Jam voluntatem appetitum esse atque rationem, veteres illi nostri Theologi, Philosophique Scholæ Peripateticæ pluribus & sæpe docent, in primis S. Thomas; quorum loca supervacaneum fuerit hic exhibere. At idem constanter docuerat Aristoteles, cujus hic est insignis locus ex primo *Magnorum Moralium* libro cap. XIII. Postquam scilicet dixisset nihil unquam nos agere, nisi appetitu permotos, subdit, ορεξεως δε εςι ειδη τρια, επιθυμια, θυμος, βυλησις, *appetitus quidem tria sunt genera, cupiditas, impetus irascibilis, & voluntas*. Hos nostri appellant, *concupiscibilem, irascibilem, rationalem*. Hinc idem Philosophus *lib*. II. Eudemiorum cap. VIII. initio nihil esse voluntarium, nisi quod est cum ratione, docet, λειπεται, inquit, εν τῳ διανοεμενον πως πραττειν ειναι το εκεσιον, *superest, ut in eo, quod cogitando quis efficit, situm sit voluntarium*. Quo ex loco licet intelligere, qua re Aristoteli hic appetitus, quem ille βυλησιν appellat, ab iis differat, quos *cupiditatem, & impetum irascibilis vocat*, ratione nempe: quum illi εξαιφνης, ut ait, *subito* exsistant, ac βυλην prævertant, seu rationis consilium & decretum. Atque hinc quoque est, quod ille quum alias, tum lib. II. Ethicorum Nicomachiorum c. II. scribit, το δε δι' αγνοιαν, ουκ εκεσιον μεν απαν εςιν, *quod fit per inscientiam fit omne illud quidem non sponte*. Sed illud quoque observatum velim, verbum *velle*, atque inde derivatum nomen *voluntatem* latinis tria præcipue significare, *cupere appetitum*: *probare*, ac *approbationem*; &, *imperare*, ac *imperium*, quarum rerum exempla hic non afferam, quum prostent passim in latinis auctoribus. Sumta cum primo sensu ad hanc voluntatis definitionem spectant: cum aliis usum libertatis denotant, cujus proprium est imperare.

Hæc paullo latius deduxi, ut philosophus intelligat, quum

quum in græcis gentibus ita vocabula hæc, quæ nos rixis agitant, usurpata primum fuerint; atque hinc in latinas manaverint, unde & scholæ nostræ, & major Europæarum nationum pars acceperunt; cum eadem mente a nobis esse accipienda, dum veteres quæstiones pertractamus, aut antiquos auctores in partes trahimus.

XIV. Libertas est illa mentis facultas, potestas, vis, qua possumus quidpiam eligere, aut fugere, prout nobis ex ratione boni, vel mali, adeoque voluntate nostra, libitum fuerit. Eum igitur nos liberum dicimus, qui ex boni vel mali ratione, seu ex judicio & voluntate sua quidpiam operatur: qui vivit, ut vult; vult autem, ut cogitat: eum vero minime liberum, cujus agendi causa est aut motio vel *passio* sine ratione, aut non sua ratio, & judicium, quique idcirco non ipse, nec cum voluptate, sed violenter, & ægre agit (*a*).

Schol. Nulla res est, cujus tam diversas notiones homines alioquin perspicaces, & docti sibi confecerunt; quamquam eos magis vocabulis, quam re, dissentire putaverim, si eos excipias, qui omnem omnino libertatem perimere irrito conatu, ac reluctante natura, studuerunt. Sunt enim, qui libertatem locant *in facultate agendi, aut cessandi ex voluntate* (*b*). Alii vero in facultate agendi, aut cessandi secundum determinationes cogitationum nostrarum. Nempe singulæ ferme nos phantasiæ atque ideæ commovent boni vel mali adspectu, nec tamen æque commovent. Fit ergo, ut cogitationum nostrarum aliæ aliis intensitate præstent, atque, ut hæ potius inde appetitiones, quam aliæ manent: hinc agere, libertatis esse existimant (*c*). Alii in facultate eligendi ex consultatione (*d*). Alii in facultate eligendi super bonis minime infinitis (*e*). Quæ omnes definitiones vocibus potius, quam in re ipsa differunt. Spinoza libertatem generatim definivit his verbis: *ea res libera dicetur, quæ ex sola suæ naturæ necessitate existit, & a se sola ad agendum determinatur:*

(a) *Vide Arist. lib. III. Eth. Nicom. initio.*

(b) *La Placette Eclaircissement sur la liberté p.* 2. *Jaquelot de l'existence de Dieu pag.* 381.

(c) *Locke Essai de l'Entend. lib.* II. *cap.* XXI. §. 8.

(d) *Alexander Aphrodis. de Fato.*

(e) *B. Th. p. part. q.* 82. *art.* 2. *in corp.*

natur: necessaria autem, vel potius coacta, quae ab alio determinatur ad exsistendum, & operandum certa ac determinata ratione (a). At *alibi* dum hominem liberum memorat, eum esse dicit, *qui ex solo rationis dictamine vivit* (b). Ex quo consequi videtur ei humanam libertatem acceptam fuisse pro *facultate agendi ex dictamine rationis*.

Ego in omnibus his non parvam inesse obscuritatem video. Libertatem isti non ex eodem adspectu omnes contemplati sunt: inde notiones variae, & concertationes aeternae. Quo igitur hanc rem prout sentio explicem, paucis comprehendam. In primis tria sunt in homine distinguenda, *vis quaedam activa*, *potestas eam regendi*, & *motiva*, quibus ea vis determinatur ad hoc potius, quam aliud objectum. Inesse homini vim quamdam activam, inter comperta habeo. Quum autem vis nulla activa determinata simul esse possit in omnes partes, si talis vis in homine inest, quae nunc in hanc partem, nunc in aliam inclinatur, idest, quae non sit unum in modum determinata, necesse est, & altera vis sit eam moderans, & motiva quaedam, quibus illa determinetur. Ac eam vim determinantem, & moderantem nobis inesse id perspicuum efficit, quod nec ingenii nostri vires, nec corporis unum in modum a natura determinatae sint; determinenturque a nobis huc illuc quotidie. Sed non determinatur tamen sine motivis aliquibus. Jam duorum generum ea *motiva* esse possunt, *ratio*, & *passio*. Quum vis hominis activa passione determinatur, idest actione & vi aliarum rerum externarum, aut ipsius corporis interna motione, necessaria est, & mechanica: si ratione, ejusque appetitu, libera. Quaestio ergo, utrum ulla sit in homine libertas, huc redit, determinetur ne semper homo a *passionibus*, an aliquando etiam a propria ratione & voluntate? Si primum constiterit, actum erit de humana libertate: si posterius liberi erimus; quia scilicet poterimus vivere ut velimus. Praeterea nisi quoque distinguatur inter libertatem ipsam, & ejus usum, in multis nos implicari quaestionibus minime necessariis oportet. Ex. gr. B. Thomas, qui in prima parte Summae Theologicae Quaestionibus LXXXII. & LXXXIII. acutissime his de rebus disputat, atque, me saltem auctore ceteris accuratius, & solidius, duas in

---

(a) *Eth. part. 1. def.* (b) *Eth. part. 4. in demonst. prop. 67.*

in primis quæſtiones ex Ariſtotelis genio ponit, una, *ſit ne libertas potentia cum habitu conjuncta?* altera, *libertas & voluntas ſint ne duæ potentiæ?* Utrumque negat. Scilicet ei & libertas & voluntas una eademque ſunt potentia; & hæc potentia nec habitus eſt, nec cum habitu conjuncta. At diſtinguere oportuit. Libertas enim ab uſu velut abſtracta & ſeparata, nec voluntas eſt, nec habitus, ſed δυναμις, *poteſtas:* uſus autem libertatis, & cum voluntate, & ſæpe cum habitu eſt conjunctus. Ex quibus & id intelligitur facillime, ad libertatem generatim ſumtam pertinere quidem illa libertatis genera, quæ *a coactione*, & *a neceſſitate* naturæ, & *indifferentiæ* dicuntur: ut ſcilicet vis hæc hominis activa nec ab externis cauſis neceſſario, nec ab ulla naturæ ſuæ neceſſitate determinetur: reliqua vero genera, quæ dicuntur *contradictionis*, *contrarietatis* ſolum ſpectare uſum libertatis: quæ ſi probe obſervaſſent philoſophi noſtri, magnam, opinor, partem quæſtionum vocabulorum reſecare ex ſcriptionibus ſuis potuiſſent (1).

XV.

(1) Latini liberum hominem dicebant aut eum qui ita eſſet ſui juris, ut nulli eſſet ſubjectus, quo nomine veniebant cives omnes; aut qui licet patrio juri ſubeſſent, tamen ingenui eſſent, qui liberi & filii ingenui dicebantur. Ea legibus Romanis conſtabant. Mercurius rogat Soſiam in Amphitrione, *liber* es, an *ſervus?* Soſ.

Utcumque animo collibitum fuerit meo.

Hujuſmodi ergo libertas erat immunitas ab heri jure: eique ſervitus opponebatur.

Græci hos homines ελευθερυς, & ελευθεριυς frequentius vocabant: ſervos δυλυς, θεραποντας. Illos etiam αυτοκρατορες, ſui dominos, αυτεξυσιυς, ſuæ poteſtatis, αυτονομυς, qui ipſi ſibi eſſent lex, αυταρχυς, quaſi ſui ipſorum principes: conſentaneiſque nominibus hos.

Iidem Græci, in primis philoſophi, hanc animi vim, qua efficere quidpiam, aut non, poſſumus, prout lubet, εκυσιον appellant & αυτοματον, quaſi ſponte ſua atque ipſum ſe cientem e quibus ακυσιον, invitum perpetuo opponit Ariſtoteles. Nam illud εκυσιον non ego ab εκων, ſed εξ υσιας derivaverim; ut id ſit ſpontaneum, quod ab interna ſubſtantia proficiſcitur, ut diſputat Ariſtoteles. Hoc autem εκυσιον *ſpontaneum* tum demum voluntarium & liberum habet, ſi nec επιθυμια, nec θυμῳ, nec *cupiditate*, nec *iræ impetu* excitetur agaturque, ſed ex ratione. Huic animi libertati neceſſitatem opponi docebant; eamque eſſe aut αναγκην τυ παντος υλικην, fatum materiæ univerſi mundi, aut βυλην Deorum, μοιραν, Parcam, ειμαρμενην, προνοιαν; aut επιθυμιαν & θυμων, impetus nempe naturæ vel aliquid concupiſcentis, vel in aliquid inſilientis ſubito & præter rationem, hocque dicebant ακυσιον, invitum.

Latini veteres libertatem *poteſtatem vivendi*, *ut velis*, dixere, eamque, quæ ei opponeretur, neceſ-

XV. Habitus sunt facilitates ex naturæ humanæ, longa disciplina contractæ, quibus actus aliquos seu internos cogitationum & voluntatum, seu etiam externos linguæ, manuum, &c. expeditius edere possumus.

Scholion. Hujusmodi facultatum esse naturam humanam patientem, nemo est, qui possit inficiari, nisi fortassis, qui nondum aut sui, aut aliorum ullam habuit notitiam. Sed illud non omnes animadvertunt, hominem, quantus quantus est, nihil aliud esse præterquam habituum congeriem: hominem autem quum dico, non hoc tantum animal intelligo *mente divina*, & corpore præditum, quem *naturalem hominem* appellare possis: sed *hominem civilem*, cujus velut rudis quædam materies homo ille est *naturæ*. Atqui ego id pono inter *naturalem* illum, & hunc *civilem* discrimen, quod inter rude metallum ac inde confectam statuam. Porro e naturali civilem hominem soli efficiunt habitus quum qui intellectum & voluntatem, tum etiam qui corpus spectant. Jam habitus *continuatione actuum* acquiri vetus est philosophorum effatum & verum: nempe ut tenellæ plantæ inflexione continuata eum acquirunt situm, quo dirigit agricultor, ita humana natura quum quidpiam sæpe efficit, eo inclinatur, ut velut pondere quodam pertrahatur, & lubentius ac facilius repetit. Natura certe nostra quum esse incipit, nulla insita vi ullibi flectitur, nisi ad se conservandum, ut superius dictum est: propensiones commercio mundi acquirit. Si quam in partem sæpius aut ab objectis externis, aut ab internis animi cogitationibus impellitur, in eam fit propensior; ea propensio continuatis actibus confirmata *habitus est*, & quidem, ut inquiunt, altera natura,

---

cessitatem, *vim*, *sæpe fatum*, *aut voluntatem deorum*, *providentiam*, *consilium*, quum esset externa: si ab ipsa humana natura efficeretur, *impetum*, *instinctum*, *cupiditatem*, *iram &c.* Sequiores, quam illi libertatem, *liberum arbitrium*, dixerunt, ac, ut mihi quidem videtur, cogitate. Tacitus Ann. XI. init de Claudio, *liberum ei* (Asiatico) *mortis arbitrium permisit*. *Arbitrium* quidem, quia hæc libertas nemini constat sine rationis consilio: *liberum* vero, quod ipsum sui juris esse debeat, ut hoc nomen tueatur.

Omnes ergo Græci Latinique auctores ea voce vim & potestatem rationalem agendi, aut cessandi, quæ ipsa semet agat, intelligunt.

Sed quoniam eam quidam cum voluntate, seu appetitu perturbarunt: alii cum ratione, qua arbitramur: alii cum causa, qua excitatur, aut adjuvatur: alii cum altera illa civili libertate, aliique alias: inde factum put[illegible] [illegible]r pars litium sit nata.

Quam licet expellas furca, tamen usque recurrit.

Quocirca inde petenda ratio. I. Cur habitus nonnisi diuturna actuum continuatione acquirantur. II. Cur ii facilius, quorum exercitatio cum voluptate est. III. Cur ii expeditius, qui phantasia, aut corpore magis, quam mente constant; contra hi difficilius. IV. Cur *habitus intellectuales* & difficillime acquirantur, & facillime deleantur. V. Cur infantes & pueri aptiores sint excipiendis habitibus, quam ætate maturi. Præterea quum quantitas virium naturæ humanæ finita sit; inde etiam patet & hoc aliud phænomenon, cur natura nostra quum tota unum in habitum incumbit, inepta brevi tempore aliis evadit: quemadmodum si quis vim habeat motricem = 4, dum 4 viribus dextero brachio aliquid urget, nihil conari altero potest. Nec difficilius erit aristotelicum illud theorema intelligere, quod pluribus ille in secundo Nicomachiorum explicat, *nullum esse posse ingenitum habitum*. Quod si quis roget, qui hæc doctrina stare possit cum *infusis*, ut ajunt, *theologicarum virtutum habitibus*, qui nullo exercitio contrahuntur, is sciat naturam omnem ita Deo rerum opifici, & moderatori subesse, ut quod nos inflectere nonnisi paullatim & lente queamus, sola ille voluntate statim flectat: res enim omnes id sunt, ac illico sunt, quod, ut sint, ille vult.

XVI. Irritabilitas aut *mechanica* est, aut *animalis*. Irritabilitas mechanica est ea vis, qua quædam corporis animalis partes, veluti nervi, & fibræ, membranæ perstrictæ coarctantur ac quasi oscillant lentius aut velocius, prout minus aut magis vehementer perstringuntur.

Scholion. Hanc vim inesse in corporis animalis nervis, iisque partibus omnibus, ad quas nervi pertingunt, luculentis constat experimentis. Sed est & sua quoque irritabilitas in quibusdam plantarum partibus, veluti fibris, foliis, aliisque, ut quandoque pulsatæ aut coarctentur, aut palpitent.

XVII. *Irritabilitatem animalem* voco eam vim, qua doloris aut voluptatis sensum, ex mechanica irritabilitate animantia persentire possunt.

Scholion. Constat experimentis, nullam irritationem in animantis nervis gigni, quin sensus aliquis doloris aut voluptatis repente exsistat. Utramque igitur irritabilitatem perpetuo in nobis jungi in exploratis est.

XVIII.

XVIII. Ideæ irritantes sunt eæ omnes, ex quibus irri-
tio aliqua animalis in nobis gignitur.

bolion. Hujus rei respectu tria sunt distinguenda idea-
genera: nam quædam ita nobis nec bonæ, nec malæ
ntur, ut præter irritationem mechanicam sensuum,
us percipiuntur, aut cerebri, in quo excipiuntur, nul-
animalem gignant. Has *indifferentes* dicemus. Aliæ
apparent, eæque jucundam excitant irritationem.
postremo malum aliquod exhibent, ac irritationem
stam pariunt. Nullæ igitur sunt nec jucundæ, nec
stæ, quæ non aliquid boni aut mali respectu ad no-
felicitatem præseferant.

IX. Voluptas est omnis sensus jucundus, quo natura
retitur, ut nolit eo privari. Dolor contra omnis mo-
s naturæ sensus, quem depellere gestit.

bolion. Necesse autem non est, ut hic animi volupta-
voluptatibus corporis, animi a corporis dolores se-
am: sunt enim omnes animi, aut naturæ sentientis:
o autem corpori sentientem unquam naturam tribuit.
r definit Aristoteles Rhetoricorum I. cap. XI. κινησιν
της ψυχης αισθητην *quandam animæ motionem sensi-
m*, εις την ὑπαρχουσαν φυσιν, *quæ convenienter naturæ
occupat*: λυπην δε, τουναντιον, *dolorem vero contrarium*.
are quum latinum *voluptas*, tum græcum ἡδονη, ac
, non corporis tantum voluptates significat, sed utras-
, si ita partiri placet; quemadmodum constat ex usu
strium scriptorum perpetuo, ut non videam quid causæ
erit Ciceroni eam ob rem tantam Epicuro litem mo-
ndi, quasi ἡδονη solas corporis voluptates sonet (a).
uod si, quemadmodum dixi, partiri velimus, non sub-
cto, nec sensu alias ab aliis separabimus, sed causis tan-
m: corporisque dicemus, quæ a corporeis causis originem
rahunt: animi, quæ a cogitationibus, phantasiis, ideis.

XX. Affectus (παθη) voco eas jucundas aut molestas
naturæ humanæ commotiones, quæ ex perceptione boni
vel mali nascuntur, quæque nos vehementius, quam na-
turæ æquabilitas fert, agitant, quales sunt amor, metus,
ira, similes (1).

D 2 Scho-

(a) *Vide adnot. ad def.* 23.

(1) Naturam humanam, quo ut conservetur, id postea demon-
loco est, indigere affectibus, straturi sumus. Sed quoniam sunt

in primis quæstiones ex Aristotelis genio ponit, una, *sit ne libertas potentia cum habitu conjuncta?* altera, *libertas & voluntas sint ne duæ potentiæ?* Utrumque negat. Scilicet ei & libertas & voluntas una eademque sunt potentia; & hæc potentia nec habitus est, nec cum habitu conjuncta. At distinguere oportuit. Libertas enim ab usu velut abstracta & separata, nec voluntas est, nec habitus, sed δυναμις, *potestas:* usus autem libertatis, & cum voluntate, & sæpe cum habitu est conjunctus. Ex quibus & id intelligitur facillime, ad libertatem generatim sumtam pertinere quidem illa libertatis genera, quæ *a coactione*, & *a necessitate* naturæ, & *indifferentiæ* dicuntur: ut scilicet vis hæc hominis activa nec ab externis causis necessario, nec ab ulla naturæ suæ necessitate determinetur: reliqua vero genera, quæ dicuntur *contradictionis*, *contrarietatis* solum spectare usum libertatis: quæ si probe observassent philosophi nostri, magnam, opinor, partem quæstionum vocabulorum relecare ex scriptionibus suis potuissent (1).

XV.

(1) Latini liberum hominem dicebant aut eum qui ita esset sui juris, ut nulli esset subjectus, quo nomine veniebant cives omnes; aut qui licet patrio juri subessent, tamen ingenui essent, qui liberi & filii ingenui dicebantur. Ea legibus Romanis constabant. Mercurius rogat Sosiam in Amphitrione, *liber es, an servus?* Sos.

Utcumque animo collibitum fuerit meo.

Hujusmodi ergo libertas erat immunitas ab heri jure: eique servitus opponebatur.

Græci hos homines ελευθερους, & ελευθεριους frequentius vocabant: servos δουλους, θεραποντας. Illos etiam αυτοκρατορες, sui dominos, αυτεξουσιους, suæ potestatis, αυτονομους, qui ipsi sibi essent lex, αυταρχους, quasi sui ipsorum principes: consentaneisque nominibus hos.

Iidem Græci, in primis philosophi, hanc animi vim, qua efficere quidpiam, aut non, possumus, prout lubet, εκουσιον appellant & αυτοματον, quasi sponte sua atque ipsum se cientem e quibus ακουσιον, invitum perpetuo opponit Aristoteles. Nam illud εκουσιον non ego ab εκων, sed εξ ουσιας derivaverim; ut id sit spontaneum, quod ab interna substantia proficiscitur, ut disputat Aristoteles. Hoc autem εκουσιον *spontaneum* tum demum voluntarium & liberum habet, si nec ευθυμια, nec θυμῳ, nec *cupiditate*, nec *iræ impetu* excitetur agaturque, sed ex ratione. Huic animi libertati necessitatem opponi docebant; eamque esse aut αναγκην του παντος ολικην, fatum materiæ universi mundi, aut βουλην Deorum, μοιραν, Parcam, ειμαρμενην, προνοιαν; *aut* ευθυμιαν *&* θυμον, impetus nempe naturæ vel aliquid concupiscentis, vel in aliquid insilientis subito & præter rationem, hocque dicebant ακουσιον, invitum.

Latini veteres libertatem *potestatem vivendi, ut velis*, dixere, eamque, quæ ei opponeretur, neces-

XV. Habitus sunt facilitates ex naturæ humanæ, longa disciplina contractæ, quibus actus aliquos seu internos cogitationum & voluntatum, seu etiam externos linguæ, manuum, &c. expeditius edere possumus.

Scholion. Hujusmodi facultatum esse naturam humanam patientem, nemo est, qui possit inficiari, nisi fortassis, qui nondum aut sui, aut aliorum ullam habuit notitiam. Sed illud non omnes animadvertunt, hominem, quantus quantus est, nihil aliud esse præterquam habituum congeriem: hominem autem quum dico, non hoc tantum animal intelligo *mente divina*, & corpore præditum, quem *naturalem hominem* appellare possis: sed *hominem civilem*, cujus velut rudis quædam materies homo ille est *naturæ*. Atqui ego id pono inter *naturalem* illum, & hunc *civilem* discrimen, quod inter rude metallum ac inde confectam statuam. Porro e naturali civilem hominem soli efficiunt habitus quum qui intellectum & voluntatem, tum etiam qui corpus spectant. Jam habitus *continuatione actuum* acquiri vetus est philosophorum effatum & verum: nempe ut tenellæ plantæ inflexione continuata eum acquirunt situm, quo dirigit agricultor, ita humana natura quum quidpiam sæpe efficit, eo inclinatur, ut velut pondere quodam pertrahatur, & lubentius ac facilius repetit. Natura certe nostra quum esse incipit, nulla insita vi ullibi flectitur, nisi ad se conservandum, ut superius dictum est: propensiones commercio mundi acquirit. Si quam in partem sæpius aut ab objectis externis, aut ab internis animi cogitationibus impellitur, in eam fit propensior; ea propensio continuatis actibus confirmata *habitus est*, & quidem, ut inquiunt, altera natura,

cessitatem, *vim*, sæpe *fatum*, *aut voluntatem deorum*, *providentiam*, *consilium*, quum esset externa: si ab ipsa humana natura efficeretur, *impetum*, *instinctum*, *cupiditatem*, *iram &c.* Sequiores, quam illi libertatem, *liberum arbitrium*, dixerunt, ac, ut mihi quidem videtur, cogitate. Tacitus Ann. XI. init de Claudio, *liberum ei* (Asiatico) *mortis arbitrium permisit*. *Arbitrium* quidem, quia hæc libertas nemini constat sine rationis consilio: *liberum* vero, quod ipsum sui juris esse debeat, ut hoc nomen tueatur.

Omnes ergo Græci Latinique auctores ea voce vim & potestatem rationalem agendi, aut cessandi, quæ ipsa semet agat, intelligunt.

Sed quoniam eam quidam cum voluntate, seu appetitu perturbarunt: alii cum ratione, qua arbitramur: alii cum causa, qua excitatur, aut adjuvatur: alii cum altera illa civili libertate, aliique alias: inde factum puto, ut major pars litium sit nata.

in primis quæſtiones ex Ariſtotelis genio ponit, una, *ſit ne libertas potentia cum habitu conjuncta?* altera, *libertas & voluntas ſint ne duæ potentiæ?* Utrumque negat. Scilicet ei & libertas & voluntas una eademque ſunt potentia; & hæc potentia nec habitus eſt, nec cum habitu conjuncta. At diſtinguere oportuit. Libertas enim ab uſu velut abſtracta & ſeparata, nec voluntas eſt, nec habitus, ſed δυναμις, *poteſtas:* uſus autem libertatis, & cum voluntate, & ſæpe cum habitu eſt conjunctus. Ex quibus & id intelligitur facillime, ad libertatem generatim ſumtam pertinere quidem illa libertatis genera, quæ *a coactione*, & *a neceſſitate* naturæ, & *indifferentiæ* dicuntur: ut ſcilicet vis hæc hominis activa nec ab externis cauſis neceſſario, nec ab ulla naturæ ſuæ neceſſitate determinetur: reliqua vero genera, quæ dicuntur *contradictionis*, *contrarietatis* ſolum ſpectare uſum libertatis: quæ ſi probe obſervaſſent philoſophi noſtri, magnam, opinor, partem quæſtionum vocabulorum reſecare ex ſcriptionibus ſuis potuiſſent (1).

XV.

---

(1) Latini liberum hominem dicebant aut eum qui ita eſſet ſui juris, ut nulli eſſet ſubjectus, quo nomine veniebant cives omnes; aut qui licet patrio juri ſubeſſent, tamen ingenui eſſent, qui liberi & filii ingenui dicebantur. Ea legibus Romanis conſtabant. Mercurius rogat Soſiam in Amphitrione, *liber es, an ſervus?* Soſ.

Utcumque animo collibitum fuerit meo.

Hujuſmodi ergo libertas erat immunitas ab heri jure: eique ſervitus opponebatur.

Græci hos homines ελευθερυς, & ελευθεριυς frequentius vocabant: ſervos δυλυς, θεραποντας. Illos etiam αυτοκρατορες, ſui dominos, αυτεξυτιυς, ſuæ poteſtatis, αυτονομυς, qui ipſi ſibi eſſent lex, αυταρχυς, quaſi ſui ipſorum principes: conſentaneiſque nominibus hos.

Iidem Græci, in primis philoſophi, hanc animi vim, qua efficere quidpiam, aut non, poſſumus, prout lubet, εκυσιον appellant & αυτοματον, quaſi ſponte ſua atque ipſum ſe cientem e quibus ακυσιον, invitum perpetuo opponit Ariſtoteles. Nam illud εκυσιον non ego ab εκων, ſed εξ υσιας derivaverim; ut id ſit ſpontaneum, quod ab interna ſubſtantia proficiſcitur, ut diſputat Ariſtoteles. Hoc autem εκυσιον *ſpontaneum* tum demum voluntarium & liberum habet, ſi nec επιθυμια, nec θυμῳ, nec *cupiditate*, nec *iræ impetu* excitetur agaturque, ſed ex ratione. Huic animi libertati neceſſitatem opponi docebant; eamque eſſe aut αναγκην τυ παντος ολικην, fatum materiæ univerſi mundi, aut βυλην Deorum, μοιραν, Parcam, ειμαρμενην, προνοιαν; aut επιθυμιαν & θυμων, impetus nempe naturæ vel aliquid concupiſcentis, vel in aliquid inſilientis ſubito & præter rationem, hocque dicebant ακυσιον, invitum.

Latini veteres libertatem *poteſtatem vivendi, ut velis*, dixere, eamque, quæ ei opponeretur, neceſ-

XV. Habitus sunt facilitates eæ naturæ humanæ, longa disciplina contractæ, quibus actus aliquos seu internos cogitationum & voluntatum, seu etiam externos linguæ, manuum, &c. expeditius edere possumus.

Scholion. Hujusmodi facultatum esse naturam humanam patientem, nemo est, qui possit inficiari, nisi fortassis, qui nondum aut sui, aut aliorum ullam habuit notitiam. Sed illud non omnes animadvertunt, hominem, quantus quantus est, nihil aliud esse præterquam habituum congeriem: hominem autem quum dico, non hoc tantum animal intelligo *mente divina*, & corpore præditum, quem *naturalem hominem* appellare possis: sed *hominem civilem*, cujus velut rudis quædam materies homo ille est *naturæ*. Atqui ego id pono inter *naturalem* illum, & hunc *civilem* discrimen, quod inter rude metallum ac inde confectam statuam. Porro e naturali civilem hominem soli efficiunt habitus quum qui intellectum & voluntatem, tum etiam qui corpus spectant. Jam habitus *continuatione actuum* acquiri vetus est philosophorum effatum & verum: nempe ut tenellæ plantæ inflexione continuata eum acquirunt situm, quo dirigit agricultor, ita humana natura quum quidpiam sæpe efficit, eo inclinatur, ut velut pondere quodam pertrahatur, & lubentius ac facilius repetit. Natura certe nostra quum esse incipit, nulla insita vi ullibi flectitur, nisi ad se conservandum, ut superius dictum est: propensiones commercio mundi acquirit. Si quam in partem sæpius aut ab objectis externis, aut ab internis animi cogitationibus impellitur, in eam fit propensior; ea propensio continuatis actibus confirmata *habitus est*, & quidem, ut inquiunt, altera natura,

cessitatem, *vim*, sæpe *fatum*, *aut voluntatem deorum*, *providentiam*, *consilium*, quum esset externa: si ab ipsa humana natura efficeretur, *impetum*, *instinctum*, *cupiditatem*, *iram &c.* Sequiores, quam illi libertatem, *liberum arbitrium*, dixerunt, ac, ut mihi quidem videtur, cogitate. Tacitus Ann. XI. init de Claudio, *liberum ei* (Asiatico) *mortis arbitrium permisit*. *Arbitrium* quidem, quia hæc libertas nemini constat sine rationis consilio: *liberum* vero, quod ipsum sui juris esse debeat, ut hoc nomen tueatur.

Omnes ergo Græci Latinique auctores ea voce vim & potestatem rationalem agendi, aut cessandi, quæ ipsa semet agat, intelligunt.

Sed quoniam eam quidam cum voluntate, seu appetitu perturbarunt: alii cum ratione, qua arbitramur: alii cum causa, qua excitatur, aut adjuvatur: alii cum altera illa civili libertate, aliique alias: inde factum puto, ut major pars litium sit nata.

in primis quæstiones ex Aristotelis genio ponit, una, *sit ne libertas potentia cum habitu conjuncta?* altera, *libertas & voluntas sint ne duæ potentiæ?* Utrumque negat. Scilicet ei & libertas & voluntas una eademque sunt potentia; & hæc potentia nec habitus est, nec cum habitu conjuncta. At distinguere oportuit. Libertas enim ab usu velut abstracta & separata, nec voluntas est, nec habitus, sed δυναμις, *potestas:* usus autem libertatis, & cum voluntate, & sæpe cum habitu est conjunctus. Ex quibus & id intelligitur facillime, ad libertatem generatim sumtam pertinere quidem illa libertatis genera, quæ *a coactione*, & *a necessitate* naturæ, & *indifferentiæ* dicuntur: ut scilicet vis hæc hominis activa nec ab externis causis necessario, nec ab ulla naturæ suæ necessitate determinetur: reliqua vero genera, quæ dicuntur *contradictionis*, *contrarietatis* solum spectare usum libertatis: quæ si probe observassent philosophi nostri, magnam, opinor, partem quæstionum vocabulorum resecare ex scriptionibus suis potuissent (1).

XV.

---

(1) Latini liberum hominem dicebant aut eum qui ita esset sui juris, ut nulli esset subjectus, quo nomine veniebant cives omnes; aut qui licet patrio juri subessent, tamen ingenui essent, qui liberi & filii ingenui dicebantur. Ea legibus Romanis constabant. Mercurius rogat Sosiam in Amphitrione, *liber* es, an *servus?* Sos.

Utcumque animo collibitum fuerit meo.

Hujusmodi ergo libertas erat immunitas ab heri jure: eique servitus opponebatur.

Græci hos homines ελευθερους, & ελευθεριους frequentius vocabant: servos δουλους, θεραποντας. Illos etiam αυτοκρατορες, sui dominos, αυτεξουσιους, suæ potestatis, αυτονομους, qui ipsi sibi essent lex, αυταρχους, quasi sui ipsorum principes: consentaneisque nominibus hos.

Iidem Græci, in primis philosophi, hanc animi vim, qua efficere quidpiam, aut non, possumus, prout lubet, εκουσιον appellant & αυτοματον, quasi sponte sua atque ipsum se cientem e quibus ακουσιον, invitum perpetuo opponit Aristoteles. Nam illud εκουσιον non ego ab εκων, sed εξ ουσιας derivaverim; ut id sit spontaneum, quod ab interna substantia proficiscitur, ut disputat Aristoteles. Hoc autem εκουσιον *spontaneum* tum demum voluntarium & liberum habet, si nec ευθυμια, nec θυμῳ, nec *cupiditate*, nec *iræ impetu* excitetur agaturque, sed ex ratione. Huic animi libertati necessitatem opponi docebant; eamque esse aut αναγκην του παντος ολικην, fatum materiæ universi mundi, aut βουλην Deorum, μοιραν, Parcam, ειμαρμενην, προνοιαν; *aut* ευθυμιαν *&* θυμων, impetus nempe naturæ vel aliquid concupiscentis, vel in aliquid insilientis subito & præter rationem, hocque dicebant ακουσιον, invitum.

Latini veteres libertatem *potestatem vivendi*, *ut velis*, dixere, eamque, quæ ei opponeretur, necess-

XV. Habitus sunt facilitates ex naturæ humanæ, longa disciplina contractæ, quibus actus aliquos seu internos cogitationum & voluntatum, seu etiam externos linguæ, manuum, &c. expeditius edere possumus.

Scholion. Hujusmodi facultatum esse naturam humanam patientem, nemo est, qui possit inficiari, nisi fortassis, qui nondum aut sui, aut aliorum ullam habuit notitiam. Sed illud non omnes animadvertunt, hominem, quantus quantus est, nihil aliud esse præterquam habituum congeriem: hominem autem quum dico, non hoc tantum animal intelligo *mente divina*, & corpore præditum, quem *naturalem hominem* appellare possis: sed *hominem civilem*, cujus velut rudis quædam materies homo ille est *naturæ*. Atqui ego id pono inter *naturalem* illum, & hunc *civilem* discrimen, quod inter rude metallum ac inde confectam statuam. Porro e naturali civilem hominem soli efficiunt habitus quum qui intellectum & voluntatem, tum etiam qui corpus spectant. Jam habitus *continuatione actuum* acquiri vetus est philosophorum effatum & verum: nempe ut tenellæ plantæ inflexione continuata eum acquirunt situm, quo dirigit agricultor, ita humana natura quum quidpiam sæpe efficit, eo inclinatur, ut velut pondere quodam pertrahatur, & lubentius ac facilius repetit. Natura certe nostra quum esse incipit, nulla insita vi ullibi flectitur, nisi ad se conservandum, ut superius dictum est: propensiones commercio mundi acquirit. Si quam in partem sæpius aut ab objectis externis, aut ab internis animi cogitationibus impellitur, in eam fit propensior; ea propensio continuatis actibus confirmata *habitus est*, & quidem, ut inquiunt, altera natura,

cessitatem, *vim*, sæpe *fatum*, *aut voluntatem deorum*, *providentiam*, *consilium*, quum esset externa: si ab ipsa humana natura efficeretur, *impetum*, *instinctum*, *cupiditatem*, *iram &c.* Sequiores, quam illi libertatem, *liberum arbitrium*, dixerunt, ac, ut mihi quidem videtur, cogitate. Tacitus Ann. XI. init de Claudio, *liberum ei* (Asiatico) *mortis arbitrium permisit*. *Arbitrium* quidem, quia hæc libertas nemini constat sine rationis consilio: *liberum* vero, quod ipsum sui juris esse debeat, ut hoc nomen tueatur.

Omnes ergo Græci Latinique auctores ea voce vim & potestatem rationalem agendi, aut cessandi, quæ ipsa semet agat, intelligunt.

Sed quoniam eam quidam cum voluntate, seu appetitu perturbarunt: alii cum ratione, qua arbitramur: alii cum causa, qua excitatur, aut adjuvatur: alii cum altera illa civili libertate, aliique alias: inde factum puto, ut major pars litium sit nata.

errore turbati animi sententiarum pugna. *In vita*, inquit alibi, *apprime utile est intellectum, seu rationem, quantum possumus, perficere, & in hoc uno summa hominis* FELICITAS, *seu* BEATITUDO *consistit .... intellectum vero perficere nihil etiam aliud est, quam Deum, Deique attributa, & actiones, quæ ex ipsius naturæ necessitate consequuntur, intelligere* (a). (*)

XXIV. Virtus generatim est habitus *facultates* hominis perficiens. Vitium habitus deteriores efficiens. Sed virtus moralis est quæ perficit facultates rationales ad beatitudinem: vitium, quod impeditiores ad illam efficit.

Scholion. Nihil immuto de doctrina Platonis in Menone, Aristotelis Eudemior. I. & B. Thomæ: quin ceteris eam præfero: nam ubi aliorum definitiones, quas mox proferam, obscuræ sunt, aut mancæ, aut falsæ, aut non *essentiæ rei*, sed vel causarum, vel qualitatum, hæc & clara est, & perfecta, & vera, & secundum essentiam. *Virtus*, inquit S. Thomas (*b*), *nominat quamdam potentiæ perfectionem: uniuscujusque autem perfectio præcipue consideratur in ordine ad suum finem: finis autem potentiæ actus est; unde potentia dicitur esse perfecta secundum quod determinatur ad suos actus .... potentiæ autem rationales, quæ sunt propriæ hominis, non sunt determinatæ ad*

(a) *Appendice ad part.* IV. *cap.* 4.
(b) *Secunda part. qu.* 55. *art.* I.

(*) Est editus superiori anno *Lugduni Batavorum* libellus, quo Philosophia Moralis mathematicum in morem comprehensa exhibetur, Auctore Maupertuisio viro in primis clarissimo. Auctor doctus humanam felicitatem hunc ferme in modum explicat. *Voluptatem*, inquit, *appello omnem perceptionem, qua occupari potius, quam non, velimus, ac quam nolimus a nobis subduci, & cum qua libenter simus. Omnis vero perceptio, quam minus libenter ferimus, quamque commutare gestimus, dolor est*. Jam duratio *voluptatis*, seu *perceptionis amabilis, tempus est beatum, eoque beatius, quo voluptas illa intensior & diuturnior; contra duratio perceptionis molestæ, seu minus amabilis, tempus est miserum, ac miserius, pro ejus intensitate, aut diuturnitate majori. Demum perceptionum amabilium summa beatitudo est: molestarum summa miseria*. Quumque Auctor doctus sibi persuasisset ex accuratissimo, ut inquit, calculo, in vita humana, perceptionum jucundarum summam longe excedi a summa molestarum perceptionum; inde conclusit, longe esse in vita humana majorem miseriam, quam felicitatem. Quam hominis docti conclusionem nec Auctores *Bibliothecæ Rationalis* probant, nec ego veram puto; qua de re dicetur loco suo.

ad unum (ut naturales nempe vires) *sed se habent indeterminate ad multa: determinantur autem ad actus per habitus*. Egregius est ea de re Ciceronis locus (*a*), *ut*, inquit, *in malis attingit animi naturam corporis similitudo, sic & in bonis: sunt enim in corpore præcipua, pulchritudo, vires, valetudo, firmitas, velocitas* (quæ scilicet sunt affectiones corporis membra & vires perficientes): *sunt item in animo. Corporis temperatio, quum ea congruunt inter se, e quibus constamus; sanitas sic animi dicitur, quum ejus judicia, opinionesque concordant, eaque est animi* VIRTUS ..... *& ut corporis est quædam apta figura membrorum, cum coloris quadam suavitate, eaque dicitur pulchritudo: sic in animo, opinionum judiciorumque æqualitas & constantia cum firmitate quadam & stabilitate virtutem subsequens, aut virtutis vim ipsam consequens, pulchritudo vocatur*. Neque vero ab ea definitione nisi verbo tenus, distat Augustini virtutis definitio, ut sit *bonus usus liberi arbitrii*. Sic is disserit, ut tria bonorum faciat genera, *magna, media*, & *minima*, hinc addit (*b*) *quod in mediis bonis invenitur liberum arbitrium; quia & male illo uti possumus, & tamen tale est, ut sine illo recte vivere nequeamus: bonus autem usus ejus jam virtus est, quæ in magnis reperitur bonis, quibus male uti nullus potest*.

Renatus Cartesius (*c*) sic eam in rem scripsit: *Secunda est* (regula bene vivendi & beate) *ut sit semper in firmo & constanti proposito ea omnia faciendi, quæ* SUA RATIO *ipsi suadebit, nec passionibus suis aut appetitionibus ab hoc abduci se permittat. Atque hujus propositi firmitudinem pro virtute habendam esse existimo; quanquam haud scio, virtutem fuisse ab ullo unquam ita explicatam*. Ego vero tantum abest ut hanc virtutem dicam, ut potius vitiorum omnium hoc caput faciam, pertinaciter ex propria ratione vivere, quum non brevissima tantum ea sit, sed in plerisque falsa, semper inconstans & levis. Gravissime potius præcepit Salomon, *ne sapientiæ nostræ innitamur*. Scio veteres plerosque Peripateticos, & Stoicos virtutem habuisse *constanter ex recta ratione vivere*, plenius certe ii, qui non ex *propria ratione*, sed *recta* definivere virtutem; sed

(a) *Tuscul.* IV.
(b) *Lib.* I. *Retract. cap.* 9.
(c) *Epist. part.* I. *Epist.* 4.

Sed oportuit ut prius in eo conveniret, quid sit *recta hæc ratio*. Nam Zeno vera dicebat *visa impressa effictaque ex eo quod est, qualia esse non possunt ex eo quod non est* (*a*) ac dispescebat in *naturalia*, & *arte acquisita*, illaque appellabat, quæ infantes sine doctoribus, didicimus: *rationem ex naturalibus illis prænotionibus atque notitiis in animo collectis confici atque consummari & constare dicebat* (*b*). At Academici hæc fluxa, atque idcirco falsa habebant, qui scientiam, adeoque rectam rationem non nisi æternarum & immutabilium formarum intellectionem appellabant. ARISTOTELES in Magnis Moralibus interroganti, quid, & ubi sit hæc recta ratio, respondet esse in hoc sitam, ut inferior animæ pars ita rationi sit subjecta, ut nullo modo ejus officium turbet; nam ratio imperare debet, sensus parere. Qui, inquit aliquis, sciam, rationem minime ab affectibus præpediri? respondet ille, *nisi apud temetipsum habes hujusmodi rerum sensum, nihil efficitur* (*c*). Scilicet hæc intimo sensu judices, necesse est. Sed *alibi vivere secundum decreta summi imperatoris Dei*, ex recta ratione vitam instituere pronunciat (*d*). Sed cur ea decreta non protulit? ut sciremus, unde recta ratio exordiatur. Nam Deum sequi, est præstantissimæ rationi obsecundare, quod, ut hic ait, ὅρος est ἄριστος, *pulcherrimus terminus*. Sed quo id recte efficiamus divinæ sunt leges explicandæ, ut quod a nobis sancta illa majestas velit præcise sciamus (1). Henricus Morus virtutem hunc in modum definivit, *intellectualis vis animæ, qua impressionibus animalibus, sive passionibus corporeis ita dominatur, ut in singulis actionibus illud facile prosequatur, quod absolute & simpliciter optimum est* (*e*). Duo sunt in ea definitione, quorum alterum controversum est, alterum obscurum. Primum, quum dicit, *vim animæ*, siquidem

(a) *Cicero in Lucullo*.

(b) *Plutarch. lib.* 4. *de Placit. cap.* 11. *vide*, & *Petrum Valentiam in erudito libello* Academica *inscripto*.

(c) *Lib.* 2. *cap.* 10.

(d) *Moral. Eudem. lib.* VII. *cap.* 15. *ext.*

(e) *Enchiridio Ethico lib.* 1. *cap.* 3.

(1) Videri possunt, quæ de veritate *hac reali*, qua informata ratio *recta est*, & vitæ regula, disserit Ashley Sykes, quem in prima parte laudavimus.

dem *ingenitam* intelligit, quo ille propendit, rem maxime controversam definitione sua complectitur: nam *acquiratur ne virtus, an nobiscum nascatur, vel divinitus demittatur*, quæstio fuit inter Græcos philosophos diu vexata, nec unquam definita. Vide Platonem in Menone. Si autem *acquisitam*, quum naturales virtutes definiat, non theologicas, eæque non possint nisi *habitus* esse: non erat cur diserte nagaret virtutes esse habitus. Alterum, definire ante oportuit, quid illud sit *optimum*, quod virtus persequitur; nam, & id valde incertum inter Philosophos existit.

Joannes Franciscus Buddeus (1) acerrime in vulgatam hanc virtutis definitionem invehitur: *in Scholis*, inquit, *Theologorum, imo ne Philosophorum quidem, locum non invenit recepta illa, & multorum errorum genitrix definitio .... enim vero bonarum actionum exercitio, quod virtus proprie & accurate sic dicta acquiri possit, experientiæ repugnat, multo autem magis rationibus Theologicis.* Itaque ille virtutem definit, *constans & serium studium se in omnibus ad voluntatem numinis componendi*: eam vero donum Dei esse pronunciat. Hæc divina virtus est. Sed si penitius humanam naturam consuluisset, nec indulsisset sectæ, haud confidenter dixisset, priorem illam definitionem experientiæ repugnare, & Theologiæ, nullamque humanam virtutem ipsos per nos acquirere posse. Scilicet & experientia dicimus ex sola naturæ lege ad morales virtutes se plurimos composuisse, ut exemplaria earum virtutum etiam a primis Christianis fuerint habiti;

(1) In Theolog. Morali cap. 1. Sect. 4. ad §. 126. cordibus suis: *qui dicit eam doctrinam experientiæ & Theologiæ repugnare, nimis ille audere videtur. Neque vero ego negaverim, eam esse hominum ab Adamo indolem, ut in vitia proniores simus, quam in virtutes: sed, ut neminem inter Ethicos prudentem, neminem justum, neminem temperantem, neminem patriæ amantem, dicam, id vero cavebo, ne veterum rerum peritis deridiculus sim. Quin potius existimo, Deum, qui naturalis legis parens est, in eorum animis agere, quibus ille eam legem tamquam primam vitæ regulam dedit; ac si non ita, ut ea solum æternæ beatitudinis compotes fiant; saltem, ut tranquille hic vivere possint. Nam naturæ viribus hanc terrestrem felicitatem & sequi homines posse, & qualemcumque adipisci, Thomas ipse Aquinas docet: & hanc nobis non posse contingere, nisi ex virtute, tum veteres omnes philosophi docuere, ne Epicuro quidem excepto, tum hic idem gravissimus Theologus tradit diserte, 1. 2. q. 5. art. 5.*

biti; & id non taceant Scriptores facri utriusque Instrumenti. Non ignoro, veteres quosdam Christianos Theologos negasse videri ullam veram fuisse virtutem moralem in Gentilibus, in primis Augustinum; tamen quum & universa historia refragetur; & quosdam virtuosos memoret veteris Testamenti historia, ut Abimelechum, Cyrum, alios; & ipse agnoscat Augustinus de Civitate Dei, Deum Romanorum veterum virtutes dum remuneraretur, imperii dilatasse fines; & Paulus in epistola ad Romanos scribat, *Gentes dum ea, quae legis sunt, faciunt natura, ipsos sibi esse legem, quippe qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*: qui dicit eam doctrinam experientiae, & Theologiae repugnare, imperitiam & humanae naturae, & Theologiae patefacit.

Perpendenda nunc paucis est Spinozistica virtutis definitio; *per virtutem*, inquit, *& potentiam idem intelligo, hoc est virtus, quatenus ad hominem refertur, est ipsa hominis essentia, seu natura, quatenus potestatem habet quaedam efficiendi, quae per solas ipsius naturae leges possunt intelligi* (*a*). Quum definitiones, quae explicant res ipsas, debeant esse verae, & *a propositione vel axiomate non differre*, ut idem homo agnoscit (*b*), videamus utrum haec sit vera. Quoniam huic virtus est ipsa potentia naturalis, ea congenita est, & immutabilis: virtutes ergo nullae exercitatione acquiruntur; nullae amittuntur contrariis habitibus; adeoque tota hominum falsa est historia & vita: egregie prorsus! nempe, qui a sensu hominum communi discedit, non potest nisi perridicula effutire.

Tandem exstitere ii, qui *virtutis* nomen omne inane esse dicerent vocabulum, aut virtutem non esse nisi quod sit utile. Vulgatum illud Epicureorum est,

Sola est utilitas justi prope mater, & aequi.

Sed & memorabile est Bruti illud morientis, *oh infelix virtus! Ita ne quum nihil quam nomen esses, ego te tanquam rem aliquam exercui?* (*c*) cujus Epicurei vocem adprobat Florus: *sed quanto efficacior est Fortuna*, inquit, *quam Virtus! Et quam verum est, quod moriens efflavit, non in re, sed in verbo tantum esse virtutem!* (*d*) Quae pesti-

(a) *Eth. part.* IV. *def.* 8. (b) *Ep.* 27.
(c) *Plut. in Bruto.*
(d) *Flor. lib.* 4. *cap.* 7.

pestifera opinio mascule quidem loco suo confutabitur. Sed dicemus hic pauca in antecessum, ostendemusque virtutem & esse, & ad vitam sapienter transigendam necessariam, nec nomen istud inane esse.

I. Ac omnium primum, ita natura comparati sumus, ut 1. & beati esse velimus; 2. &, ut simus beati ipsi nobis sufficere nequeamus; 3. ac propterea ab externarum rerum usu plurimum nostra felicitas, vel miseria pendeat.

II. Jam externæ res nobis utiles, aut noxiæ esse possunt, seu nos conservare, vel destruere; unde rerum distinctio facta, ut aliæ sint *bonæ*, aliæ *malæ*, & quidem *bonæ*, vel *malæ*, magis, aut minus, prout magis, aut minus cum natura nostra consentiunt, vel pugnant.

III. Hæc *realia* sunt, seu natura ipsa rerum continentur. Nihil est in illis puræ imaginationis. Sed & hoc *reale* est, hæc externa bona, vel mala *usu* magis, quam re nobis esse, quod sunt. Nam quamquam externæ, ut dixi, res ita natura constitutæ sint, ut aliæ nobis prodesse, aliæ nocere possint, usu tamen fit, ut reapse aliæ prosint, aliæ noceant.

IV. Tota igitur natura nostra sic instituenda est ac confirmanda, ut aut in recto harum rerum usu non peccet, aut peccet saltem quam minimum. Nam quando iis utendum necessario est (I. II. III.), ut simus felices, id quod naturæ ipsius necessitate volumus (I. 1.), nec vero obtinere possumus, nisi recto usu, quippe quod usu fiat, ut earum aliæ reapse bonæ sint, aliæ malæ (III.); nisi miseriam nobis consciscere velimus, assuescendum est, hujusmodi rebus bene uti.

V. Nemo autem his rebus bene unquam utetur, nisi eas probe cognoverit, ac non modo bonas a malis accurate discreverit, sed earum præterea, quoad fieri potest, intensitates perpenderit. Neque enim ad rectum externarum rerum usum satis fuerit scire, quæ utiles, aut noxiæ: intelligendum illud etiam est, quatenus utiles, aut noxiæ sint. Scilicet usu plerumque venit, ut operæ sit pretium, minus bonas repudiare, quo obtinere possimus meliores; aut minoribus malis subesse, quo majora caveamus. Sunt hæc perspicua.

VI. Qua ex re fit, ut qui habitus mentis ad hæc nos conformant, ii *virtutes intellectuales* non modo nominentur,

(def.

(def. 17.) ſed ſint. Eſt enim *reale quoddam* res eas, ex quibus beatitudo, aut miſeria noſtra proficiſcatur, ita internoſcere, ut recte & præclare uti poſſimus. Virtutes igitur intellectuales *inane vocabulum* non ſunt, niſi iis hominibus, quorum non interſit, beati ne, an miſeri vivant, quos ego, ſi qui ſunt, a tota hominis natura alienos eſſe puto.

VII. Jam perpetuis experimentis diſcere poſſumus, evenire in hominis natura morali, quod in iis corporibus, quæ ſe ſe attrahunt, aut repellunt. Nam & quum ſe attrahunt, in ratione diſtantiarum attractio minor eſt, aut major, maxima in contactu: & quum ſe repellunt, eo vehementior repulſio, quo viciniora. Enim vero & in bona naturæ quodam impetu ferimur, eſtque hic naturæ impetus in ipſo bonorum complexu maximus: pro diſtantia, major autem, aut minor: & mala impetu item naturæ refugimus, ac præſentia maxime, diſtantia, in ratione earum a nobis intervalli. Erant autem hujuſmodi impetus naturæ noſtræ finitæ, ſibique, & ut ſit, & ut beata ſit per ſe minime ſufficienti, conſervandæ neceſſarii. Nam niſi ab externis rebus tangi illa poſſet, ut in alias attractione quadam ferretur, ab aliis naturali repulſione fugeret, ne uteremur quidem illis, ideſt in nos conſervandos ac tutandos minime impelleremur.

VIII. Sed fieri poteſt eas ob cauſas, quas ego in appendice ad caput quartum recenſebo, ut hujuſmodi impetus, quos *affectus* diximus, modum excedant, ideſt, ut minime bonorum, vel malorum intenſitati ſint proportionati, id quod quum evenit, neceſſe eſt, ut perturbemur, ac inquieti & miſeri ſimus. Itaque fit, ut quum *affectus* ſint naturæ conſervandæ neceſſarii, *perturbationes* contra, ſeu *affectuum exceſſus* cum noſtra conſervatione ac felicitate pugnent; amare, quæ odiſſe debueramus, eſt recte mala petere, ideſt infelicitatem nobis conſciſcere: item odiſſe, quæ ſunt amanda, eſt ea repellere, quæ naturæ ſunt, aut neceſſaria, aut conſentanea, adeoque iis nos privare, quæ nos conſervare ac beare poſſunt. Tum ea magis amare, quæ minus ſunt bona, minus, quæ majora; odiſſe vero maxime, quæ ſunt minima mala, aut minime, quæ ſunt maxima, non poteſt non totum æquabilis ac beatæ vitæ ordinem conturbare. Id quod nemo eſt, qui non in ſe poſſit continenter experiri, ubi attente vivat.

IX. Ac

IX. Ac intelligo ego difficillimum esse, ita naturam nostram moderari & regere, ut ea perpetuo rationi pareat, ac affectus suos ad rerum naturas accurate componat. Sed est profecto *quodam prodire tenus, si non datur ultra*, quod ille dixit. Potest ita diuturna disciplina & assuefactione conformari, ut si non ex regula mathematice, at modificetur tamen utcumque, ac æqualitati illi geometricæ accedat quam fieri potest proxime. Sed nec inficiari possumus id efficere plures, nisi totam vitæ humanæ historiam ignoraverimus. Hujusmodi habitus, quibus affectus intra suos cancellos continere didicimus, virtutes morales appellavimus (def. 24.) Virtutes ergo morales & possibiles sunt, & sunt in plurimis; adeoque inane non sunt vocabulum. Quinimmo quum nemo quiete ac tranquille vivere possit, ubi affectus turbent (VIII.); turbas autem affectuum hujusmodi compescant morales virtutes (IX.): qui sapienter felicitati suæ studet, is sedulam dare debet operam, ut hujusmodi instruatur virtutibus.

X. Neque vero hæc ita ratiocinatione constant, ut non vita etiam hominum egregie confirmentur. Ceteris enim paribus, qui & ratione sunt sana ac ampla præditi, quique ex rerum naturâ ac hominum juribus vivere assueverunt, vitam agunt multo tranquilliorem quam, aut stupidi & bruti, aut animo impotentes, quique sibi perpetuo turbas creant. Nam, ut demus homines esse plures malos & scelestos, ut velint ex libidine sua imbecillos ac bonos infelicitare; habent hoc viri prudentes, perspicaces, boni, proprium, ut nec sibi ipsi mala comparent, nec aliis causas malefaciendi suggerant, & oblatas docte evitare sciant. Quod quantopere humanæ vitæ beatitudini conferat, ii demum novere, qui sua inscitia, imprudentia, temeritate eo devenere, ut perpetuo miseri sint.

XI. Quibus rebus omnibus si addamus pietatem adversus Deum, qui virtutum omnium est maxima ac præcipua, quaque fit, ut mala etiam ingentia fortiter toleremus, intelligemus procul dubio, quam jucunde sit ex virtute vivere. Ac addenda omnino est, invocandusque Deus sedulo, si pacate vivere velimus. Est enim natura nostra talis, quam difficillimum sit, ut dictum est, ad regulam geometrice componere. Epictetus quum de compescendis animi commotionibus dissereret, nec in nobis satis opis ad eam rem inesse intelligeret, *certamen*, inquit gravissime,

me, magnum est, opusque plane divinum. Dei igitur memineris: eum invoca opitulatorem, & auxiliatorem, quemadmodum nautæ Dioscuros, quum in tempestate navigant. Quæ enim major tempestas, quam quæ oritur ex imaginationibus violentis ipsamque rationem elidentibus? Arrian. lib. 2. cap. 1. in Epict. Quo ego pertinere ajo, quod scribit Plato in Menone, virtutem nec natura, nec doctrina in nobis gigni, sed divina quadam sorte cælitus demitti, perfectam, inquam, & omnibus numeris absolutam, si ad præsentis vitæ felicitatem retuleris: omnem vero, si ad alterius beatitudinem. Sed ejus verba, quæ sunt elegantissima, hic ponam. *Αρετη αν ειη ουτε φυσει, ουτε διδακτον, αλλα θεια μοιρα παραγιγνομενη, ανευ νου, οις παραγινεται: Certe virtus nec natura, nec doctrina adest, sed divina sorte, sineque nostra mente, quibusque adest.* Quod vere de utraque virtute dicere possumus, tum illa nimirum, quæ præsentem vitam spectat, quum quæ sempiternam beatitatem. Ac illa quidem, nec perfecta est sine Dei gratia; & quæ pure naturalis est, non minus Dei donum est, quam natura & ingenium cujusque: hæc vero cælis tantum est. Atque hinc fit, ut illam naturæ vi consequi dicamur, quod ea natura sequamur, quæ licet a Deo, est tamen nostra: hanc sola Dei aura & appetere, & prosequi, & adipisci possumus.

XII. Sed ajunt hic virtutis hostes, totam hanc dissertationem vita ipsa humana funditus everti. Legibus homines e ferina vita in hanc civilem transisse, omnia vetera monumenta aperte testantur. Homines exleges olim mutua victitasse cæde eadem probant. Celebres sunt Orphei versus ex Titanographia, quos Sextus Empiricus in II. adversus Rhetores & I. adversus Physicos, retulit

ην χρονος ηνικα φωτες απ' αλληλων βιον ειχον
σαρκοφαγον· κρειττων δε τον ηττονα φωτα εδαιζε,

Erat, scilicet, tempus, quum homines carnivori ex mutua cæde vivebant: fortior imbecilli vescebatur.

Ac quia hujusmodi hominibus *ου δικη μετ' αυτοις, nullum est jus*, ut ait Hesiodus lib. 1. Εργων v. 275., idcirco *εσθειν αλληλους sese mutuo comedunt*. Præclare igitur Aristoteles lib. I. Rhet. cap. 4. *εν τοις νομοις εστιν η σωτηρια της πολεως, in legibus posita est salus civitatis*. Cicero pro Cluentio. *Hoc vinculum est hujus dignitatis, qua fruimur in Republica: hoc fundamentum libertatis: hic fons æquitatis;*

tis; mens, & animus, & consilium, & sententia civitatis posita est in legibus. Quia nempe, ut eodem loco disputat, *ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege, suis partibus, ut nervis, ac sanguine & membris, uti non potest.* Quæ si vera sunt, ut constat esse verissima, homines non virtute ab injuria abstinere didicerunt, sed metu pœnarum, quas leges sanxerunt. Quin tot leges, tot legum, ac tam truces pœnæ, magno sunt argumento homines non virtute ad jus & fas duci; sed, ut feras, vinculis. Plato in 1. de legibus ait πολεμίυς εἶναι πάντας πᾶσι, δημοσίᾳ τε, καὶ ἰδίᾳ, ἑκάστυς αὐτὺς σφισιν αὐτοῖς, *hostes esse omnes omnibus, & publice & private, & singulos sibi ipsis,* idque φύσει. Persæ illi veteres memores haud dubium, quantum ad bene vivendum intersit, legibus esse subjectos, ut quo hoc sæpe, opinor, ad memoriam revocarent, statuerunt, ut postquam rex occidisset, quinque per dies omnibus soluti legibus viverent (*a*), eoque tempore admissa crimina essent impunita. Quod & in Republica Florentina, nescio qua de causa, factitatum aliquando fuit: in interregno enim, nulla sceleris ullius ratio habebatur; quamquam eum temporis articulum improbi ac scelesti homines & avidissime præstolarentur, & quum venisset, nefandis ausibus vastitatem civitatis facerent (*b*).

XIII. Sed hæc probant primum, homines sine virtute nasci, nec ea informari, nisi educatione, disciplina, habitibus. Qua si careant disciplina, quid superest, nisi ut ferino more vivant, ex privata nempe & bruta utilitate? Deinde eadem demonstrant, quantopere virtus ad bene beateque vivendum sit necessaria; quippe qua sublata vita humana nihilo fere a ferina distet.

Ac leges quidem magna sunt illa generis humani disciplina, qua homines ad jus & fas formantur: eæ non jura inducunt, sed ad ea servanda homines assuefaciunt, ac si renuerint, metu pœnæ adigunt. Homines igitur exleges sine ulla publica disciplina vitam agitantes, mirum non est, si aut veras suas utilitates non edocti; aut libidini frænandæ non assuefacti, feris aliquando crudeliores evaserint. Nec tamen ego concesserim id tam late patere,

(a) *Sext. Emp. lib. II. adversus Rhetores.*
(b) *Segni Istorie Fiorentine.*

quam hæc nostra scelerum capita evulgant: ostendere possim, si id opus esset, quum ex veteribus, tum ex recentibus historicis, agrestiores sæpe gentes eo tenacius justitiam, pudorem, temperantiam, hospitalitatem, ceteraque humana jura coluisse, quo a luxu diffluentibus civitatibus, eoque juris impatientibus, remotiores. Quæ me addubitare cogunt, sæpius ne & crudelius cultæ gentes sese mutuo vescantur, an agrestes? Ac ne quis mihi Aristophaneum illud occentet.

οτι παιδαριον ει, κ̧ φρονεις αρχαικα,

præsentem ego Europæ statum non lippis oculis cernat, rogo.

PROPOSITIONES.

CAP. I.

De natura mentis humanæ.

Prop. I. SI mens aut corpus est, aut corporis proprietas, qualitas, affectio, habitudo, non vero substantia a corpore distincta, idearum repræsentatio, & perceptio, tum judicium, & ratiocinatio, non aliter fieri possunt, quam motionibus partium corporis, nimirum actione & reactione fibrillarum, & nervulorum organorum sensuum, & cerebri, aut cujuscumque alterius fluidi actione.

Schol. 1. Scilicet nullam aliam actionem in corpore intelligimus; & reprehendendi non sumus, si ex iis philosophamur ideis, quas omnes habent homines (ex post. 1.). Plura congessit Henricus Morus, ut hanc propositionem confirmaret (a). In præfatione ad libros de immortalitate animæ sic scribit: *Non difficile erit irrefragabilia producere argumenta ad evincendam veritatem supradicti axiomatis*, sensum nempe & perceptionem, supposito nihil præter materiam in mundo exsistere, idem esse realiter ac corporeum motum & reactionem. „ Manifestum enim „ est in sensatione, quum semper externus motus sit ab „ objectis, quando sensus nostri afficiuntur. Quodque in„ terna cogitatio sic perficitur, ex calore patet, quem qui „ atten-

(a) *Lib.* 2. *de immortalitate Animæ cap.* 1. *& præf. ad hos libros* §. 5.

„ attentius cogitant, in seipsis excitant. Quam ob rem „ omnem cogitationem universim aliquis motus corporeus „ comitatur. Et si nihil præter materiam sit in universo, „ ipsa cogitatio realiter idem est, quod motus corporeus. „ Præterea quemadmodum in sensatione motus corporeus „ prior est, & perceptio sequitur; ita necessarium est, ut „ universim in omnibus internis etiam cogitationibus certi „ quidam motus corporei immediate præcedant istas per- „ ceptiones, quamquam admitteremus materiam a seipsa „ moveri; nullus enim sensus inde orietur, sine resisten- „ tia alterius alicujus, in quod alterum quasi impingat. „ Adeo ut vel subtilissima materia, nisi in ea resistentia „ sit, in eamque impressio, non magis capax esset cogi- „ tationis, quam Rhombus plumbeus, & Ligula aurea. „ Ac proinde modo fateri velimus (quod nemo nisi men- „ te captus est negaturus) quod Rhombus plumbeus, Li- „ gulave aurea nullam omnino habet cogitationem, aut „ perceptionem sine aliquo ictu, aut allisione pro illorum „ magnitudine & soliditate, subtilissima materia similiter „ necessario nullam habet sine aliqua proportionali impres- „ sione, aut resistentia. Unde manifestum est quod cor- „ porea reactio, sive collisio præcedit perceptionem, quod- „ que omnis perceptio, quasi tactus quidam est, seu pal- „ patio, quæ tamdiu durat, quamdiu durat resistentia „ hæc, motusve impressio; illa vero cessante extinguitur, „ materia evadente æque stupida, atque Rhombus plum- „ beus. Quodque proinde quemadmodum in genere sem- „ per motus corporeus est, ubi est cogitatio, ita diversi- „ ficatio motus hujus, & collisionis, cogitationum diver- „ sificationem parit, atque sic, quasi junctis manibus, u- „ na perpetuo incedunt, altero nunquam introducto sine „ ductu alterius, nec durante diutius, quam alterum du- „ rat. Verum prout calor deperditur (qui haud medio- „ crem supponit alicujus admodum subtilis materiæ mo- „ tum sive agitationem), ita intellectus noster, & ima- „ ginatio languescunt, ipsique sensus deficiunt, ut qui mo- „ veri nequeant ab impressione externorum objectorum, „ ut in debito liquiditatis & agilitatis gradu non consti- „ tuantur, ac proinde corpora in morte æque insensilia „ evadunt, atque massa lutea. Omnis igitur sensatio & „ perceptio revera idem est, quod motus, & reactio ma- „ teriæ, si nihil sit præter materiam in universo.

 2. Scio

2. Scio adesse, qui opponant, esse hæc *argumenta philosophica negativa*, quæ nos ipsi alibi, velut nullius ponderis rejecimus. Falso. *Argumentum negativum philosophicum* est illud, in quo principium est *id*, *quod non intelligimus*; contra vero hoc in loco ex iis, quæ cuncti homines intelligimus, actiones scilicet corporis omnes esse *motiones*, seu mutationes loci, situs, figuræ &c. concludimus, cogitationem, si qualitas est corporis, esse motionem.

3. Reponunt, quum nota nobis non sit tota corporis essentia, concludi, nisi quam imperitissime, non posse, nullas esse in corpore alias actiones quam, quæ *motiones* dicuntur, idest mutationes loci, situs, figuræ.

4. Jam *magnetismus*, & universalis partium materiæ *attractio*, quam tanta consensione Newtoniani statuunt, vegetationes item plantarum, actiones sunt longe diversæ ab iis *motionibus*, quas ita vulgo appellamus.

5. Tum pleræque sunt actiones, quæ consistunt in *conatu* ad mutandum locum, situm, figuram, &c., sed ex quibus nulla nascitur hujusmodi mutatio, velut gravitationes pendulorum immobiliter consistentium, aliique conatus virium, quas *mortuas* vocant Philosophi.

6. Ad hæc, omnes vires activæ, quæcumque in corporibus reperiuntur, haberi debent, ut incorporeæ (prima part. prop. 160.); quod si hoc non adversatur naturæ corporeæ, ne *cogitare* quidem: potest igitur *vis cogitandi*, ut *vis motrix*, ejusdem esse substantiæ corporeæ qualitas (1): maxime quum substantia corporea, nihil aliud sit, uti Leibnitio placet (2), præterquam subjectum quoddam, cujus tota essentia in *actione* est posita. Enim vero nos externarum rerum tantum percipimus quantum in nos agit: nihil externum, quod in sensus nostros, seu *mediate*, seu *immediate*, non agat, ullo modo cognoscimus. Ex.g. percipimus tactu, & oculis extensionem, idcirco quod ex pluribus spatii partibus, oculus, aut tactus concutitur actione quacumque: gravitationem, divisionem eodem modo, illam actione in tactu, hanc inæquali actione ex æquali spatio. Figuram, dum major actio minore terminatur, aut contra minor majore; nec enim percipimus globum ligneum,

(1) Hæc objectio proposita est Cartesio ab Auctore objectionum quintarum viro in primis docto & perspicaci.

(2) Legatur examen *des principes du R. P. Mallebranche* in Miscellaneis Leibnitii, Newtoni, &c. tom. 2.

gneum, nisi quia actio ex dato ligno undequaque terminatur æqualiter ab actione aeris, aut alterius extensi. Quod si tota substantiarum natura actio est, quid vetat posse eam actionem esse multiplicem, aut alia vis motrix, alia cogitans? Non necessario ergo concluditur, nullam esse aliam substantiæ corporeæ *actionem* præter *motionem*, *&c.*

7. Tandem quid vetat, quin eadem substantia ut vi motrice, ita etiam *vi cogitandi* a Deo sit ornata? plurimis, inquiunt, demonstrat Lokius, non id esse *ἀδύνατον* (*a*), At enim, intelligi non potest, qui possit corpus cogitare? opposuit Stillingfleetus (*b*). Fateor, inquit alter: at velle inde concludere, non posse id Deum efficere, est eam divinæ potentiæ tribuere extensionem, quæ æqualis sit capacitati mentis humanæ. Quod si ea, inquit, ratiocinandi regula vim ullam habet, concludas etiam oportet, corpora a corporibus non attrahi, bruta nec sentire, nec hominem, quantus quantus est, exprimere actionibus suis, & similia, quod ea non intelligas. Sed, pergit, intelligis tu expeditius, qui mens, aut ulla alia substantia cogitet? *Sed*, regerit Stillingfleetus, *quum nostra cognitio ideis nostris continеatur; sitque vero apud nos idea materiæ substantiæ extensæ & solidæ, adeoque diversæ a materia; qui dicit materiam cogitationis esse capacem, materiæ, & mentis ideas miscet.* Reponit alter, genericam materiæ notionem esse rei extensæ, & solidæ: at nihil prohibere posse, quo minus materiæ partibus aliquibus, seu corporibus quibusdam alias qualitates Deus addat. Nec enim notionem materiæ evertit, qui rei extensæ & solidæ motum addit, vegetationem, attractionem. Quod si hæc genericæ materiæ naturæ addi possunt, quin materiæ essentia destruatur, poterit eodem modo addi *& vis perceptrix & ratiocinatrix*, Quæ quum sint, vera esse non potest ea propositio, *cogitationem, si sit substantiæ corporeæ qualitas, continuo esse motionem.*

8. Sed hæc omnia sunt talia, quæ tantum abest, ut nostrum illud axioma obscurent, aut infirment, ut expediant po-

(a) *Vide notam Acostæ Galli Lokii interpretis, de intell. hum.* IV. *cap.* 3. *ad* §. 6.
(b) *Ibidem.*

t'us, & confirment. Tota enim superior oratio huc spectat, posse fortassis esse in corpore vim aliam a motrice diversam, quæ sit vis cogitandi. Rogo hic, vis illa exserit actiones suas motionibus corporeis, an aliis alterius generis? Si primum, non est cur adversus propositionem illam declament. Si posterius, quum actiones generum sint diversorum *motus*, & *cogitatio*, ut aliæ intrinsecus ab aliis non pendeant, & vires ipsæ diversorum erunt generum, nec a se mutuo pendebunt; & quum tales sint actiones hujusmodi, ut in eodem simplici subjecto illæ has destruant, quippe quæ *totis essentiis* differunt; vires quoque ipsæ *totis essentiis* distabunt, ut idcirco altera alteram destruat: ex viribus autem *diversarum essentiarum* conflari *substantiæ*, idest rei simplicissimæ (p. p. prop. 38.) essentia nequit; substantiæ ergo corporeæ *primæ* nequeunt duplici illa vi constare. Quocirca aut cogitationes nihil sunt præter motiones cerebri, si quidem sunt affectiones substantiæ corporeæ; aut, si motiones non sunt, actiones sunt substantiæ, quæ sit diversa a substantiis corporeis. Nec reponant, Deum id efficere posse, ut nimirum eadem substantia viribus diversorum generum sit composita; respondemus enim, non posse Deum efficere, ut eadem essentia velut A, confletur proprietatibus, quarum altera alteram destruat; quandoquidem id est impossibile intrinsecum (def. 9. p.p.) ad quod Dei potentia non pertingit. Quum autem earum duarum virium altera alteram destruat, quod inferius demonstrabitur aperte; fieri nequit ut eadem substantia ambabus sit prædita. Quod si fingere velint, creatam a Deo *fluidam quamdam substantiam* naturæ diversæ ab iis corporibus, quæ cognoscimus, eique substantiæ per totum corpus nostrum diffusæ eam vim, qua cogitamus, tributam: isti aut hanc fluidam substantiam facient reliquis corporum viribus præditam, *soliditate*, *gravitate*, *divisibilitate*, &c. aut non: si posterius, ea incorporea erit: si prius itidem conflabitur ex iis quæ se mutuo destruunt, nempe, ut diximus, ac inferius sumus demonstraturi, cogitatio stare non potest in eadem substantia cum notis corporis proprietatibus.

10. Jam quod Stillingfleeti argumento reponunt, id ineptum omnino est, nec ad ejus vim pertingit. Ideam, inquit ille, materiæ habemus; est igitur hujusmodi idea res a materia distincta ac diversa; nam nisi sit, erit materia mate-

riæ,

riæ, non idea materiæ. Quis autem intelliget materiam se sibi repræsentare? Quin conscii nobis sumus, quo generaliores sunt hujusmodi ideæ, eo minus materiæ participare posse. Idea igitur materiæ satis demonstrat res esse inter se diversas, vim cogitandi, & materiam. Sed hæc postea.

11. Minus igitur absurde meri Epicurei, quam medioxumi isti, res suas composuere: nam illi, pernegata omni substantia incorporea, non videbant negari posse eas actiones, quas animo attribuimus, motiones esse corporeas. Idcirco Lucretius animam constare ait particulis *perquam subtilibus perquamque minutis, atque agitatissimis*. In primis vero Hobbesius dum operationes mentis explicat, sensiones, & cogitationes, sola *actione*, & *reactione* partium cerebri id efficit, ut quum adversus istos præcipue philosophos differamus, potuissemus ea propositione uti sine ulla demonstratione, tanquam ea, quæ constet inter partes. „ Sensio igitur, *inquit* (1), in sentiente nihil aliud esse „ potest, præter motum partium aliquarum intus in sen- „ tiente exsistentium, quæ partes motæ, organorum, qui- „ bus sentimus, partes sunt: nam partes corporis, per „ quas perficitur sensio, eæ ipsæ sunt, quas vulgo organa „ sensoria appellamus ..... ex quo inlelligitur, sensionis „ immediatam causam esse in eo, quod sensionis organum „ primum & tangit, & premit. Si enim organi pars ex- „ tima prematur, illa cedente premetur quoque pars, quæ „ versus interiora illi proxima est, & ita propagabitur „ pressio, sive motus ille per partes organi omnes usque „ ad intimam. Quemadmodum & pressio extima procedit „ ab aliqua pressione corporis remotioris, & sic perpe- „ tuo, donec veniatur ad id, a quo phantasma ipsum, „ quod a sensione fit, tanquam a primo fonte derivari „ judicamus .... Quoniam autem motui ab objecto „ per media ad organi partem intimam propagato fit „ aliqua totius organi resistentia, sive reactio per motum „ ipsius organi internum naturalem; fit propterea co- „ natui ab objecto conatus ab organo contrarius;

ut

(1) In Elem. Phil. cap. 25. art. 2. §. 5. Sed & idem hodie fatentur recentissimi Epicurei, L'Ametrie, Helvetius, aliique: sola enim irritatione nervulorum gigni sensum ac cogitationem adstruere conantur.

„ ut quum conatus ille ad intima ultimus actus sit eorum, qui sunt in actu sensionis; tum demum ex reactione aliquandiu durante ipsum exsistit phantasma, quod propter conatum versus externa semper videtur tanquam aliquid situm extra organum. *A sensatione ad ratiocinium explicandum sic porro pergit* (a). Ortus perpetuus tum sentientibus, tum cogitantibus phantasmatum idipsum est, quod appellari solet animi discursus; & communis est hominibus cum brutis; nam qui cogitat transeuntia phantasmata comparat, idest similitudinem vel dissimilitudinem inter ea animadvertit. *Distinctius hac de re eadem in Leviathane disserit* (b). Ut nullam, *inquit*, habemus imaginationem, quæ non ante fuit in sensione vel tota, vel per partes, ita nulla est transitio ab una cogitatione ad aliam, cujus similis non exstiterit ante in sensione. Cujus rei causa hæc est. Phantasmata omnia motus sunt interni, nempe motuum in sensione factorum reliquiæ: motus autem qui alii aliis succedunt in sensione immediate, remanent etiam simul, etiam post sensionem; adeo, ut quoties redit cogitatio prior, prædominaturque, sequatur posterior, propter cohæsionem materiæ motæ, quemadmodum aqua super tabulam planam, & levem trahitur per viam, qua ducit digitus, &c.

11. Apparet hinc abunde, qua ratione Epicurei, submota omni incorporea natura, conentur ea expedire, quæ mentis sunt propria. Paullo autem pluribus id theorema explicuimus, quod fundamentum futurum est totius confutationis doctrinæ Epicureæ: ostendemus enim operationes humanæ mentis nullo pacto esse posse actiones, & reactiones cerebri: ex quo consequetur actiones esse alterius subjecti, quod corpus non est. Quam consequentiam, si primum illud demonstraverimus, inficiari, ut ex superioribus patet, nequeunt Hobbesiani.

Prop. II. Nec judicium esse ullum in nobis potest, nec ratiocinium, nisi plures eodem tempore *Menti*, quæcumque hæc sit, seu *vi percipienti*, obversentur ideæ.

D. Ju-

(a) *Ibid.* §. 8.
(b) *Leviath. cap.* 3. *sed & in libro de homine eadem repetit.*

D. Judicium est perceptio & conscientia relationis, quæ inter duas, aut plures ideas intercedit; ratiocinium vero perceptio & conscientia relationis plurium judiciorum (ex def. 4. & 5.): conferri autem nequeunt, nisi quæ eodem tempore percipiuntur, uti patet (A); ergo nec judicium esse ullum in nobis potest, nec ratiocinium, nisi ideæ, quæ conferuntur, eidem tempori, quo judicium, aut ratiocinium fit, coexsistant.

Schol. (A) Sint duo tempora A, B, percipiatque mens tempore A solum parallelogrammum, tempore vero B solum quadratum: evidens est, eam non posse percipere relationem æqualitatis, aut inæqualitatis, quæ inter duas illas figuras intercedit. Enim vero relationem illam non videt tempore A, quippe in quo sola parallelogrammi idea menti obversatur, non etiam quadrati (ex hypoth.): nec tempore B, in quo non ei præsens est parallelogrammum, sed solum quadratum: minus etiam tempore C, in quo neutrum (ex hyp.) videt. Perspicuum ergo est, in judiciis & ratiociniis ideas omnes, quæ comparantur, si quidem comparantur, necessario coexsistere debere: ac si non coexsistunt, ne conferri inter sese quidem posse.

Coroll. Et quidem coexsistere debent toti illi temporis spatio, in quo judicium, aut ratiocinium vividum perdurat.

Prop. III. Si perceptiones sunt motiones cerebri, oportet ut tot sint in cerebro distinctæ ac diversæ motiones: quot diversæ & distinctæ ideæ nobis obversantur.

D. Nempe in ea hypothesi ratio sufficiens repræsentationis cujuslibet ideæ, aut phantasmatis, est & in actione objectorum externorum introrsum, & in reactione cerebri extrorsum (prop. 1.): utraque autem externa actio, & reactio interna sunt *entia singularia*, ut patet; *singularium* vero ea natura est, ut unum alterum non contineat; ergo una integra motio reactione & actione constans non potest, nisi unius ideæ singularis rationem sufficientem continere; jam singulæ ideæ singula objecta repræsentant, nulla plura (prop. 95. p. p.); ergo si ideæ sunt motiones cerebri, oportet tot fieri in cerebro distinctas ac diversas motiones, quot distinctæ diversæque ideæ nobis cogitantibus, obversantur.

Scholion. Si quis, causa exempli, dicat, *tonos* chordæ non esse, nisi vibrationes, vel oscillationes chordæ, is ut explicet diversos *tonos* A, B, C, D, statuere debet distin-

stinctas, atque diversas oscillationes P, O, R, S. Ineptissime enim contenderet, & perridicule eadem oscillatione P produci distinctos diversosque tonos A, B, C, D. Eodem modo si ideæ sunt, quæ *resultant ex conflictu actionis & reactionis*, ut opinatur Hobbius, procul dubio, quot sunt in nobis diversæ distinctæque ideæ, tot esse oportet distinctos, diversosque *conflictus actionis & reactionis* partium cerebri. Quod si idea sit aut sola actio introrsum, seu impressio ab objecto in cerebro facta, aut sola reactio extrorsum, eodem modo tot actiones, aut reactiones esse debent, quot insunt cuilibet cerebro ideæ.

Coroll. Et quidem motiones hujusmodi tamdiu durare in cerebro debent, quamdiu ei vivide ideæ obversantur.

Prop. IV. Motiones corporeæ esse nequeunt in indivisibili materiæ parte: neque idcirco in ea parte gigni ideæ Hobbesianæ.

D. Motus est actio, qua ens de loco extrinseco in locum extrinsecum transfertur (p. p. def. 74.); fieri ergo in indivisibili spatii, aut materiæ parte nequit.

Deinde ideæ Hobbesianæ sunt, quæ ex actionis & reactionis conflictu exsistunt (prop. 1.), adeoque ut motiones corporeæ, aut vivida inde exsistentia vestigia; quum autem motiones fieri nequeant in indivisibili materiæ parte (ex hujus parte priori); ne ibi quidem resultantia phantasmata exhiberi possunt (A); potissimum quum in tali puncto tamdiu durare distincti & diversi motus nequeant, quamdiu ideæ claræ & vividæ perdurant, quod necessarium factu est (Coroll. prop. 3.)

Scholion. (A) Pluribus hanc propositionem confirmat Henricus Morus (a). *Hæc*, inquit, *parvitudo, quæ tam exigua est, ut partes integrales realiter distinguendas proprie non habeat, qui potest esse subjectum distincte receptivum adspectus puta dimidiati horizontis simul? Quæ visio afficitur reali distinctoque motu a realibus distinctisque partibus objecti visi prodeundo... Præterea si hæc tam imperfecta parvitas distincte percipere potest objecta variegata, mira omnia sunt, ni itidem aeris, & atmosphæræ particulas, luminis globulos, & subtilissimam quamque texturam partium corporum opacorum percipere possit. Ad hæc objectum illud, de quo loquimur, iis coloribus variari*

(a) *De immortalit. Animæ lib.* II. *cap.* I. *axiomate* 24.

ri potest; ut repugnet plane, ut una eademque particula .... illos omnes simul recipiat: quoniam species eorum opposita non aliter communicari possunt isti particula, quam per contrarios motus, vel qua aque eodem tempore sunt contraria, per quietem & motum.

Duo opponi possunt. I. Varias illas objectorum repræsentationes non variis motionibus fieri, sed variis diversisque conatibus. II. Eos conatus non esse simultaneos, sed successivos, tanta tamen cum celeritate factos, ut videantur simultanei, quod iis, qui velocitatem ignis, luminis, materiæ electricæ non ignorant, videri non debet incredibile. Utrumque prorsus ineptum. I. Conatus ad motum est reactio: at quæcumque reactio corporea, etsi in exiguo, at fit tamen in spatio. Demonstrant Physici ex ictu pulicis tellurem subsilire, subsultu quidem infinite parvo, quum sit reciproce ut tellus ad pulicem; sed qui tamen fit subsultus. II. Motus quantumvis acceleretur nequit tamen fieri in instante indivisibili (ex prop. 153. primæ partis); ergo successivi motus exsistunt in distinctis, & divisibilibus temporis partibus, nec idcirco coexsistunt: coexsistunt autem imagines, seu ideæ: non ergo ideæ motus sunt in indivisibili, sed si motiones sunt, in extenso omnes fieri oportet.

Prop. V. *Conscientia* & sensus perceptionis, judicii, ratiocinii, est perceptio perceptionis, judicii, ratiocinii (ex intima conscientia); adeoque si perceptiones, judicia, ratiocinia non sunt nisi motiones, esse debet motio ab iis distincta. Ex. g. percipere lumen, essesque sibi conscium ejus perceptionis, quæ dicitur sensus & *animadvertentia* perceptionis; percipere æqualitatem quantitatum P, Q, atque ejus perceptionis esse conscium, omnino sunt diversa. Ergo nequit utrumque eadem motione, eodemque conflictu effici, ut scilicet eadem motio A & rationem *idea* contineat, & *conscientia* ideæ.

Prop. VI. Collatio idearum, qua judicia, & ratiocinia exsistunt, res est ab ideis, quæ conferuntur, diversa. Nempe aliud est percipere C, aut D, aliud duo illa inter se conferre. Si ex fenestræ foramine radius in obscurum cubile penetret, ibique in alba tabula varias rerum extrinsecus objectarum depingat imagines, nemo est tam plumbei cerebri, qui non intelligat, eadem ipsa actione, qua imagines illæ depinguntur, conferri inter se non

posse,

tuo non continent, ne mutuo quidem se referunt. Si addatur collatio velut tertius conflictus, hic oportet ut ambo illa exhibeat: at id non magis potest, quam duo illi priores se se mutuo. Jam nisi id fiat, collatio idearum nulla esse potest, nulla ergo idearum collatio fieri potest, si perceptio, & judicium sint motiones. Quum autem fiat ea comparatio (ex intima experientia); operationes, quæ tribuuntur menti, motiones esse nequeunt.

Coroll. Meditatio, perquisitio, conjectura, ratiocinatio nequeunt esse puræ cerebri motiones, aut *conflictus* ex actione & reactione in cerebro nati. Nempe in omnibus his judicium inest, seu comparatio, & conscientia, quæ pura cerebri motione constare nequit (ex prop. 8.)

Scholion. Egregie in eam rem disseruit Aristoteles *in primo de Anima*, qui locus veritatis amatoribus omnino consulendus est. Nemo enim accuratius & doctius unquam demonstravit, animam motu corporeo interno agitari non posse, nec operationes ejus noeticas motus esse corporeos, etsi agnoscat nullam esse in anima cogitationem, quæ cum agitatione aliqua, & motione corporea non sit conjuncta. Quid? quod Hobbius ipse, sui immemor systematis, rei perspicuitate, ut par est credere, perculsus, rotundis id verbis fatetur? *Quis igitur*, inquit, *sibi persuadeat, motione externorum obiectorum non tantum motum, sed & perceptiones produci* (a)? Scilicet hoc distant *veritas*, & *conficta hypotheses*, ut hæ tum demum videantur veræ, quum earum amore incaluit animus: ubi deferbuit, evanescant: illa vero æquabilis semper est & eadem. Similia sunt, illa quidem solis lumini; hæc lumini, quod somniamus.

Jam præclara sunt, quæ ea super re B. Augustinus in iis libris scripsit, qui in media versantur Metaphysica. I. Sensus & phantasia falluntur, dum rectum baculum, cujus dimidia pars aqua mersa est, curvum exhibent, interea ratio perspicue errorem detegit & perpetuo contradicit, etiam perdurante sensus, & phantasiæ errore. Quod si nihil esset aliud ratio, nisi hic cerebri conflictus, aut quoniam perdurat idem, dum idem refert phantasma, errorem suum non agnosceret; aut si is idem se corrigeret, non idem.

(a) *Hobb. in Leviath. pag.* 3.

idem referret phantasma, nec idem esset conflictus (*a*). Te nunc appello, Senex Malmesburiensis, ecquid ad hæc? Se phantasma erroris reprehendit, perduratque idem, an ab alio dedocetur? Ab alio autem phantasmate? unde & hoc aliud? Qui alterum alterum percipit? Qui cum objecto confert? Ad rem. Inde vero gravissimis verbis concludit Augustinus, *quare conficitur, ut aliud simus* NOS, *aliud* SENSUS: *siquidem quum* IPSE *fallitur, possumus* NOS *non falli*. Quo & illud spectat, quod Stillingfleetus Lockio objiciebat, fieri nullo pacto posse, ut corpus & idea corporis una sint eademque res: nam qui fieri potest, ut ea abstractione secernantur, si & idea, & abstractio, omnisque omnino cogitatio una sint res?

II. Ad hæc, judicia & ratiocinia rerum abstractarum & ipsa *conflictus* erunt corporei? Probabile efficere potes, conflictu quocumque nasci in cerebro phantasmata trianguli, rectanguli, quadrati, lineæ, velut in tabula luminis jactu imagines: at an etiam eodem conflictu perceptiones æqualitatis trium trianguli angulorum cum duobus rectis; æqualitatis rectangulorum, aut quadratorum cum quibusvis rectilineis; differentiam harum quantitatum; proprietates numerorum, & quidem in longissima judiciorum serie expedieris? Qui tot infinite parvorum calculos? Tu ne Geometra Geometris persuaseris exactissimas & longissimas demonstrationes, propositionumque systemata esse seriem conflictuum cerebri? Vah! ... (*b*) *Itaque* & hinc perspecte concludit. *Si corporea corporeis oculis mira quadam rerum cognatione cernuntur, oportet animum, quo videntur illa incorporalia, corporeum, corpusve non esse*. Sed ajunt, & eum, qui dicitur animus, motum esse corporis, & corporea esse omnia, quæ nos incorporeo animo cerni dicimus; quæ idcirco absurda nobis videntur, quod plumbei simus in physicis. Quod quidem mihi si quando dictum est (est autem dictum non parum sæpe) etsi satis clemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci. Ego ne non intelligo quid sit in physicis motus, quantumque sit is sen-

---

(a) *Lib. 2. Soliloq. cap. 3.*

(b) *Ex eodem Aug. lib. 2. Solil. cap. 19. & de Quantitat. Animæ a cap. 4. ad 13.*

ſus, & cogitationis impatiens? Ego ne quantopere differant inter ſeſe oſcillationes, oſcillationumque conſcientia? Quid igitur illud eſſe dicam, quod duas ſibi invicem confert oſcillationes, ac quatenus ſibi ſimiles ſint, aut diſſimiles intelligit? Id certe, nec corpus eſſe poteſt, nec motus ullus.

III. Quum aliquod nomen, velut Patris Alexandri Macedonis, memoria excidit, ecce quidam revocare conantur, memorantque mihi. Perdiccam, Lyſimachum, Seleucum, Antiochum: nondum agnoſco, niſi Philippum nominaverint: ecquis ea confert nomina? Ecquis illa reprobat, hoc probat? ille veri ſenſus unde naſcitur? inter ſe blande colloquuntur conflictus illi, atque ſe ſe agnoſcere geſtiunt (*a*)? Qui velint philoſophari attente, facile intelligent, memoriæ & reminiſcentiæ phænomena ſolo mechaniſmo corporis explicari non poſſe (*b*), utut non ſine illo in homine duplici re conflato fiant.

IV. Jam ſtatuamus Paſſerculum meum vocari Blitri: quum id pronunciari audio vocabulum, ſtatim cogito, mihi quidem Paſſerculum eſſe, ceteris *nihil*. Ecquis ea diſtinguit? Quis vocabulum *nihili*, a vocabulo rei cujuſvis diſcernit, quum ſonus idemque ideirco inde conflictus (*c*)? Quis me docet voces *radios*, *lego*, *doceo*, ac infinitas alias ejuſdem ſoni, aliud Græcis, aliud Latinis ſonare? Ea ſolis conflictibus fieri dicam? At eodem ſono idem excitari debet conflictus: eadem igitur idea: eadem ejuſdem ideæ conſcientia. Cur igitur excitantur diverſæ?

Sed inde vir acutiſſimus luculenter quoque cauſas explicans, quibus fit, ut de mente mens ipſa tanquam de re corporea in pleriſque cogitet: *Tanta*, inquit, „ vis eſt
„ amoris, ut ea, quæ cum amore diu cogitaverit (mens),
„ eiſque curæ glutine inhæſerit, attrahat ſecum etiam,
„ quum ad ſe cogitandum quodammodo redit. Et quia
„ illa corpora ſunt, quæ foris per ſenſus carnis adamavit,
„ eorumque diuturna quadam familiaritate implicata eſt,
„ nec ſecum poteſt introrſum, tanquam in regionem in-
„ corporeæ naturæ ipſa corpora inſerre, imagines eorum
„ con-

(a) *Ibid. cap.* 20.
(b) *Adiſis Henricum Morum de Immort. An. cap.* 2. *lib.* 2.
(c) *De quantit. animæ cap.* 32.

„ contrahit, & rapit, factas in semetipsa de semetipsa „ (*a*).

Atqui hæc talia sunt, ut Lucretius vir non certe imminutæ mentis intellexerit, motione partium vulgarium elementorum, eorum nimirum corporum, quæ noscimus, sensum & cogitationem creari non posse. Quumque nihil aliud, quod diceret, reperisset, quartam quamdam, (ut olim Aristoteles quintam ὀσιαν) invenit substantiam corpoream, &, ne dolus apertius intelligeretur, innominatam esse voluit.

Nec tamen hæc sat sunt ad sensum cuncta creandum;
Nihil horum quoniam recipit mens posse creare
Sensiferos motus, quædam qui mente volutent.
*Q*UARTA *quoque his igitur quædam natura necesse est*
Attribuatur (ea est omnino nominis expers):
Qua neque mobilius quidquam, neque tenuius exstat.
Nec magis e parvis, aut lævibus ex elementis,
Sensiferos motus, quæ didit prima per artus (b).

Sed si sensiferos hos motus, sensus, cogitationis, & ratiocinii, quibus *nil fieri celerius potest* (*c*), quibusve fit, ut nulla res *animo ocyus se perciat* (*d*), si motus, inquam, istos perquam minutis illis seminibus *vaporis aeris, atque ignis* gigni non posse ultro, o Tite, agnoscis, videsis an ullis aliis cujuscumque corporis particulis fieri possint. Scilicet si cogitationes fiunt atomorum motu, nulla alia præterea re, atomis minus tenuibus atque minutis, certe non æque veloces, at fient tamen. Quod si non his, ne ullis quidem aliis. Meminerimus igitur hoc in loco, *ex ideis humanis philosophari oportere* (post. I.), *tesseramque, eamdemque, & ducem Philosophiæ humanæ esse claritatem & perspicuitatem* (post. 2.) (1)

Prop. IX. Mens humana nequit esse *temperatio naturæ* corpo-

(a) *De Trinit. lib. 2. cap. 5. Vide 6. & 7. caput ejusdem libri.*

(b) *Lib. 3. de rerum nat. vers. 239. Vide & Plutarch. in 4. de plac.*

(c) *Ibidem v. 183.* (d) *Ibid. v. 185.*

(1) Vide ut ea de re profuse admodum & docte differit Henricus Moris de Immortal. Animæ lib. II. cap. 2.

corporea, qua vigeamus, & sentiamus, quæ fuit Dicæarchi opinio; ita enim, aut operationes mentis rationales nihil sunt aliud, nisi motiones partium corporis, & quum id esse nequeat (ex prop. 7. & 8.), ne illud quidem consistere potest: aut sunt actiones alterius generis; & tota ipsa harmonia res est a corpore distincta, & in se & per se ὑπαρχουσα *subsistens*; adeoque vera substantia a corpore distincta, quod ejus opinionis fautores nolunt.

Scholion. Dicæarchus Aristotelis discipulus vir fuit doctus & facundus ita, ut Cicero delitias suas non dubitaverit appellare: *Delitiæ meæ*, inquit, *Dicæarchus* (a). „ Is in eo „ sermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit „ doctorum hominum disputantium, primo libro multos „ loquentes facit, duobus Pherecratem quemdam Phthiotam senem ...., differentem inducit, nihil esse omnino „ animum, & hoc esse nomen totum inane ..... neque „ in homine inesse animum vel animam, nec in bestia; „ vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis æqualiter esse fusam, „ nec separabilem a corpore esse, quippe quæ nulla sit nec „ quidquam, nisi corpus unum & simplex, ita figuratum, „ ut temperatione naturæ vigeat & sentiat " (b). Dicæarchi doctrinam eamdem ego esse puto atque ejus doctoris Aristotelis; ut mox demonstrabo: certe Lockianæ persimillima est; ut idcirco, iisdem, quo illam refellimus, argumentis confutari possit (c). Fallitur profecto Plutarchus in 4. de Placit, dum Dicæarchum censet inter eos, qui animam fecere incorpoream. Ac facit quidem incorpoream, ut Aristoteles: hoc tamen sensu, quod non corpus sit, sed corporis δυναμις, & εντελεχεια, *vis*, & *ultimus actus*, minime ab illo separabilis, idest minime per se constans; ut sine corpore exsistere nullo pacto possit.

Lucretius Carus aliquot non omnino spernendis argumentis in hanc sententiam scripsit (d). Postquam enim dixisset, quosdam sapientum putasse,

Sen-

(a) *Cicero lib.* 1. *Tuscul.*
(b) *Ibidem*.
(c) *Vide Schol. prop.* 1.
(d) *Lib.* 3. *de nat. rer.* 107. & *seqq.*

Sensum animi certa non esse in parte locatum,
Verum habitum quemdam vitalem corporis esse,
Harmoniam Graji quam dicunt...

Addit

Magnopere, in quo mi diversi errare videntur.

Tum argumenta profert.

Sæpe utique in promtu corpus, quod cernitur, ægret,
Quum tamen ex alia lætamur parte latenti;
Et retro fit, uti contra fit sæpe vicissim,
Quum miser ex animo, lætatur corpore toto.
. . . .
Præterea molli cum somno dedita membra
Effusumque jacet sine sensu corpus onustum;
Est illud tamen in nobis, quod tempore in illo
Multimodis agitatur, & omneis accipit in se
Lætitiæ motus, & curas cordis inaneis.

Mediocria omnia. Quis ab Epicureo meliora exspectet? Sed ecce Bælius (*a*) ex instituto Dicæarchum refellere aggreditur. Peream, si quid boni a Sceptico. *Dicæarchi*, inquit, *opinio indigna est Philosopho: qui sic enim, ut ille, ratiocinatur, vagatur sine ullis scientiæ principiis, nec quid sit systematica harmonia intelligit. Quicumque ponit, animum atque animam non esse a corpore distinctam, vimque esse in omnibus corporibus vivis æqualiter fusam, unamque efficere rem & naturam cum corporibus viventibus, aut ipse se non intelligit, aut is defendat etiam oportet, eam virtutem nullo umquam tempore a corpore separari posse. Nempe quod a corpore distinctum non est, essentiale est corpori, pugnatque vero cum manifesta ratione, quæ sunt enti essentialia separari ab eo posse. Quod si verum est, & cadavera ipsa vivent, & partes corporis singulæ, quæ ab illo decidunt quotidie, partem quoque animæ secum trahent... Præterquam quod si corpus doloris capax est, aut voluptatis, quin ulla alia substantia animetur, ubicumque eadem est corporis natura, in lapidibus, in metallis, tum etiam in diffluentibus corporibus aqua, & aere, eumdem inesse sensum necesse est.* Sentiebat Bælius argumentorum suorum imbecillitatem: non enim tam obtusi erat pectoris, ut non animadverteret, esse, qui reponerent, vitam & sensum non competere corpori ὡσιωδῶς, *essentialiter*, sed potius esse

(a) *Dict. Hist. Crit. Art. Dicearque. Remarque C.*

modificationes, quæ dilapsa machina humana, abesse possint, quin naturæ corporis quidquam detrahatur. Eam igitur exceptionem occupatum it. Timeo Danaos, & dona ferenteis. „ Ea, *inquit*, doctrina absurda est: nam omnes modificationes sunt ita natura comparatæ, ut earum nulla destruatur umquam, nisi alterius similis intrusione: ita numquam deletur in corpore figura nisi altera figura, non color nisi colore altero ... Qui igitur his principiis consentanee ratiocinari velit, is dicere debet, non cessare in homine sensum & vitam, nisi alterius sensus & vitæ intrusione; id si ita est, næ homines beati, qui velint nolint, semper victuri sunt.... Regerent, esse in corpore modos, qui destruuntur, quin alii ejusdem generis eorum locum occupent: proferetur exemplum motus, qui quiete, re nempe minime positiva, cessat. Repono falsum esse, differre motum & quietem, velut positivum, & ejus privationem: sunt potius ambo entia positiva, nec differunt, nisi externis relationibus. Nam quies est conservatio præsentiæ in loco eodem: motus ejus præsentiæ commutatio &c." Nempe adeo perturbabatur exemplo motus Bælius, ut homo alioquin Scepticus, quod mirum, ne a cœpto desisteret, ineptum protulit, & quod Physici omnes rideant. Quis enim concoquat novam hanc motus & quietis theoriam? Nihil esse potest clarius, quam motum esse actionem realem, quæ ex corpore in corpus transeat, quæque separabilis a corpore sit (*a*).

Disquiram nunc in Aristotelis sententiam, quem ego cum Dicæarcho idem sentire mihi persuasi. Fieri potest, ut fallar: sed rationes, quibus id ego censeo, candide exponam. Quid igitur Stagirita philosophus de animæ natura senserit, perabsurdum ego existimo aliunde quærere, quam ex ejus *de anima* libris: in iis enim ea de re ex proposito, magnaque, ut videtur, diligentia, disputat. In eorum autem primo principio φανερον ειναι *perspicuum esse* scribit, animam neque κινησιν (*b*) esse, seu *motionem* ullam intestinam, neque αρμονιαν τινα, *ullam* corporis *harmoniam* (*c*), neque αριθμον κινουντ' εαυτον (*d*) *numerum seipsum cientem*:

(a) *Vide Musschembroek Elem. Phys.* §. 107. & 110. & *seq.*

(*b*) *Cap.* 3. & 5. (c) *Cap.* 4. (d) *Cap.* 6.

tem: neque componi ἐκ τῶν στοιχείων, & elementis quantumvis λεπτομερεστάτων, ἢ ἀσωματωτάτων, *tenuissimis, maximeque incorporeis* (1). Quibus ex rebus fit, ut hic minus attento lectori videri possit, animam Aristoteli constitui rem & per se subsistentem, nec a corporis substantia intrinsecus pendentem, & omnino incorpoream.

Sed alia existimabit, quum sequentis libri priora duo capita attente perlegerit. Horum enim primo ait animam esse οὐσίαν: sed hoc vocabulum (quo veteres Græci intelligebant id omne, quo res quælibet constaret, ac propter quod subsisteret) tripliciter accipi oportere: nam & ὕλη, *materia*, & εἶδος, *forma*, & quod est ex ἀμφοῖν *ambobus* οὐσία dicitur. Anima nec ὕλη est & ὑποκείμενον *subjectum*, nec totum compositum, sed μορφὴ & εἶδος, *forma* & *species*, forma nempe τῆς ὕλης *materiæ*, non cujusvis, sed corporis organici; quum nemo dixerit animam aut in *aere*, aut *igne*, aut aliis in rebus manifeste inanimis inesse. Porro ὕλη *materia* est δύναμις *potentia*: εἶδος vero seu forma ἐντελέχεια, perfectio scilicet ultima, quo corpus organicum hujus entelechiæ subjectum & materia animal postremo fit, atque est (2). Est igitur corpus quidem organicum subjectum & materia animæ, anima vero ἐντελέχεια corporis: non autem quævis ἐντελέχεια est anima, sed ea ἐντελέχεια, quæ sit εἶδος, forma corporis organici, qua fiat, ut corpus organicum sit & dicatur vivens.

J[illegible] εἶδος *species* cum duplici sensu accipi posse scribit, *habitu*

(1) Cap. 7. Hoc in loco animadvertas velim, Aristotelem ἀσωματώτατον pro corpusculis valde minutis atque subtilibus accipere.

(2) Est profecto entelechia a veteri τέλλω, *facio*. Puerile est quærere per δ, an per τ scribatur, ut superioribus sæculis Hermolaus Barbarus videtur dubitasse. Sed nec cacodæmon invocandus erat, quo ejus vocis notio intelligeretur, quod hunc eumdem Hermolaum fecisse narrat Petrus Crinitus, nisi id per satyram confinxerint: nam ipse Aristoteles satis aperte demonstrat, quid ea sibi velit, qua & libri φυσικῆς ἀκροάσεως referti sunt. Ut enim ferrum, quo evadat securis, opus habet forma securis, eaque perficitur securis; ita singulæ res naturæ non sola materia id sunt, quod sunt, sed formis: iis igitur perficiuntur; sunt igitur formæ *entelechiæ* complementa rerum ultima; in eoque a formis artificialibus differunt, quod entelechiæ ipsæ per se activæ sint, vi nempe φύσεως, naturæ, quam ille definit ὁρμῆς μεταβολῆς ἔμφυτον, *impetum mutationis insitum*. Vide lib. II. Phys. cap. 1.

habitu nempe, vel *actu*, seu, ut ille loquitur, ἐν ἐπιστήμῃ, vel ὡς το θεωρειν, vel ut in *scientia*, vel ut in *contemplatione*. Ac vero geometra etiam, quum dormit, geometriæ ideas, formas, species, scientiam denique animo tenere dicitur, quamquam eas non contempletur; *habitu* ergo habet, non *actu*. At is, qui theorema aliquod geometricum contemplatur, *actu* ejus speciem in animo depictam ac vividam habere dicitur. Quum ergo anima sit ειδος forma & species, non cujusvis corporis, sed organici, certe non actu est ειδος, sed habitu, agitque per modum habitus; idque ait esse φανερον, *clarum*, perspicuumque (*a*); perdurat enim instar infixi habitus.

Forma est quidem ουσια, sed hoc sensu, quod eo efficiatur, ut materia, quæ per se ipsa nequit esse το τι, seu aliquod definitum determinatumque, sit το τι; nam materia ipsa per se nec ignis est, nec aer, nec aqua, nec planta, nec animal, sed subjectum horum omnium commune, ut censet Aristoteles. Quo igitur aut ignis sit, aut aqua, aut planta, aut animal ειδος efficit, seu εντελεχεια (nam & ad omnes formas hoc vocabulum aptat in physicis). Hoc ergo sensu anima dicitur *substantia* (ουσια), quod res quædam est, qua fit, ut materia sit το τι, aliquid scilicet definitum, quod distincte esse, intelligi, ostendique possit, animal nempe. Et quo modo (nam hoc exemplo utitur sæpe) ferrum neque serra est, neque securis, neque ullum aliud ex iis instrumentis, quæ ex ferro fabre[illegible]nt: forma autem serra fit, aut securis: eodem modo animal fit quidem ex materia eadem, qua res ceteræ, sed entelechia, forma, anima. *Sed anima & corpus sunt unum?* Id non minus absurde quæri ait, ac si quis quærat, globus ceræ ejusque rotunda figura sunt, necne, unum? Nam aliud est esse unum, aliud id, quo unum dicitur. Res autem dicitur una ob *entelechiam* (*b*). Scilicet quum forma sit id, quo materia res definita & determinata evadat, formæ profecto debet ut hoc sit, aut illud, adeoque ut unum dici possit. Quæ quidem paullo obscure dicta ex altera quæstione, quam præcise definit, dijudicari possunt. Separabilisne est anima a corpore? Anima tam est essentia corporis hujus organici, quod vivit, quam forma securis

---

(a) *Lib. II. cap.* I. *v.* II. *ex edit. Duvalli.*
(b) *Eodem cap. v.* 14.

euris est securis essentia (a), ουσια enim est omne id, quo res aliqua constat. Quomodo ergo si a securi formam separes, ferrum est, non securis; ita si a corpore separetur anima, non amplius id est, quod anima efficiebatur, animal nempe. Quibus rebus efficit animam separari a corpore animali generatim non posse, quin illud desinat esse το τι: nec si separetur, eam subsistere: ουκ, inquit, εστιν ἡ ψυχη χωριστη του σωματος, *non est anima separabilis a corpore*, ut visio non est ab oculo separabilis; idque esse ait ουκ αδηλον, *minime obscurum*. Sed quid hæc sibi volunt, *animam non esse a corpore separabilem*? Nempe non posse corpus animale concipi sine anima, nec animam, idest perfectionem corporis, sine corpore, idest sine re, cujus est perfectio, subsistere: nam in extrema hujus capitis parte, *præclare*, ait, *ii putant*, *quibus videtur*, *animam* μητε ανευ σωματος ειναι, μητε σωμα της ψυχης *nec sine corpore esse*, *nec corpus* (organicum & vivens, de quo loquitur) *sine anima*. Quomodo nec globus ceræ sine rotunda figura: nec hujusmodi figura sine materia, cujus perfectio est, & το τι.

Illud in dubio esse potest an hæc de *sensitiva* juxta & *intellectiva* anima dicat, an de priori tantum. Hoc eodem capite aperte ait, sensum a ratione differre, partemque animæ theoreticen seu contemplativam esse ψυχης γενος ετερον, *animæ genus diversum* ab anima sensitiva, & hoc solum theoreticon, & logicon posse a corpore separari καθαπερ το αιδιον του φθαρτου, *velut immortale a mortali*. Interim sequente capite unius ejusdemque animæ facultates has numerat, *nutritivam*, *sensitivam*, *appetitivam*, *locomotivam*, & *dianoeticam*, seu cogitantem. Ac quamquam sedulo ille distinguit *contemplantem mentem a facultate dianoetica*; quarum hanc & brutis tribuit, θεωρητικον vero νουν solis hominibus (b); id ita facit, non ut revera mentem velut per se subsistentem constituat, sed ut animum humanum una proprietate ditiorem esse, quam brutorum animam, doceat. Intelligere & sentire longe esse inter se diversa acute adversus veteres probat: ita tamen, ut non distinguat, subjectis ne differant, an facultatibus. Ejusdem libri cap. 5. ait distinguendum intellectum, qui

(a) *Ibidem* v. 16.
(b) *Lib. III. cap.* 3.

qui intelligibiles species excipit, ab eo, qui æstimat ac dijudicat: νυν utrumque vocat. Ille δυναμις *potestas* est: hic ενεργεια, *actus*. Hic non adest semper, quum ne oculis quidem sua semper insit energia, licet semper vis & potestas: illa perpetuo adest. Qua autem ratione distinguuntur? Nempe, ut curvatura lineæ ab eadem linea, si extendatur ac recta fiat. Quomodo ergo separari potest curvitas a linea, ita *intellectus agens*, seu potius intellectus *energia*, ab eo intellectu, qui est potestas, quemque *passivum* scholæ vocant. Hic (passivus) a corpore separabilis non est: adeoque cum corpore perit. Ille separatur, estque res αθανατος, και αιδιος, *immortalis & æterna*. Sed tamen hic immortalis & æternus nihil intelligit sine altera mortali, ανευ τυτυ υδεν νοει. Quod quid est aliud, quam fucum facere lectoribus minus attentis, ac Platonis amatoribus adulari? Quæ, ut dixi, me cogunt suspicari hæc non ex suo, sed ex populi sensu dixisse. Certe systemati suo minime sunt illa consentanea: tam enim mihi certum est, animam humanam nihil esse Aristoteli aliud, nisi vim toto corpore fusam, *perfecti habitam*, ut ille vertit, corporis, atque ab organizatione inseparabilem; ejusque diversas esse facultates vim sentiendi, & vim intelligendi; quam quæ sunt certissima. Vide caput 9. & 12. hujus tertii libri, quibus paullo apertius ea de re loquitur. Enimvero quid sibi volunt hæc verba capitis 12. υκ οιον τε δε σωμα εχειν μεν ψυχην, και νυν κριτικον, αισθησιν δε μη εχειν: *Fieri autem nequit, ut corpus habeat animam, atque mentem judicantem, nec tamen habeat sensus*. Ac quia omnes sensus sunt tactus; conficit nullum esse animal posse sine tactu. Sed nec tactus esse in simplici corpore potest, aere, igne; nullum igitur esse potest animans igne, aut aere conflatum. Ignis igitur, ut non sentire, ita ne cogitare quidem potest. Quum ergo Aristoteles alibi docere videatur vim intellectivam, quæ ex ejus sententia sine sensitiva esse nequit, esse ignem, aut quintam quamdam usiam corpoream & tenuissimam ab astris advenientem, aut a φυσει τυ παντος, *a natura universi*, aut pantheistam se prodit (1), aut fucum

(1) Sextus Empiricus lib. 1. ad. versus physicos cap. II. memoriæ prodiit Aristotelem hoc pacto divinationem explicuisse. ὁταν γαρ εν τω υπνω καθ' ἑαυτην γενηται, η ψυχη, τοτε την ιδιαν απολαβυσα φυσιν, προμαντευεται τε & προαγορευει τα μελλοντα. Τιαυτη δε

cum minus intelligentibus facere vult; aut hujus rei ignorantiam confictis spectris tegere. Utcumque sit, vocabulum *entelechia*, quo nullum suo systemati aptius esse poterat, satis aperte demonstrat, animam ab Aristotele non ita habitam fuisse, ut ejus interpretes quidam arbitrantur, velut rem, quæ per se subsistere possit. Sed veluti habitudinem quamdam, & temperationem organici corporis, quæ ab eo separata nihil sit. Hoc sensu & harmonia dici potest Aristotelis anima ejusmodi, ut ut ille inficiatur. Quin hic idem philosophus de Rep. lib. VIII. cap. V. extremo, quo plene persuadeat, pueros docendam esse musicam, non sine tacita approbatione scribit: *quocirca multi sapientes partim animam harmoniam esse dixerunt; partim ex harmonia constare* (1).

Sed perpendamus hic paucis insignem ejusdem philosophi locum de generat. animal. lib. II. cap. 3. Principio docet semen, & fœtum, qui ex semine gignitur, suo modo vivere: nam quum & φυτα *stirpes* vivant, & prolifica sint, absurdum profecto fuerit σπερματα και τα κυηματα των ζωων, *semina & fœtus animantium* omni esse vita destituta. Sed hæc seminis masculini vita nihil initio generationis est aliud, nisi pura vegetatio. Paullatim deinde ac veluti per gradus explicatur seminis vita, quousque τελος, *finem*, quem natura sibi proposuit, attingat,

εσι και εν τω κατα τον θανατον χωριζεσθαι των σωματων. *Quando enim somnians apud semetipsam fuerit anima, tum propriam sumens naturam, divinat, prædicitque futura. Sed & idipsum quoque efficit, dum prope mortem separatur a corporeis*. Animadvertatur hic σωματα vocari a philosopho Stagirita corpora crassiora: superius enim vidimus tenuissima corpuscula dici *incorporea*. Ab his igitur corporibus separatur in morte anima; eoque tempore divinat. Quid ita? Quia scilicet tum suam φυσιν naturam ac propriam accipit, æque atque dum dormimus. Quæ ea sit natura perquiri posset. Sed constat in Aristotelis systemate omnes *formas naturales* e sinu materiæ proficisci, in eamque redire, quum dissolvuntur, idest quum separantur. Est ei materia una atque immensa, sed φυσει tamen τη παντος animata. Cum hac materia, eaque natura rerum omnium genitrice junguntur animæ, quam separantur. Mundana igitur anima (quid enim vetat eo vocabulo *naturam peripateticam* vocare?) fons est animarum ceterarum, si Aristoteli credimus.

(1) Ejus verba sunt hæc πολλοι φασι των σοφων, ἁρμονιαν ειναι την ψυχην, οι δ' εχειν ἁρμονιαν.

gat, ὕςερον γὰρ γίνεται τὸ τέλος, *ultimus enim est finis*, propter quem scilicet agit natura. Ac præcedit quidem sensus, qui vegetationem proxime sequitur (1). Jam anima illa θρεπτικὴ *vegetans* est in spermate ac fœtu δυνάμει, ὀυκ ἐνέργεια, *potentia* ac vi, *non actu*, priusquam fœtus nutriri incipiat; non secus atque plantarum semina vi quidem & potestate vivunt, priusquam germinent, non etiam actu. Quid vero *sensitiva*, est ne & ipsa in spermate vi ac potestate? Quid postremo *rationalis?* Eodem, inquit, prorsus modo: ἑπομένως δὲ δηλονότι καὶ περὶ τῆς αἰσθητικῆς λεκτέον ψυχῆς, καὶ περὶ τῆς νοητικῆς, *consequenter dicendum & perspicuum est* (nec vero dubium) *idipsum esse & de sensitiva anima, & de intellectiva*. Utraque igitur hæc anima potestate, ac vi in spermate est, ut vis vegetandi in plantarum seminibus. Quid igitur illud est, quod extrinsecus concepto animanti accedit? nempe ἐνέργεια, *actio*, *motus*. Hæc a sole & astris. Negat ille quidem esse ab igne: ignem autem hunc nostrum intelligit elementarem, a quo Aristoteles longe differre existimat elementum τῶν ἄςρων, *stellarum*, quas de cælo lib. II. cap. IX. negat esse igneas; ac ut intelligi possit, φύσιν nostri ignis ἀνάλογον proportionalem esse ait τῶν ἄςρων ςοιχείῳ elemento, idest ὀυσία *substantia* astrorum, quæ quid sit, ne ipse quidem satis intellexisse videtur. Neminem ergo amplius Stagirita deludat, quum ait, νοῦν θύραθεν ἐπεισιέναι, *mentem extrinsecus subire hominem*, καὶ θεῖον εἶναι μόνον, *idque solum esse divinum*: nam a substantia astrorum est excitatio illa, qua animal intelligit, licet vis sit in corpore: eamque astrorum φύσιν non semel Aristoteles (ne cui vox fucum faciat) θείαν *divinam* vocat. Quin cælum Deum esse ait, & ejus σῶμα corpus, τι θεῖον, *aliquid divinum*. *De cælo* lib. II. cap. 3.

Prop. X. Mobilitas singularum partium conjuncta cum divisibilitate: soliditas, & inertia sunt corporis naturaliter exsistentis proprietates.

D. Pri-

(1) Hic interpres, quum Aristotelem partem tantum αἰσθητικὴν, *sensitivam* memoret, de jecinore suo rationalem quoque obtrudit, cujus hoc in loco nec vestigium est, nec vola. Scilicet ad ea lectorem præparare voluit, quæ paullo post erat additurus, quo Macedonis philosophi doctrina de mente minus absurda videretur.

D. Primum. Omne corpus natura sua divisibile est usque in indivisibilia elementa, ideſt quatenus eſt extenſum: at intelligi nequit diviſibilitas ſine mobilitate, ut patet; ergo mobilitas ſingularum partium conjuncta cum diviſibilitate ita eſt corpori naturali eſſentialis, ut intelligi nullum naturæ corpus ſine ea poſſit. Ea de re igitur dubitandum non eſt inter homines (ex poſt. I. & V.)

Alterum. Soliditas philoſophis eſt ea extenſi qualitas, qua fit, ut una ejus pars alteri, ne eumdem locum occupet, reſiſtat (def. 65. p. p.): jam ſingulis quorumcumque naturalium corporum partibus eam vim ineſſe experimenta demonſtrant, & ita quidem, ut intelligi nequeat ſine ea qualitate naturæ corpus: corpori igitur naturali propria eſt ſoliditas. Enimvero ni ita eſſet, ne motus quidem ullus naturalis eſſe in hujus mundi corporibus poſſet, quin omnia continuo in punctum geometricum compenetratione abirent, uti perſpicuum eſt.

Tertium. Inertiam appellamus cum Newtono (a) *vim inſitam materiæ, qua corpus unumquodque, quantum in ſe eſt perſeverat in ſtatu ſuo quieſcendi, vel movendi; ut per eam fiat, ut omne corpus de ſtatu ſuo vel quieſcendi, vel movendi difficulter deturbetur*. Eam autem ſingulis corporibus ineſſe, & continuis experimentis diſcimus, & plurimis demonſtratum eſt a Philoſophis recentioribus (b); & hæc igitur vis corporeæ naturæ eſſentialis eſt.

Schol. Non ſum neſcius, pleriſque philoſophis in dubium vocari & *diviſibilitatem cum mobilitate conjunctam*, & *inertiam* materiæ. Ariſtotelem materiam mundanam feciſſe unam, undequaque immenſam, immobilem atque indiviſibilem, nemo eſt qui ignorat, modo libros ejus *περι φυσικης ακροασεως* legere ſcivit (1). Eadem fuit Arabum doctrina.

Inde

(a) *Newtonus Princip. Math. Phil. Natural. def.* 3.

(b) *Muſſchembroek Elem. Phyſ. a* §. 53. *ad* 63. *Vide quæ ibi ſunt adnotata in editione Neapolitana*.

(1) Quidam minus Ariſtotelis intelligentes, quum legant in III. phyſ. eum negare *ullum eſſe infinitum magnitudine*, exiſtimant, nec materiam ab eo poſitam infinitam. Sed animadvertant, eum de infinito ſenſibili, ideſt de corpore infinito agere: materia Stagiritæ philoſopho corpus non eſt. Ceterum is aperte eodem lib. cap. XII. materiam *απειρον* eſſe docet: ſed quum forma (*ειδος*) finiat, monet non habere ſuapte natura formam *ειδος γαρ* ...

Inde omnem substantiam Spinoza indivisibilem postquam conatus esset demonstrare (*a*), in corollario propositionis XII. rotunde scribit. *Ex his sequitur nullam substantiam, & consequenter nullam substantiam corpoream esse divisibilem*. Cujus opinionis rationem paucis comprehendit in scholio. *Quod substantia*, inquit, *sit indivisibilis, simplicius ex hoc solo intelligitur, quod natura substantiæ non potest concipi, nisi infinita, & quod per partem substantiæ nihil aliud intelligi potest, quam substantia finita, quod manifestam contradictionem implicat*; quo modo substantia pro primo *υποκείμενῳ* mundi, ut Aristoteles materiam, accipit. Quid autem? nonne experimenta perspicue demonstrant, materiam dividi? „ Ei, inquit (*b*), respondebo, quod „ quantitas duobus modis a nobis concipitur, abstracte „ scilicet, sive superficialiter, prout nempe ipsam imagi- „ namur; vel ut substantia, quod a solo intellectu fit. Si „ itaque ad quantitatem attendimus, prout in imagina- „ tione est, quod sæpe & facilius a nobis fit, reperietur „ finita, divisibilis & ex partibus conflata: si autem ad „ ipsam prout in intellectu est attendimus, & eam qua- „ tenus substantia est concipimus, quod difficillime fit, „ tum, ut jam satis demonstravimus, infinita, unica, & „ indivisibilis reperietur, quod omnibus, qui inter imagi- „ nationem, & intellectum distinguere sciverint, satis ma- „ nifestum erit. Præcipue si ad hoc etiam attendatur, „ quod materia ubique eadem est, nec partes in eadem „ distinguuntur, nisi quatenus materiam diversimode af- „ fectam esse concipimus, unde ejus partes modaliter tan- „ tum distinguuntur, non realiter. Ex. g. aquam quate- „ nus aqua est dividi concipimus, ejusque partes ab invi- „ cem separari: at non quatenus substantia est corporea: „ eatenus enim neque separatur neque dividitur. Quæ sunt mere peripatetica: nam divisionem non ad substantiam pertinere, sed ad *quantitatem dimensivam*, omnes vete-

(a) *P. part. Prop.* XII.
(b) *Schol. prop. XV. primæ partis*.

ουκ εχει ἡ ὑλη, ibidem cap. x. Accedit, quod locus, qui est Διαςημα τȣ μεγεθȣς, *interval-lum inter magnitudines*, Aristoteli est materia; negat enim vacuum (*vide Phys. lib.* IV. *cap.* IV.). At locus, refragante licet philosophorum principe, infinitus esse debet, si nullum est vacuum: adeoque infinita materia? licet mundi forma finita sit.

veterum scholarum primipili docuere, in primis S. Thomas (1),

Sed quum Spinoza corpora dividi quidem non inficietur prout *imaginationis* sunt objectum, neget prout objectum sunt *intellectus*; affirmet aquam dividi quatenus aquam, neget quatenus substantiam; perspicuum est eum, (quod illi est familiare) abstracta illa substantiæ, quam commentus est, idea deludi. Scilicet tantundem est, quod ait, atque abstractam quidem substantiæ notionem non dividi, in quo ei non adversabor; dividi autem corpora ipsa, quod quærebatur. Nos, qui philosophamur *ex ideis, quas habent homines* (post. 1.) quique ejus canonis sumus memores, *caveto ab ideis abstractis & universalibus; ex iis de rebus ipsis ne judicato* (a), contenti sumus hujusmodi deridiculi erroris fontem indigitasse; nec putamus operæ pretium in re evidente argumenta non necessaria congerere. Atque ne quis inertiæ id nostræ tribuat, is sciat, duo esse rerum genera, quæ demonstratione comprehendi nequeant, *plane evidentia, & summe obscura*. Bene autem habet, quod ii Philosophi, adversus quos differimus, Epicurei nempe, priori illi theorematis nostri parti libenter subscribunt.

Jam alia est eorum ratio, qui idcirco substantiam corporum dividi non posse fatentur, quod ea non una sit, sed pene sint infinitæ, nec extensæ, nec divisibiles. Nam aliud est atomos corporum minime esse divisionis patientes; aliud corpus. Illæ separari nequeunt, quia simplices: at corpus ex iis compactum in ea dividi potest, ex quibus conflatur.

Quod spectat ad inertiam, ei videntur & veteres plurimi, & non pauci e recentioribus Philosophis contraire. Nam & Democritici omnes, atque Epicurei actuosa corpora fecerunt: & fecit Aristoteles cum suis formis substantialibus, quamquam eas minime corporeas habuerint Peri-

(a) *Art. Logico-Crit. lib. 2. cap. 3. can. 4.*

(1) Quid igitur faciemus S. Thomæ, qui non substantiam corporis esse divisibilem, sed quantitatem docet? Vidimus Aristoteli ουσιαν esse aut materiam primam, aut εντελεχειαν, aut ex utraque re compositum. Nec materia prima divisibilis est, nec forma; sed quantitas velut adjunctum & accidens. Fateor me hæc non satis intelligere. Itaque accipio ut sonant.

Peripatetici: nec repugnant scholastici (1), & omnes nunc Leibnitiani suum addunt calculum. Nec Platonici eam negarunt activitatem, etsi a formis æternis repetierint (2). At Arabes quidam, præcipue Avicebron, quem B. Thomas memorat (3), *omnes actiones, quæ videntur esse corporum, esse actiones cujusdam virtutis spiritualis, quæ penetret per omnia corpora, putarunt.* Quid, quod ipse Newtonus ab hoc naturæ spiritu plastico non abhorruit (4)? Eamdem nos corporum omnium activitatem in priori parte statuimus.

Si quis est, qui ita adversus inertiam corporum disserat, is quæstionis vim nondum intellexit: ea enim activitas, de qua loquuntur, non pugnat cum *inertia* hac recentium philosophorum. Nam hæc est vis illa, *qua corpus reluctatur vi extrinsecus impressæ, ne e statu suo deturbetur, ut in suo statu se conservet, & qua re agit in causam impellentem* (a). Est autem perspicuum, & eam vim omnibus inesse corporibus, & non pugnare cum activitate illa, quam isti opponunt, quæcumque ea sit.

Prop. XI. Cogitatio & ratiocinio pugnant cum soliditate, divisibilitate, & inertia corporis.

D. Primam. Cogitatio & ratiocinatio est actio, qua plures ideæ comparantur (def. 4. & 5.). Vocetur hæc actio A, ideæ quæ conferuntur B, C, D, E. Sint hujusmodi ideæ motiones extensi solidi G. Eæ conferri non possunt, nisi in unam A confluant, ut se mutuo in ea repræsentent, quemadmodum est manifestum: id vero aut fit, quia totidem particulæ solidi G, quæ sint subjecta quatuor illarum motionum B, C, D, E, in unum compenetrantur; aut quia actiones tantum A, B, C, D, sine

(a) *Vide Newtonum loco superius citato.*

(1) Vide B.Th. in Summ.Theol. p. 1. quæst. 115. art. 4. Goudinus comm. in Arist. Phys. pag.121.—123. *Ratio principii activi convenit substantiis corporalibus; & inde pendent affectiones corporum, quæ cernuntur in mundo.*

(2) *Idem ibidem.*

(3) *Ibidem.*

(4) Vide a nobis dicta differt. de origine & constit. rerum corporearum, quam iterum edidimus ad calcem primæ part. superiorum editionum, edemusque & in hac tom. v.

ſine ſuis ſubjectis in unum confluunt. Poſterius eſſe nequit, quum modificationes nequeant exſiſtere ſine ſuis ſubjectis (1) (prop. 36. primæ part.): ſupereſt prius; at id evertit ſoliditatem; omni modo cogitatio & ratiocinatio pugnant cum ſoliditate.

Alterum. Pone ſubjectum cogitans G dividi in partes B, C, D, E: cogitatio A aut coextendetur iiſdem, aut non: ſi poſterius, evertetur cogitatio, quippe diſſluent ab ea ideæ B, C, D, E. Prius ergo. Dividetur autem ea in partes, an indiviſibilis erit in toto illo diviſo B, C, D, E? Poſterius inintelligibile eſt, neque ex eo philoſophari fas eſt (poſt. 1.). Si prius, ſingulæ ne partes, puta P, Q, R, S complectentur integram comparationem phantaſmatum B, C, D, E; an ſingulæ ſingula: Prius eſt contra hypotheſim; neque enim eo caſu diviſa erit cogitatio: alterum totam naturam cogitationis evertet. Cogitatio ergo & ratiocinatio cum ſint comprehenſiones plurium idearum in uno impartibili pugnant cum diviſibilitate.

Tertium. Libertas, ſeu facultas agendi aut ceſſandi ex ratione (def. 12.) omnibus ineſt, ut quiſque ſibi teſtis eſt uberrimus, inferiuſque ſumus demonſtraturi: ea & a ratione pendet, & cum ea eſt conjuncta: nec ratio quidpiam eſt, niſi vis cogitandi (def. 2.). Quum autem ea libertas evertat inertiam, ut patet; ſequitur & vim cogitandi cum inertia pugnare.

Præterea, quoniam corpora ſunt inertia, perſpicuum eſt Newtoni illud axioma; *mutationem motus proportionalem eſſe vi motrici impreſſæ, & fieri ſecundum lineam rectam, qua vis illa imprimitur* (a); at cogitatione & ratiocinatione totum hoc axioma evertitur: nam de infinitis rebus cogitamus, quin ulla actione externa agitemur: poſſumuſque ſeriem demonſtrationis unius interrumpere, alteramque omnino diverſam aggredi, idque centies repetere, & in-

(a) *Princip. Math. lemmate* 2.

(1) Reponet quiſpiam, motiones omnes fibrarum cerebri, quæ ſint totidem perceptiones, confluere in unum cerebri punctum, ut id *ſenſus ſit communis*, ibique inter ſe conferri. Sed principio, confluent in indiviſibile, an in diviſibile cerebri punctum? non primum, id enim motum nullum excipere poteſt. Si alterum, idem diverſis ne motionibus agitabitur, an una motione compoſita ex diverſis? Primum me intelligere non poſſe fateor: poſterius ſi eſt, unam hæc motio ac novam ideam repræſentabit, non plures, quas inter ſe conferret.

intermittere, quod nemo, arbitror, qui secum vivere didicit, ignorare potest: præterea, attentionem intendere, aut remittere: ab imaginatione ad intellectionem, & vicissim, quoties libeat, transire. Quæ omnia cum corporis hac proprietate, atque cum iis, quæ ex illa sequuntur, manifesto pugnant.

Scholion. Pugnare corporis divisibilitatem cum cogitatione observatum Cartesio perspecte. Is enim sic eam in rem scribit (a): *Nempe in primis hic adverto magnam esse differentiam inter mentem, & corpus, in eo quod corpus ex natura sua sit semper divisibile, mens autem plane indivisibilis. Nam sane quum hanc considero, sive meipsum quatenus sum tantum res cogitans, nullas in me partes possum distinguere, sed rem plane unam & integram me esse intelligo. Et quamvis toti corpori tota mens unita esse videatur, abscisso tamen pede, vel brachio, vel quavis alia corporis parte, nihil ideo de mente subductum esse cognosco: neque etiam facultates volendi, sentiendi, intelligendi, &c. ejus partes dici possunt; quia una & eadem mens est, quæ vult, quæ sentit, quæ intelligit. Contra vero nulla res corporea sive extensa potest a me cogitari, quam non facile in partes cogitatione dividam, atque hoc ipso illam divisibilem esse intelligam. Quod unum sufficeret ad me docendum, mentem a corpore omnino esse diversam, si nondum illud aliunde satis scirem.* Operæ tamen fecisset pretium si paullo accuratius ex legibus mechanices rem explicuisset; nimis enim vage id dicit, præsertim quum is mentis nomine *cogitationem* intelligere videatur, non ὑποκείμενον cogitans.

Prop. XII. Mens humana est substantia incorporea.

D. I. Quum cogitationes sint actiones (ex def. 2. sch.) esse debet earum vis aliqua seu potentia (p.part.prop.66.) ejusque vis aut potentiæ subjectum sive substantia (ibid. prop. 65.). Jam si id subjectum corpus est, idearum repræsentatio & perceptio, tum judicium & ratiocinatio non aliter fieri possunt quam conflictu partium corporis (prop. 1.): quod quum esse nequeat (prop. 8. & ejus coroll.); cogitationes erunt subjecti alicujus incorporei: subjectum vero cogitationum nostrarum mens est humana (def. 1.); mens ergo humana incorporea est.

II. Præterea si non est incorporea, erit aut habitus & tem-

(a) *Medit. 6. de prima Phil.*

temperatio corporis; aut ejus attributum aliquod substantiale. Primum esse nequit (prop. 9.): nec secundum: nam quum mens pugnet cum præcipuis corporis attributis essentialibus divisibilitate, mobilitate partium, soliditate, inertia (prop. 11.), eadem substantia corporea constaret ex iis, quæ se mutuo destruunt, quod fieri nequit (prim. part. prop. 1. & 2.). Nec regeratur, ignorare nos essentiam corporis, ac propterea non posse affirmare, cogitationem non esse illius attributum essentiale: nam ut demonstrem pugnare, ex. g., ut triangulum sit quævis alia figura, non est necesse, ut utriusque omnes proprietates noscam: sat est scire, esse in illa figura, v. g. X, proprietatem L, quæ destruat hanc trianguli, tres ejus angulos æquales esse duobus rectis.

Coroll. Attributa essentialia mentis omnino sunt diversa ab essentialibus corporis attributis. Nempe substantiæ diversæ iisdem attributis constare nequeunt.

Prop. XIII. Mens humana, quoad vivit perenni perceptione prædita sit, necesse est, si ex postulato primo philosophemur.

D. Principio. Mens humana est substantia a corpore distincta & diversa (prop. 12.), ejusque attributa essentialia ab attributis corporis essentialibus distincta sunt & diversa (corol. prop. 12.): ergo & vita mentis quoad ea vivit, diversa esse debet ab ea, quæ corpori vulgo tribuitur, aut quæ corporis esse propria possit, nempe agitatione, aut energia corporearum partium. Jam posita est omnis vita in actione quacumque, quæ sit perennis quoad vita durat, quemadmodum per se est perspicuum (def. 10.) ita plantam, ignem, atque alia tamdiu vivere dicimus, quoad actione aliqua vitali agitantur: actio ergo, qua mens vivit, perennis esse debet, quoad vivit. Ea vero actio aut *corporea motio* est, aut *cogitatio*; neque enim ullius alterius actionis ideam habemus: motio esse non potest (ex superioribus); cogitatio ergo est: perenni ergo cogitatione mens prædita est, quoad vivit; idest ex natura mentis incorporea simplici ac per se constante sequitur necessario, ut semper cogitet; ut si non semper cogitet, substantia esse non posse videatur incorporea simplex & per se constans, sed corporis tantum δυναμις.

Præterea. Ponatur mens non semper cogitare; per intervalla nunc cogitabit, nunc non cogitabit. Cogitet tempore

A, non cogitet tempore B: perpetuo a statu cogitationis ad statum incogitantiæ transibit: fieri autem id potest aut ipsa mentis natura, aut vi externæ alterius causæ. Primum esse nequit; nam principio quemadmodum nullum corpus suapte natura a motu ad quietem transire potest: ita nulla substantia suapte natura ab *actione* quacumque ad *inactionem*; cujus rei ratio est, quod quælibet res natura sua & esse & conservari exigit, nec ipsa sibi esse potest contraria: quumque nulla res iis constare possit, quæ se mutuo destruunt, omnia cujuslibet rei attributa, ex quorum indivisibili unione ejus rei essentia existit, natura comparata sunt ad *esse* & *conservari*; ut idcirco nullum ens *actione sui*, sed *passione* perire possit. Deinde quemadmodum nullum corpus a quiete ad motum transire potest suapte natura, ita nulla substantia ab inactione quacumque ad actionem; scilicet ex nihilo nihil fit (prop. 1. part. p.), & nemo sibi dare potest, quod non habet. Suapte ergo natura mens humana, si perenni cogitatione destituitur, neque ab A ad B, neque a B ad A transire per intervalla temporis potest. Alterum si est, vel corporis vi id fit, vel Dei, aut alterius. Non corporis. Quum enim mens sit incorporea (prop. XII.) intelligi nequit conatus corporis in mentem; nam quum nulla sit alia actio in corpore, nisi motio, idest mutatio *figuræ*, *situs*, *loci*; nec ea fieri in mente possit (ex super.); mens a corpore ad cogitandum excitari nequit, ac qui id dicunt *verba nihili effundunt*. Quoniam ergo nullus esse potest physicus influxus corporis in mentem incorpoream, corporis actione nec cessare potest mens a cogitatione, nec ad cogitationem excitari. Idipsum conficitur de quacumque alia corporea causa. Dei vero voluntate id fieri posse non negamus: sed neutri ad id confugere possumus: ut enim nos nulla habemus argumenta, quibus id non fieri evincamus, ita qui huic theoremati adversantur, nulla, quibus probent id fieri. Quin si id fit, perpetuis vicissitudinibus creari ac in nihilum redire mentem oportet. Nam quum non cogitat, ne sentit quidem, neque vult, quorum nihil sine cogitatione fieri potest, nihil tum igitur est: nam in re simplici his ablatis, quid ego dicam superesse, quod sit mens? Quin ne vis quidem corporis animatrix remanere potest, modo ad eam pertineat: quia si remanet, rem simplicem, actuosam, intelligen-

tem,

tem; ejus esse consciam necesse est. Interit igitur tota: totaque iterum creatur, cum cogitare iterum incipit. Id ut philosophus tueatur? Non profecto, si quidem substantiam esse animum ponat.

Scholion. Magna inter Philosophos hujus ætatis de perenni mentis cogitatione controversia exorta est. Nam Cartesius quum mentis humanæ essentiam in *actuali cogitatione* posuisset, non potuit non asserere mentem perenni cogitatione præditam esse, quippe qua sublata, mentis essentia auferri debeat ex Cartesii doctrina. Scio respondere recentiores philosophos Cartesio, temere illud sumi, mentis essentiam in cogitatione positam; ex quo consequitur concidere totum illud Renati argumentum. Sed quum isti non inficientur, cogitationem & vim cogitandi essentiale esse mentis attributum; idem omnino conficitur; nempe ut esse nequit ens sine sua essentia, ita esse nequit sine suo attributo essentiali; præcipue quum in entibus simplicibus *agere & esse* idem sit, quod Peripatetici non ignorarunt. Quæ res adeo est manifesta, ut non intelligam, qui hæc duo stare possint, mentem incorpoream esse & quidem substantiam ac intelligentem, destitui vero perenni cogitatione: non secus ac si quis dicat, vim luminis & ignis actuosam cessare posse, quin quidquam de horum corporum natura immutetur. Sic itaque habeo, doctrinam hanc Peripateticorum, & Lockianorum e diametro pugnare cum animi incorporalitate, nec locum habere posse nisi in Dicæarchiano, Lucretiano, & Hobbesiano systemate. Qui secus sentiunt, rem non satis ad incudem exegere. B. Thomas omnium mortalium in his rebus exercitatissimus negat quidem, *intellectum humanum esse semper in actu*, idque intellectus divini proprium esse dicit (*a*): sed quum is non dubitaret, *nihil deduci de potentia in actum, nisi per aliquod ens actu* (*b*), ad *intellectum agentem* confugit. At nisi hic intellectus sit semper *in actu*, necesse erit alterum adhibere, idque in infinitum. Quod Aristoteles vidit, qui eo loco, quem B. Th. laudat corruptum, ut Joan. Nicolaus observat (*c*), negat intellectum agentem esse posse *aliquando in actu, aliquando non in actu*; quinimmo

(a) *Sum. Theol. p. p. q. 79. art. 2.*
(b) *Ibid. art. 3.*
(c) *Nota ad art. 4. ibidem.*

mo alibi diserte scribit (*a*) *intellectum agentem esse substantiam actu ens*. Jam ex Thomæ sententia intellectus agens non est ab anima distinctus: ergo si consentaneæ principiis suis ratiocinari voluisset, negare non potuisset, mentem in perenni esse cogitatione. Nam veteres scholæ philosophi nec semper Aristoteli adhærere potuerunt, cujus est hominis philosophia plusquam sæpe a christianis dogmatis aliena, & nonnumquam genuinum ejus sensum non videntur assequuti: velut hic, quum intellectum Aristotelis agentem aut deseruere, aut non satis intellexerunt. Nam Aristoteli intellectus agens extrinsecus est homini, ut superius demonstravi, isque, ut ego quidem puto, aut stellarum vis nescio quæ, aut mundi mens. Quicumque sit, ex Stagirita philosopho hæc νυς εστ χωριςος, και αμιγης, και απαθης, και υσια ων ενεργεια, *inseparabilis* (ab intellectu videlicet passivo, qui est δυναμις corporis) *simplex*, *impatibilis*, *&* *essentialiter actio*. Quocirca semper est intelligens, ολως δε, υδε χρονῳ, αλλ' υχ' ὁτε μεν νοει, ὁτε δε υ ν[illegible] *omnino vero non hoc tempore intelligit*, *altero non*, sed omni prorsus tempore intelligens est (*b*).

Jam Cartesium secuti sunt primum Cartesiani, omnes in primis viri acutissimi Claubergius, Malebr., Silvan. Regis, aliique: denique sæculo nostro Leibnitius & Wolfius. At iis se opposuerunt omnes Peripatetici, & Joan. Lock. in lib. 1. de intellectu humano cap. 2., quo in loco conatur demonstrare fanaticum esse dogma de perenni mentis cogitatione. Lockii argumenta ad duo summa capita referri possunt. Primum: quod nemo umquam eorum, de quibus in profundissimo somno cogitat, recordetur: itaque hæc doctrina internis animi experimentis adversatur. Alterum, quod status cogitationis sit status vigiliæ; experimur enim nos dormire non posse, dum perennis quædam cogitatio animum vexat. Quod si semper cogitaremus, semper vigilaremus, quod est falsum. Accedit eodem, quod mens nostra duas referret personas, alteram dum dormimus, alteram dum vigilamus. Personæ enim identitas ex Lockii doctrina posita est in identitate conscientiæ cogitationum: at quoniam vigilantibus mens nostra non habet conscientiam earumdem cogitationum, quas

(a) *In 3. de anima text. 14.*
(b) *De anima lib. 3. cap. 6.*

quas habuit nobis dormientibus; sequitur duas referre personas, alteram nobis dormientibus, alteram vigilantibus, quod ille intollerabile putat absurdum.

Sed sunt rationes istæ, ut ego quidem opinor, suapte natura infirmæ. Ad primum quod attinet, respondet Malebranchius ideo nos cogitationum illarum non reminisci, quod eæ, torpentibus spiritibus animalibus, & cerebri fibris, nulla viva in cerebro vestigia relinquant. Wolfius autem respondet id evenire, quod eæ cogitationes ut plurimum sunt confusæ & obscuræ, non vero claræ & distinctæ. Nam quum mens a clarioribus semper ideis rapiatur: dum a statu idearum confusarum ad claras transit, nullam illis attentionem præbet: quocirca eorum recordari nequit (*a*). Ceterum falsum est, nos nunquam reminisci eorum, quæ in somno cogitavimus. Nam quid est aliud somniorum recordari, quam recordari earum perceptionum, quas paullo distinctiores habuimus, quæque majorem impressionem in cerebro fecerunt? Quid quod sæpe adeo accurate hæc agimus, ut meminerim me interdum & acutiorem geometram in somnis gessisse, & disputasse subtilius, quam vigilantem; & nodos quandoque aut nexisse, quos vigilans solvere nescirem; aut explicasse, quæ me alacrem & vigilantem implicaverant. Quod spectat ad vigiliam & somnum itidem falsum est, quod profert Lockius, nos non posse cogitare & dormire: quippe intima experientia scimus, nos dum dormimus, longissimas plerumque habere ratiocinationes. Nec raro geometra somniabit intricatas demonstrationes, suaque abstracta systemata Metaphysicus; quod Lockius, si ingenuus esse voluisset, non potuisset negare. Sane nos dormimus non quando nihil cogitamus, sed quando quasi torpentibus cerebri fibris, & sanguine, externisque sensibus sopitis minus irritatur tela nervosa. Quod si cogitationes quædam somnum rumpunt, id fit, dum eæ cerebrum paullo vehementius agitant. Tandem postremum Lockii argumentum, si nihil aliud est persona nisi identitas *conscientiæ*, recte concludit, duas sæpe animam referre personas, alteram dum dormimus, alteram dum vigilamus. Sed id non magis absur-

(a) *Vide quæ super ea re disserit in utraque Psychologia.*

ſurdum eſt, quam eumdem hominem in ſcena Mercurium agere, & Soſiam. Quod ſi perſona ſtatuatur eſſe individuum rationale, quemadmodum ceteri omnes philoſophi docent, anima dum vigilamus & dormimus ſemper eadem erit perſona, quippe ſemper idem individuum rationale. Nullis igitur evidentibus argumentis perennis animi cogitatio everti poteſt.

Sed rogant quibus tandem de rebus, quum primum mens corpori unitur, cogitat? Unde ei ideæ ſuppetunt? eſt enim illa id temporis nuda quædam tabula: materiem ergo cogitationum non habet. Quaſi vero, qui perennem cogitationem mentis ex ejus natura ſequi demonſtravit, cogatur etiam ſcire, unde illi materies ſuppetat cogitandi; aut hæc ſi ignoret, illud quoque ignoret. Silvanus quidem Regis (*a*) ex unione cum corpore ſtatim illi materiem cogitandi præſto eſſe affirmat. Nec id inveriſimile eſt. Me ea ignorare lubens fateor. Scio adeſſe, qui refrictam hanc Carteſii crambem exhibituri ſint, quique admiraturi, me Lockii alias prædicatorem egregium, ut ajunt, nunc velut palinodiam recinere. Sed nec eos moror, qui de re nulla, niſi ex cortice judicant, quibuſque philoſophandi principium eſt phantaſia, quique laborem refugiunt ex immutabilibus ratiocinandi principiis; & his parco, qui ex vulgi fama potius, quam ſcriptionibus aliorum ingenia æſtimant. Nempe ſi quis eſt, qui minus philoſophorum jugum admittat, parcus eorum nominis cultor, rationis dumtaxat tenax, eum me eſſe pluries ſum teſtificatus. Lockium vero, ut virum doctum laudo, ſed tantum abeſt, ut admirer, ut nemo potius ſit, qui magis agnoſcat, quod veteri philoſopho Phocion dixit (*b*), totum ejus de Intellectu humano librum *Cupreſſo eſſe plane ſimilem*. Ex natura ego philoſophari amo, non ex libris. Ac utinam aliquando eam ſine velo intueri liceat, complectique. Nam quum ea ipſa per ſe in abdito eſt, tum ii abditiſſimam ſtudio ſuo fecere, qui ſuis δειμασι, και φασμασι contexere; quique *cum ſuis phantaſiis* magis, quam cum ratione *loqui amant*, ut eleganter ait alicubi Auguſtinus. Quid, inquit, neceſſe erat in hæc dumeta ingredi philoſophos, unde nullus iis ſit exitus? Dixiſſent cum

(a) *Regis uſage de la raiſon, & de la foi.*

(b) *Plutarch. in Phocione.*

uum Aristotele, corporis entelechiam esse animam, nec ot texuissent telas, quibus se velut muscas involverent (*a*). Qui ita dissertant, ne ea iterum dicam, quæ toties dicta sunt, non advertunt, arbitror, in quot intricatiores laqueos ii se injiciunt, qui alteri illi sectæ nomen dederunt. Quamquam qui hic laquei nisi araneis? Quibus, censes ne tu, retineri aquilas posse?

Prop. XIV. Mens nec suapte natura, nec actione corporum circumpositorum perire potest.

D. Mens humana est substantia incorporea (prop. 12.), ut idcirco ejus attributa essentialia omnino sint diversa ab attributis essentialibus corporis (ibid. coroll.): dividi ergo & discerpi in partes nequit nec suapte natura, nec passione circumpositorum corporum: nam & natura cujusque entis ad se conservandum comparata est: & substantia incorporea passioni corporum obnoxia esse non potest. Quæ autem talia sunt, si quidem natura & κατ' ουσιαν sint viventia, immortalia sunt; mens ergo humana, quæ & incorporea est, & natura sua ac *essentialiter* vivens, nec corrumpi potest & immortalis est.

Scholion 1. Hominem duabus rebus, *mente* scilicet, & corporea machina, quæ separatim intelligi & esse possint, constare, communis est, & vetustissima omnium nationum saltem cultiorum opinio. Quod inde vel maxime patet, quod apud cultiores omnes nationes & sepulcrorum curam, & apotheosin; adeoque alterius vitæ beatæ vel miseræ persuasionem reperiamus. Ea vero publice persuasione gravissimi philosophi ad hujus doctrinæ adversarios refellendos confidenter utebantur; rati *consensionem omnium gentium vocem quamdam naturæ esse. Quum de animarum æternitate differitur*, inquit Seneca, *non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos, aut colentium* (*b*). Vide ut ea super re differunt Gerardus Vossius, & Huetius (*c*). Macrobius certe vetustioris sapientiæ diligens investigator audacter scribit, *obtinuisse jam non minus de incorporalitate animæ, quam de ejus immortalitate sententiam* (*d*).

2. Op-

(a) *Le Metrie*.
(b) *Seneca Ep.* 117. *Vide & Tull. in prima Tuscul.*
(c) *Vossius in Theol. Gentil. lib.* 2. *cap.* 10. *Huet. in Alnet. lib.* 2. *cap.* 8. (d) *In Somn. Scip. lib.* 1. *cap.* 14.

2. Opponunt habuisse eam sententiam, hodieque habere aut qui adversantur, aut qui ignorant. Scilicet & Sadducæi famigeratissima Judæorum secta, utrumque negarunt (*a*); & Epicurei apud Græcos Latinosque magnis argumentis id dogma conati sunt subvertere: & in eadem fuere sententia Stoici, qui & tenuissimum æthera fecere animas & longævas quidem sed mortales. Nobilissimorum quorumdam aliorum philosophorum consimiles opiniones describit Cic. in 1. Tusc. & Plutarchus in 4. de placitis philosophorum. Homerus animas quidem post corpora superesse docet, sed velut tenuissima corpora, quæ non omnem modo effigiem retineant humanam, sed αιμα κελαινον (*nigrum sanguinem*) bibant. Anima Anticlæ dicitur σκιη ικελον η και ονειρω *instar umbræ & somnii* avolare (*b*): quem locum Virgilius, ut solet, transtulit; ei enim Anchisæ anima describitur,

Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

3. Accedit, inquiunt, quod tota illa inferorum doctrina, ex qua altera hæc de animorum incorporalitate & immortalitate profluit, poetarum sit commentum, quemadmodum testificatur Diodorus Siculus (*c*). *Orpheum*, inquit, *hymnos deorum plurimos, & orgya, & inferorum fictionem ex Ægypto attulisse tradunt ..... impiorum pœnas & campos Elysios ..... ab Ægyptiorum sepulcris desumta introduxit. Mercurium quoque secundum antiquos destinantem finxit mortuorum animos.... Oceanum igitur Nilum vocant* (Hesiodus, & Homerus), *quoniam apud Ægyptios Nilus proprio nomine Oceanus appellatur .... Acherusia palus prope Memphim, circumque prata amœna, paludesque calamis plenæ*. Prosequitur deinde, mortuos hæc incolere loca, quod Ægyptiorum sepulcra magna ex parte in iis locis ædificata sunt: *corpora vero*, pergit, *per fluvium & Acherusiam paludem ad sepulcra delata, ibique condita, aliaque plura, quæ nunc etiam servant Ægyptii, dant locum fabulis, quas Græci de inferis finxerunt* (*d*). In eadem opinione fuisse videtur Cicero

(a) *Vide Joseph. lib. 2. Antiq. Judaic. cap. 28.*
(b) *Homer. Odyss. V.*
(c) *Lib. 2. Biblioth. prope finem.*
(d) *Vide ut eadem copiose edisserit Sextus Empiricus adversus physicos lib. IX. cap. II.*

cero alias Platonicus: nam postquam adunco naso, quæ de inferis narrantur, descripsisset, rogat discipulum, *hæc fortasse metuis, & idcirco mortem esse censes sempiternum malum? A. Adeo ne me delirare censes, ut ista esse credam? M. An tu hæc non credis? A. Minime vero. M. Male hercule narras. A. Cur quæso? M. Quia disertus esse possem, si contra ista dicerem. A. Quis enim non in ejusmodi causa? aut quid negotii est hæc poetarum & pictorum portenta convincere .... M. Si ergo apud inferos miseri non sunt, ne sunt quidem apud inferos ulli. A. Ita prorsus existimo.* Quin Aristophanes totam hanc scenam ludibrio habet in *Ranis*.

4. Sed & christiani quidam theologi quum veteres, tum etiam recentiores, incorporalitatem animi humani rejecerunt. Origenes solum Deum incorporeum esse docet. Tertullianus apertissime animam corpoream facit, idque & bonæ philosophiæ, & Scripturis sacris esse conforme contendit (*a*). Jam Hobbes, Cowardus, Sociniani omnes eamdem fovent opinionem. In Italia nostra quanta animorum contentione super ea re scriptum est a Cardano, Pomponatio, Ficino, Portio, aliisque? Sed & recentes nationes Siamenses, Sinenses, Americani, atque Africanorum, qui noscuntur, nullius rei incorporeæ notionem habent, easque, ubi prædicari audiunt, rident. Huttentotti alteram vitam ignorant (*b*). Nec veteres *entia* hæc Cartesianorum *incorporea* ullo modo cognovisse, plurimis ostendit Huetius, vir in primis eruditus, in Origenianis. Lucas Brugensis doctus Lovaniensis Theologus non dubitavit scribere, opinionem hanc de incorporalitate & immortalitate animorum ignotam fuisse veteribus Hebræis, nec apud illos usurpatam, nisi post commercium cum Græcis (1). Veteres ipsi plerique Patres tantum abest ut mentibus, & dæmonibus tenuia negaverint corpora, ut Deo etiam id dederint, rati, *quod corpus non sit, nihil esse*, in qua re enarranda plurimus est Petavius in dogmatibus theologicis tom. 1. & 2.

5. Tota

(a) *In lib. de Anima cap. 7.*

(b) *Vide Andream Kolbi in descriptione Capitis bonæ spei.*

(1) Comment. in Matth. cap. 3. v. 7. Quum, *inquit*, tempore Machabæorum plures florerent Scribæ, quorum collegium ab Esdra exordium sumserat, qui sapientiæ studerent, &, ut jugo Græcorum subjacebant, nonnumquam audirent Græcorum de his rebus (animæ huma

5. Tota hæc argumentatio recentium Epicureorum tribus constant partibus. 1. Quidam negant aut immortalitatem animi, aut incorporalitatem, aut utrumque. 2. Quidam non negant diserte, sed ea animo attribuunt, unde duo illa dogmata destrui videntur. 3. Quidam tandem ignorant. Ut a postremis exordiamur, ignoratio veritatis alicujus præjudicium adversus illam facere nullum potest: nam quæ res ignoratur, aut ex traditione majorum derivata est, aut ex ratione. Si posterius, causa ignorationis est neglecta ea super re animi exercitatio. Ita veritates geometricas, astronomicas, physicas necesse est eos omnes ignorare, qui iis nunquam intelligendis incubuerunt. Quod si eorum apud majorem hominum partem ignoratio argumentum est falsitatis, næ solemniter insaniunt philosophi omnes, qui prædicant, ut id exempli loco recitem, isoscelium triangulorum angulos ad basim esse æquales, angulum in semicirculo esse rectum, &c. Si vero prius, causa est ferina & barbara educatio majorum, ex qua progenies semper stupidior fit nata. Nam in ipsa culta Europa, ejusque litteratissimis civitatibus reperies facile agrestes homines, aut plebejos, qui maxima etiam religionis christianæ capita ignorent. Si isti delati in vacuas terras gentem integram condant, quacum nullum sit aliarum cultiorum commercium, ignorabit ea intra duo sæcula totam christianam sapientiam. Erit autem qui ex ea ignoratione præjudicium colligat adversus christianam doctri-

---

humanæ immortalitate, corporis resurrectione, æternis bonorum præmiis, & malorum suppliciis) fabulas, factum est, ut cœperint quæstiones de his rebus in medium afferre, & inter se ventilare, atque a se mutuo diffidere, aliis ista adstruentibus, qui vocati sunt Pharisæi, aliis negantibus, qui Sadducæi. Ante hæc tempora non videtur populus Israel quidquam de his rebus doctus fuisse, aut quidquam de his publice prædicatum, eo *quod* lex harum rerum disertam *mentionem* non faceret, terrenas dumtaxat spes minasque bonis malisque ob oculis ponens. Fuit quidem Patriarcharum & Prophetarum non dubia hic fides, quod vel undecimum caput epistolæ ad Hebræos testatum facit. Sed multa a Patriarchis & Prophetis credita prædictaque fuere, quæ ut non proposita atque enarrata nec credenda necessario populo fuerunt, ut virginitas Matris Mariæ, paupertas, passio, mors, resurrectio Messiæ. Videtur clara publicaque hujusmodi rerum æternarum doctrina Messiæ reservata fuisse.

doctrinam (1)? Quod de Hebræis dicunt, id duplex est. Extitisse apud Hebræos opinionem alterius vitæ, adeoque immortalitatis animorum, saltem apud primores, plura probant manifeste. I. Notata secta Sadducæorum, quæ ei doctrinæ se opponeret. II. Lex a Mose lata contra eos, qui defunctorum animas consulerent, &c. De incorporalitate animorum loca diserta, fateor, non habemus. Interim colligi id potest ex creatione animæ Adæ, aliisque locis, de quibus consulendi sunt Theologi. Hæc quum sint, duo illa dogmata (prop. 12. & 14.) talia sunt, ut seu e ratione nata dicamus, seu ex traditione propagata, quorundam ignoratione in dubium vocari non possint (2).

6. Quod spectat ad secundum, principio hallucinatur manifeste eo loco Huetius, ubi ignotas incorporeas substantias veteribus fuisse scribit. Nam Thales, Pythagoras, Plato, Cicero ita eas substantias descripserunt, ut non possint clarius recentes philosophi. Plutarchus (*a*) quum retulisset Thaletem animam vocasse φυσιν αεικινητον και αυτοκινητον, *naturam quæ semper & a se moveatur?* Pythagoram vero numerum εαυτον κινουντα, *se moventem:* Platonem ουσιαν νοητην substantiam *mente præditam a se ipsa mobilem secundum numerum harmonicum:* addit (*b*) ab iis positam *incorpoream*. Ne vero quis putet tenue corpus illi habitum incorporeum, audiat, quam egregie & Dei, & mentis incorporalitatem ex eorum mente explicet Cicero (*c*). *Nec vero*, inquit, *Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera,* SEGREGATA AB OMNI CONGREGATIONE MORTALI, *omnia sentiens & movens, ipsaque prædita motu sempiterno. Hoc e genere & eadem e natura est humana mens.... In animi igi-*

(a) *Lib.* 4. *de Placitis cap.* 2. (b) *Ibid. cap.* 2.
(c) *Lib.* 1. *Quæst. Tusc.*

(1) Qui per Armeniam, Colchidem, vicinasque regiones iter fecerunt testantur, tantam esse christianorum, qui ibi sunt reliqui, stupiditatem, fœditatemque, ut quamvis ipsi christiano se nomine glorientur, longe tamen a christianis dogmatis, quam Turcæ ipsi, distent. Vide *Voyages au Nord*.

(2) Vide ut copiosissime, veterum productis locis, eamdem rem adstruat Cudwortus in syst. int. cap. 1. §. 19. ad 27. ibique nota Mosshemii.

igitur cognitione dubitare non possumus, nisi in physicis PLANE PLUMBEI *simus, quin nihil sit animis* ADMIXTUM, *nihil* CONCRETUM, *nihil* COPULATUM, *nihil* COAGMENTATUM, *nihil* DUPLEX. Eodem modo loquuntur nobilissimi platonici philosophi Alcinous, Ammonius, Numenius, Proclus, Jamblicus, Plotinus, quorum verba brevitatis amore lubens omitto. Deinde tota doctrina idearum æternarum philosophiæ platonicæ, & spatii vacui Epicureorum, ostendit, incorporea veteribus ignota non fuisse. Quod si ne id quidem est clare loqui de substantiis incorporeis, operæ pretium fecisset Abrincensis Episcopus, si conceptas ea de re formulas docuisset philosophos, is, qui tam cernit acute, ut in ipsis *Baccho* & *Priapo* Mosem videat expressum. Jam veterum theologorum, quorum isti auctoritate abutuntur, perspicaces, si Diis placet, Critici, turpe est doctrinam non esse assequutos. Veteres nempe illi Patres duo in anima distinguebant humana *Animam*, & *Spiritum*, quod & Græci quidam fecere philosophi (*a*). Priorem corpoream & mortalem, posteriorem incorpoream, & immortalem habebant (*b*) Augustinus, aliique priorem partem *Spiritus vehiculum* appellant. Eodem modo de angelis loquebantur. At existimare substantiam ipsam spiritus incorpoream tenui corpore circumdari, velut vehiculo & sensorio, non idem est, atque ipsam mentis substantiam facere corpoream, quum recentissimi philosophi incorporalitatis animorum alioquin defensores, eandem docuerint opinionem. Oportebat id observare *Consarcinatorem philosophiæ paganæ*, præsertim quum doctus gentis suæ auctor aperte id explicuisset (*c*). Qua vero ratione Tertullianus, Hilarius, & quidam alii Deo corpus tribuerint, pluribus docet Petavius laudato superius loco: existimat enim abusos illos voce *corporis*, eamque pro *ον ente* accepisse. Ego existimaverim *το σωματωδες*, & *σωματικος* ab illis usurpari pro *το πετασμα*, quod nempe Deus quaquaversum per omnia permeet, nec uno indivisibili mundi loco coarctetur: pro *immensitate* denique. In quam rem veterum quædam loca suppeterent, si id hic agere vellem.

Sed

(a) *Vide Plut. in 4. de placitis.*

(b) *Vide Tatianum orat. ad Græcos, Irenæum lib.* v. *cap.* 6. *&* 7.

(c) *Joan. Cleric. in Hist. duor. prior. Eccles. Secul.*

Sed vide dicta in scholio prop. 108. par. pr. Illud ego velim in certis haberi, non potuisse illos iis phrasibus Deo corpus tribuere; quum eorum constans sit doctrina Deum omni omnino corpore esse expertem. Qua de re vide Origenem lib. 1. *de principiis*.

8. Tandem, qui negant incorporalitatem animi, ratione ne illi utuntur, an auctoritate? Rationes quam sint pueriles, inferius dicetur. Auctoritas vero esse non potest, nisi plebejorum, quos non negamus, mentes sibi velut subtilia corpora repræsentare: horum tantum captui Homerus aliique poetæ sese adaptarunt, qui idcirco gravissime vapulant Platoni philosophorum facile principi (a), quod religionem auctoritate sua fœdissime conspurcaverint. At suaves sunt *magnanimi isti spiritus*, ut vocari volunt, qui nos, dum revocare conantur a popularibus erroribus, ad hominum fæcem appellant. Non pudet Hobbium eos patronos appellare? Nam quod ad immortalitatem attinet, ne populum quidem appellare possunt; quum perpetua ea de re gentium omnium consensione aperte refellantur. Jam Diodorus & Cicero fabulas tantum veræ doctrinæ adsutas a poetis confictas scribunt, non rem ipsam. *Dic quæso*, inquit Cicero eodem in loco, *num te illa terreant, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acherontis, mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus? num illud quod Sisyphus versat*

Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum?

Fortasse etiam inexorabiles judices Minos, & Rhadamanthus, apud quos nec te Lucius Crassus defendet, nec Marcus Antonius, nec, quoniam apud græcos judices res agetur, poteris adhibere Demosthenem? Hæc poetarum & pictorum portenta vocat, non id, superesse post mortem corporis immortales animos, in qua re demonstranda eo in libro adlaborat. Sed nec Aristophanes quidem nisi fabulas vero dogmati adsutas ludibrio vertit. Alioquin eadem in comœdia Act. 1. sc. 2. inter eos, qui apud inferos cruciantur magna cum gravitate refert eos, quicumque aliquid turpis in vita admiserunt: in cœtus vero beatorum quicumque Deos timerent colerentque. Nam rogat Bacchus quinam essent illi εὐδαίμονες: tum Hercules μεμυημένοι, inquit, *initiati* videlicet.

9. Con-

(a) *In 3. de Rep.*

9. Constat ergo de traditione duorum illorum dogmatum. Percenseamus nunc breviter præcipua in eam rem philosophorum argumenta. Plato quum in Phædone, tum etiam in Phædro plura profert incorporalitatis, & immortalitatis animorum argumenta. I. Quod imperat, & id, cui imperatur; quod utitur, & id quo utitur, distincta ac diversa inter se sint, oportet; est autem in nobis quod paret quidem corpus; idemque instrumentum, quo altera nostri pars utitur: imperat vero ratio, eaque corpore utitur, idque moderatur; ergo ratio, adeoque animus, in quo inest ratio, res est a corpore distincta & diversa: nec vero corpus natura sua se & vi atque temperatione regit, sibique imperat; nam clarus inest in nobis sensus, machinam hanc humani corporis rei alteri subjici, eique parere.

10. II. Jam præcipuum immortalitatis argumentum ex ipsa animi natura activa & irrequieta desumebat Plato. Nempe ex veteri philosophorum consensione, omne motum corpus est, incorporeum quod movet, quod probatum Aristoteli, hinc gravioribus omnibus philosophis: animus ergo, qui principium est & sui & corporis vitæ atque actionis, corpus non est, neque idcirco mortalis. Libeat Ciceronis verbis id argumentum describere. *Nam*, inquit (a), *quod semper movetur, æternum est: quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur quod sese movet, quia numquam deseritur a se, numquam ne moveri quidem desinit, quin etiam ceteris, quæ moventur, hic fons, hoc principium est movendi: principio autem nulla est origo: nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re alia nasci potest: nec enim id esset principium, quod gigneretur aliunde. Quod si numquam oritur, ne occidit quidem unquam: nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit: siquidem necess est a principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur: id autem nec nasci potest, nec mori .... Quum pateat igitur æternum id esse, quod a se ipso moveatur, quis est, qui hanc naturam animi esse tributam neget? inanime est enim omne, quod pulsu agitatur*

(a) *In Somnio Scipionis.*

patur externo: quod autem animal est, id motu cietur interiore & suo: nam hæc est natura propria animæ atque vis. Quæ si est una ex omnibus, quæ sese moveat, neque nata est certe, & æterna est. Quæ platonica ratiocinatio æqualis esset geometrarum demonstrationibus, si animi humani sempiterni essent: nunc quando constat Platoni ipsi, procreatos esse animos a supremo Deo (*a*), argumentum illud, quod observatum Vossio, subfestum est. Quamquam ne is ipse quidem id probasse videtur, quippe qui in Timæo voluntate supremi opificis mentes facit immortales, sed natura sua mortales, in quam opinionem plures ex veteribus Christianis pertraxit, qui *gratia*, non *natura*, quum angelos, tum mentes immortales habuere. Interim ne hæc quidem distinctio digna est aut tanto philosopho, aut tantis sectatoribus. Nam si quidem natura rerum nihil est, quam Dei constans & immutabilis voluntas rerum creatrix & conservatrix; quæ Dei voluntate sunt immortalia, natura sunt talia: si vero natura sint vires rerum factarum, quam *naturam naturatam* dixere Scholastici; partiri iterum quæstionem oportet: nam vi ipsarum mentium necesse est esse eas immortales, quippe nulla res sua vi & natura perire potest: at utrum perire possint *passione*, seu actione extrinsecarum rerum, id tantum in quæstione esse potest. Atque hæc sunt Pherecidis argumenta, quibus immortalitatem animorum sibi persuasit Plato.

11. Veteres quidam theologi ex providentia divina luculentum desumebant argumentum, cur animos esse immortales crederent. Nam quum constet plerosque viros bonos in præsenti vita perpetuo adversitatibus conflictari; malos contra prosperitatibus omnibus cumulari, & esse in deliciis; Deum vero justum esse & providum; nisi altera sit vita, qua contraria omnia, bonis bona, malis mala retribuantur, videri posset, res humanas a Deo negligi, quod esse nequit (*b*).

12. Beatus Thomas in utroque opere, *Summa* nempe *Theologica*, & altera *adversus Gentes* accurate prorsus & subtilissime de incorporalitate & immortalitate animorum disputavit. In posteriori hoc opere (*c*) plurimis demonstrat,

(a) *Vide Timæum.*
(b) *Vide Chrysost. orat. 4. de providentia.*
(c) *Lib. 2. cap. 50. & 51.*

ſtrat, operationes intellectuales eſſe non poſſe corporeas: inde vero incorporalitatem, & immortalitatem omnium ſubſtantiarum intellectivarum derivat. *Oſtenſum eſt*, inquit, *quod intelligere non poteſt eſſe actio alicujus corporis: eſt autem actus animæ; anima igitur, ad minus intellectiva, non eſt corpus* (*a*). Quod autem *intelligere* nequeat eſſe actio corporis, hoc ſæpe argumento perſuadet, quod intellectio ſit formarum abſtractarum, atque ab omni materiæ compage ſegregatarum (*b*). Jam adhibet argumentum ex principio actionis & motus: nempe quum naturæ corporeæ ſit proprium aliunde moveri & agitari; quod principium eſt motionum corporis corpus corporeumve non eſt; eſt autem anima vitæ, adeoque motionum corporearum principium, & fons; corpus ergo anima non eſt. Quo argumento ſæpe utitur & Plato, & plerique alii veterum, ut dictum eſt.

13. Sed illud in primis egregium ſi quid video. *Omne corpus diviſibile eſt: omne autem diviſibile indiget aliquo continente & uniente partes ejus*: (itaque Newtoniani vim attractricem, aut naturæ quemdam ſpiritum commenti ſunt, qui certe corporeus eſſe non poteſt, niſi & is alio coire dicatur, & ſic porro in infinitum. Campanella vero ſpatio univerſali eam vim conglutinandi, & attrahendi tribuit): *Si igitur anima ſit corpus, habet aliquid aliud continens, & aliud magis erit anima: videmus enim, anima recedente, corpus diſſolvi: ut ſi hoc iterum ſit diviſibile, oportebit vel devenire ad aliquod indiviſibile & incorporeum, quod erit anima: vel erit in infinitum procedere, quod eſt impoſſibile: non eſt igitur anima corpus* (*c*).

14. Quod ſpectat ad immortalitatem ſubſtantiarum intellectivarum, pluribus ille eam rem perſequitur in eodem libro (*d*). I. Nihil corrumpitur, niſi quatenus compoſitum eſt ex diſſolubilibus partibus: intellectivæ vero ſubſtantiæ ſimplices ſunt; corruptioni ergo non ſunt obnoxiæ. II. In entibus ſimplicibus *vita*, *eſſentia*, *exſiſtentia* unum ſunt: at quæ ſunt talia, ſola annihilatione, non etiam corruptione perire poſſunt. Pereant enim corruptione, ſupereſſe ali-

(a) *Contra Gentes lib.* 2. *cap.* 65.
(b) *Ibid. cap.* 67. 79. 80.
(c) *Ibidem l.* 3.
(d) *cap.* 55.

aliquid debet; quum sint simplicia, nihil, nisi ipsum esse superesse potest. Annihilatio autem nullius rei viribus naturæ fieri potest; viribus ergo naturæ perire nequeunt substantiæ intellectivæ. Eo argumento mirifice delectatus est Wolfius. III. Nihil natura corrumpitur, sed *passione*, id est actione eorum, quæ excipit: nihil autem substantia intellectiva suscipere potest ex corpore, quod ejus naturæ sit contrarium, quum nihil ex corpore corporeum transire in incorporeum possit: ergo ne *passione* quidem perire mens potest. IV. Quæ desideria sunt naturalia entibus inania esse non possunt, quum *nihil frustra Deus naturæ auctor operetur*; est autem desiderium beatitudinis mentibus innatum: & id complectitur *semper esse*, uti patet: inane ergo esse nequit: semper ergo sunt, quæ hujusmodi sunt. Atque hæc sunt præcipua. Cetera arabicæ philosophiæ principiis innituntur, nec vim habent ullam, nisi adversus eos, qui eodem genio philosophantur.

15. Operis esset infiniti ea enarrare, quæ eamdem in rem egregia alia Italiæ nostræ ingenia, Marsilius Ficinus in *Theologia Platonica*, Hieronymus Cardanus in libris *de immortalitate*, Thomas Campanella, Pomponatius, Pici Mirandulæ Principes, aliique excogitarunt. Venio ad Cartesium, qui nova quadam ratione & via hæc dogmata conatus est demonstrare (a). *Quoniam scio*, inquit, *omnia quæ clare & distincte intelligo, talia a Deo fieri posse, qualia illa intelligo; satis est, quod possum unam rem absque altera clare & distincte intelligere, ut certus sim, unam ab altera esse diversam.* Possum autem intelligere cogitationem, idest mentem, sine ulla extensione, seu corpore: nam. 1. Si supponam me nullum habere corpus, adhuc cogito, cogitationisque sum conscius. 2. Nullam extensionem in cogitatione inesse video, nec possum dimidiam, aut tertiam partem cogitationis intelligere; conficitur cogitationem, seu mentem rem esse distinctam & diversam ab extensione, seu corpore.

16. Plura adversus illud Cartesii argumentum objecta sunt. (1) Auctor *secundarum* objectionum, Mersennus, vir

 in

(a) *Medit. 6. de pr. phil.*

(1) La Metrie *histoire des syste-mes*, astute non fefellisse Rena- tum eo argumento scribit, eumque inter vafros Deistas ...

in primis doctus & acutus reposuit, *memineris te non actu quidem & revera, sed tantum animi fictione corporum omnium phantasmata pro viribus rejecisse, ut te solam rem cogitantem esse concluderes, ne postea forte concludi posse credas, te revera nihil esse præter mentem, aut cogitationem vel rem cogitantem ... Hactenus cognoscis te esse rem cogitantem, sed quid sit res illa cogitans nescis. Quid enim si fuerit corpus, quod variis motibus & occursibus illud faciat, quod vocamus cogitationem? licet enim existimes, te corpus omne repulisse, in eo decipi potuisti, quum te ipsum minime rejeceris, qui sis corpus. Quomodo enim demonstras, corpus non posse cogitare? vel motus corporeos non esse cogitationem?* Cui Cartesius respondet item generatim & vage, *sufficere quod unam rem absque altera clare intelligamus, ut agnoscamus illas realiter distingui*. Si id non sufficit, *date*, inquit, *certius aliquod signum distinctionis realis.: nam confido nullum dari posse ... Si qui autem neget se habere distinctas ideas mentis & corporis, nihil possum amplius, quam illos rogare, ut ad ea, quæ in hac secunda meditatione continentur, satis attendant*. Nec fallitur Cartesius profecto dum *cogitationem* & *extensionem* realiter distincta esse scribit, Quis id non intelligat? Sed id oportuit demonstrare, distingui ea ut duas substantias, seu res per se subsistentes, nec intrinsecus alteram ab altera pendentem; non ut duos ejusdem substantiæ modos, vel duo attributa, duas vires, resistendi unam, cogitandi alteram.

17, Antonius Arnaldus auctor objectionum quartarum minutatim prorsus argumentum idem cribravit, ut Cartesius ipse ingenue confiteretur, *se non potuisse optare magis perspicacem scripti sui examinatorem*. *Ac primum*, inquit ille, *ut vera sit illius syllogismi propositio* (quæ clare & distincte percipiuntur esse substantias distinctas) *non de quacumque etiam clara & distincta, sed tantummodo de adæquata rei cognitione intelligi debet ... contendat igitur aliquis, inadæ-*

Quod hominis judicium plurium doctorum hominum consensui adversatur, mihique plane iniquum videtur. Quotus enim quisque philosophorum, theologorumque ab hujusmodi censura esset immunis, *si ex argumentorum*, quibus bonam *alioquin caussam tuentur*, imbecillitate in jus essent vocandi? Nam argumentationum imbecillitatem ingenia sæpe efficiunt hominum: sæpe disputandi artis imperitia, minusque exercita ratio; postremo rei ipsius difficultas: ut plures non voluntate peccent, sed natura, aut arte: sæpe neutra.

dæquatam tantum esse tui conceptionem, dum te concipis tanquam rem cogitantem, non extensam, similiterque quum te concipis tanquam rem extensam, non cogitantem. Itaque ut possum concipere figuram ἁπλῶς sine aliis proprietatibus circuli, nec inde sequitur eam esse realiter a circulo distinctam, ita cogitationem sine extensione, quin concludi possit, esse illas duas distinctas substantias. Reposuit Cartesius, si, ut duo distingui realiter intelligatur, necessarium sit, adæquatas eorum habere ideas, rerum distinctionem realem solus Deus noscet: quippe qui solus ideas rerum adæquatas habere potest. Ad rem vero quod attinet, *etsi*, inquit, *multa forte in me sint, quæ nondum adverto, quia tamen id quod adverto mihi sufficit, ut cum hoc solo subsistam; certus sum me a Deo potuisse creari absque aliis, quæ non adverto; atque ideo ista alia ad mentis essentiam non pertinere. Nihil enim eorum, sine quibus res aliqua esse potest, mihi videntur in ejus essentia comprehendi: & quamvis mens sit de essentia hominis, non tamen est proprie de essentia mentis, quod humano corpori sit unita* (1).

18. Plures interea fuisse reperio e Scholæ theologis, qui, quod animi immortalitatem spectat, in ea fuere opinione, credere eam divina revelatione oportere velut rem supra captum humanum positam, quamque nullis naturæ rationibus demonstrare possimus. Nam naturæ rationes, quas B. Thomas protulit, *Henricus & Scotus probabiliter suadere, non necessario demonstrare censuerunt, ut* Canus agnoscit (*a*); & *Cajetanus*, addit idem, *sui valde dissimilis scripserit, se credere quidem animam rationalem incorruptibilem esse, at nescire tamen.* In eamdem sententiam ingressi sunt & alii, in primis Nicolaus Perrotus (*b*), & Joannes Lockius (*c*). Nempe, inquiunt, tamdiu res creatæ vivunt, quoad eas esse & vivere auctor vult Deus; at quousque esse & vivere animas velit Deus id

H 3 sci-

(a) *De locis lib.* 12. *cap.* 1.
(b) *Apud Bælium in Diction. Art. Perrot. Remarq.* L.
(c) *Locke* 3. *Replique à Mr. Stillingfleet.*

(1) Unione animæ cum corpore; aut ejus saltem unionis *appetibilitatem*, ut loquuntur, ad animæ essentiam pertinere veteres scholæ docuerunt. Quum enim anima sit forma substantialis corporis organici, est ejus *entelechia*, idest *ultima perfectio*; ergo & creata est, ut hoc sit: tendit igitur eo, inquiunt, cujus caussa creata est, ac suapte natura.

ſcire nequimus niſi divinâ revelatione, ſeu manifeſtatione divinæ voluntatis. Atque pluribus hoc refellit eodem in loco Canus; ego tribus verbis. Nempe divina voluntas, non omnis quidem, & adæquate, ſed ex parte, ab hominibus intelligitur non *revelatione* tantum, ſed ipſa quoque naturali ratione, quum & revelatio, & ratio naturalis duo quaſi radii ejuſdem Dei luminis æterni ſint. Itaque vulgatum eſt apud philoſophos omnes, & *naturæ via*, & *via prophetiæ Deum nos alloqui;* & Auguſtinus elegantiſſime philoſophos appellat *vates naturæ* (a). Ut ecce, quum utrumque ſexum homini attribuerit Deus, quis non inde intelliget & nuptias eum velle? Tribuit idem cuique animi corporiſque vires; vult ergo ut iis utatur quo bene beateque ſit, minime profecto tributurus, niſi uti voluiſſet. Sexcenta ſunt hujuſmodi. Nihil impedit igitur, quo minus inter alia, quæ de divina voluntate naturæ via cognoſcimus, & hoc ſit, animos eſſe immortales (1).

Prop.

(a) *Lib. 2. de ordine.*

(1) Quum divina voluntas æternæ Dei ſapientiæ eſſe contraria nequeat, poſſintque ex rerum natura plures divinæ ſapientiæ rationes a nobis intelligi; & voluntates, quæ ad eas rationes pertinent, intelligi a nobis poſſe, equidem nemini ambiguum eſſe puto. Ut ecce, Deum velle mundum exſiſtere, quem conſervat tanto ordine ac providentia; item velle omnia ex æterno ordine in eo fieri; tum homines & ſe couſervare, ac mutuo ſe fovere & amare, ac plura ejuſdem generis, perſpicua ego eſſe ajo ex naturæ ipſius contemplatione. Itaque quamquam divinam homines ſapientiam & voluntatem plene & adæquate nullo pacto comprehendere poſſunt, ſunt tamen plurima, quæ naturæ res ſpectant, in quibus liquido rationes ac voluntatem Dei intelligimus. Ad id non genus referre hoc poſſumus, de quo diſputamus, mentem humanam eſſe cum ex natura ſua, tum etiam ex divina voluntate non *indeſtructibilem* modo, ſed immortalem quoque. Quid enim attinuiſſet & ſimplicem illam creari, & *eſſentialiter* intelligentem ac viventem, & æterni cupidam atque ſempiternum ſpectantem, ubi tota ejus exiſtentia non brevi ſolum unius ſæculi ambitu, ſed plerumque unius menſis, ac nonnumquam etiam unius diei contineatur? Artifices inter homines machinarum naturam, quas conſtruunt, ei tempori aptare ſolent, cui deſtinant. Ita ex iis intelligere facile poſſumus, perpetuo ne ut eſſent, voluerint auctores ſui, an menſtruæ, annuæ, ſeculares. Nemo ignorat, æternitati Ægyptios pyramides ſuas ædificare voluiſſe, qui tantas moles molibus aggerarunt. Cur non idem ego ex Dei operibus conjiciam? Præſertim cui nec efficiendi ſcientia, nec potentia deſit, cuique res ſubjectæ, non ut

Prop. XV. Dogmata incorporalitatis & immortalitatis animorum sunt christianæ religionis dogmata.

D. Christianæ religionis dogmata sunt, quæ a Deo sunt revelata: quæ vero a Deo sunt revelata, divinis scripturis, & traditionibus demonstrantur: demonstrantur autem divinis scripturis & traditionibus incorporalitas & immortalitas animorum: dogmata ergo sunt christianæ religionis. Propositionem hujus argumenti majorem apud Christianos inter quos hoc theorema disceptatur, constat. Assumtionem sequentibus probamus.

1. Plurima veteris testamenti loca pro incorporalitate, & immortalitate animorum proferri solent. Locus in primis egregius est qui legitur sub initium *Genes.* quo in loco animæ creatio describitur. Cum Deus corpus humanum ex argilla molliori conformasset, inspiravit in faciem ejus *spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*, idest factus est vivens, cum antea non esset nisi pura machina. Patet hinc origo animæ divina. Scio locum non esse adeo manifestum, ut sit ab omni exceptione immunis: nihil enim in eo aliud dici videri posset, nisi Deum dedisse machinæ illi vim vitalem, quæ stare etiam queat in Dicæarchi sententia. Itaque Grotius, & Calmetus agnoscunt infirmum esse ex hoc loco adversus Socinianos petitum argumentum. Sed fatendum non parvam habere in-

ut homini, resistunt, sed parent, ut sit in iis, quod scholæ more suo dicunt, *potentia obedientialis* Dei activæ potentiæ ejusque imperio æqualis. Accedit, quod quædam humanæ mentis aut facultates, aut propensiones sunt, quæ suapte natura in infinitum tempus feruntur, qualis intelligentia, voluntas, providentia, quæ in iis animantibus, quorum tota vita heic absolvitur, nullum est vestigium. Hinc futuri providentia in homine, quæ nulla in brutis.

Serit arbores, quæ alteri sæculo prosint.

Quid autem causæ esse dicemus, quod ex omnibus animantibus solus homo curam ac providentiam suam ultra vitam porrigat longissime? Hæc me monere videntur, me ad æternitatem generari, cui ego vel imprudens studeo, & ad quam natura ipsa rapior. *Ceterum nolim hæc ita accipi, ut hujusmodi naturæ rationes geometricis demonstrationibus, quod quidam nimis confidenter ajunt, habeam partes: nam in rebus physicis evidentia illa geometrarum, quæ tota intelligentia est, nos deficit: in quibus propterea sæpe conjecturis uti necesse est: quæ si fuerint hujusmodi, quibus nihil certius natura nos rerum docere potest, iis esse homines contenti debent, quos sua non pœnitet conditionis.*

in primis doctus & acutus reposuit, *memineris te non actu quidem & revera, sed tantum animi fictione corporum omnium phantasmata pro viribus rejecisse, ut te solam rem cogitantem esse concluderes, ne postea forte concludi posse credas, te revera nihil esse præter mentem, aut cogitationem vel rem cogitantem ... Hactenus cognoscis te esse rem cogitantem, sed quid sit res illa cogitans nescis. Quid enim si fuerit corpus, quod variis motibus & occursibus illud faciat, quod vocamus cogitationem? licet enim existimes, te corpus omne repulisse, in eo decipi potuisti, quum te ipsum minime rejeceris, qui sis corpus. Quomodo enim demonstras, corpus non posse cogitare? vel motus corporeos non esse cogitationem?* Cui Cartesius respondet item generatim & vage, *sufficere quod unam rem absque altera clare intelligamus, ut agnoscamus illas realiter distingui*. Si id non sufficit, *date*, inquit, *certius aliquod signum distinctionis realis: nam confido nullum dari posse ... Si qui autem neget se habere distinctas ideas mentis & corporis, nihil possum amplius, quam illos rogare, ut ad ea, quæ in hac secunda meditatione continentur, satis attendant*. Nec fallitur Cartesius profecto dum *cogitationem* & *extensionem* realiter distincta esse scribit, Quis id non intelligat? Sed id oportuit demonstrare, distingui ea ut duas substantias, seu res per se subsistentes, nec intrinsecus alteram ab altera pendentem; non ut duos ejusdem substantiæ modos, vel duo attributa, duas vires, resistendi unam, cogitandi alteram.

17. Antonius Arnaldus auctor objectionum quartarum minutatim prorsus argumentum idem cribravit, ut Cartesius ipse ingenue confiteretur, *se non potuisse optare magis perspicacem scripti sui examinatorem*. *Ac primum*, inquit ille, *ut vera sit illius syllogismi propositio* (quæ clare & distincte percipiuntur esse substantias distinctas) *non de quacumque etiam clara & distincta, sed tantummodo de adæquata rei cognitione intelligi debet ... contendat igitur aliquis, inadæ-*

Quod hominis judicium plurium doctorum hominum consensui adversatur, mihique plane iniquum videtur. Quotus enim quisque philosophorum, theologorumque ab hujusmodi censura esset immunis, si ex argumentorum, quibus bonam alioquin causam tuentur, imbecillitate in jus essent vocandi? Nam argumentationum imbecillitatem ingenia sæpe efficiant hominum: sæpe disputandi artis imperitia, minusque exercita ratio; postremo rei ipsius difficultas: ut plures non voluntate peccent, sed natura, aut arte: sæpe neutra.

dæquatam tantum esse tui conceptionem, dum te concipis tanquam rem cogitantem, non extensam, similiterque quum te concipis tanquam rem extensam, non cogitantem. Itaque ut possum concipere figuram ἁπλῶς sine aliis proprietatibus circuli, nec inde sequitur eam esse realiter a circulo distinctam, ita cogitationem sine extensione, quin concludi possit, esse illas duas distinctas substantias. Reposuit Cartesius, si, ut duo distingui realiter intelligatur, necessarium sit, adæquatas eorum habere ideas, rerum distinctionem realem solus Deus noscet: quippe qui solus ideas rerum adæquatas habere potest. Ad rem vero quod attinet, *etsi*, inquit, *multa forte in me sint, quæ nondum adverto, quia tamen id quod adverto mihi sufficit, ut cum hoc solo subsistam; certus sum me a Deo potuisse creari absque aliis, quæ non adverto; atque ideo ista alia ad mentis essentiam non pertinere. Nihil enim eorum, sine quibus res aliqua esse potest, mihi videntur in ejus essentia comprehendi: & quamvis mens sit de essentia hominis, non tamen est proprie de essentia mentis, quod humano corpori sit unita* (1).

18. Plures interea fuisse reperio e Scholæ theologis, qui, quod animi immortalitatem spectat, in ea fuere opinione, credere eam divina revelatione oportere velut rem supra captum humanum positam, quamque nullis naturæ rationibus demonstrare possimus. Nam naturæ rationes, quas B. Thomas protulit, *Henricus & Scotus probabiliter suadere, non necessario demonstrare censuerunt, ut* Canus agnoscit (*a*); & *Cajetanus*, addit idem, *sui valde dissimilis scripserit, se credere quidem animam rationalem incorruptibilem esse, at nescire tamen.* In eamdem sententiam ingressi sunt & alii, in primis Nicolaus Perrotus (*b*), & Joannes Lockius (*c*). Nempe, inquiunt, tamdiu res creatæ vivunt, quoad eas esse & vivere auctor vult Deus; at quousque esse & vivere animas velit Deus id sci-

(a) *De locis lib.* 12. *cap.* 1.
(b) *Apud Balium in Diction. Art. Perrot. Remarq. L.*
(c) *Locke* 3. *Replique à Mr. Stillingfleet.*

(1) Unione animæ cum corpore; aut ejus saltem unionis *appetibilitatem*, ut loquuntur, ad animæ essentiam pertinere veteres scholæ docuerunt. Quum enim anima sit forma substantialis corporis organici, est ejus *entelechia*, idest *ultima perfectio*; ergo & creata est, ut hoc sit: tendit igitur eo, inquiunt, cujus causa creata est, ac suapte natura.

„ enim, *inquit*, hominum, quamvis ille sit indolis infa-
„ mia atque ignominiosa fugientis, qui cum dici exaudiat
„ viris ab sapientibus maxime, immortales animas esse,
„ nec fatorum esse obnoxias legibus, non in omnia flagi-
„ tia præceps se ruat? Non securus intrepidusque res obeat
„ atque aggrediatur illicitas? Non denique omnia suis
„ cupiditatibus largiatur, quæ libido impotens suaserit,
„ impunitatis præterea etiam libertate munita? Quid enim
„ prohibet quominus hæc faciat? Metus supernæ pote-
„ statis judiciumque divinum? Et qui poterit territari
„ formidinis alicujus horrore, cui fuerit persuasum, tam
„ se esse immortalem quam ipsum Deum primum? Sed
„ memoratæ apud inferos pœnæ & suppliciorum generi-
„ bus multiformes? Ecquis erit tam brutus & rerum con-
„ sequentias nesciens, qui animis incorruptibilibus, credat
„ aut tenebras tartareas posse aliquid nocere, aut igneos
„ fluvios, aut cœnosis gurgitibus paludes, aut rotarum
„ sublimium circumactus? Quod enim contiguum non est,
„ & ab legibus dissolutionis tutum est, licet omnibus am-
„ biatur flammis torrentium fluminum, volvatur in cœ-
„ no, saxorum imminentium casibus " hoc ait Arnobius nihil a corporeis causis peti posse.

Hujus argumentationis partes, quas nostri adversarii malitiose conglobant, si quis secreverit, tum ipse nullo negotio pervidebit, quam sit illa ad hanc rem inepta. Animi substantia, cogitationis nempe ὑποκείμενον, *subjectum*, corpus necne est? Prima est hæc quæstio. Atque hoc nec crassum nec tenue esse corpus, omnes peræque theologi illi veteres docent. Ipse Tertullianus in hoc ipso libro, quo vulgo creditur Epicureorum causam egisse, diserte id docet. Nam *cap.* 38. *ext.* recensens animi humani proprietates ac qualitates, *animæ firmamenta & propriæ conditionis alimenta* habet *immortalitatem*, *rationalitatem*, *sensualitatem*, *intellectualitatem*, *arbitrii libertatem*. Immortalitas autem ulli concretæ materiæ velut *propria* conditio conveniret? At *cap.* 8. negat animam esse aut *aerem*, *aut ignem*. Quomodo enim adamas rutilat, aeremque vibrat quin aut aer sit, aut lux: eodem modo anima *flatus* quidem est Dei, *spiritus*, non corpus, licet lucido corpore tenuissimoque circumdata. Aliud igitur est corpus sit ne anima, aliud perpetuo ne corpore circumdetur. Prius illud nemo unus dixit. Hoc fere omnes.

At-

Atque hæc est altera quæstio, vestiatur ne anima perpetuo quodam tenuissimoque corpore, *quasi corpore*, *vehiculo*? Non quidem ut hoc *quasi corpus* sit anima, sed ut eo perpetuo circumambiatur utaturque tamquam instrumento. Hoc ad se non pertinere scribit Augustinus. Sed id agit Tertullianus, ut hoc vehiculum animæ vindicet. Id censuere veteres theologi & de angelis, & de humanis mentibus. Hoc nullodum Ecclesiæ decreto definitum vult Estius. Sed quid hæc quæstio cum illa habet affinis, corpus ne sit angelus, an anima? Nam quum crassum *hoc domicilium*, ut Tertulliani verbo utar, non efficiat, quin anima sit incorporea, ne alterum quidem illud multo tenuius efficiet. Quibus ex rebus fit, ut sibi non adversentur veteres theologi, qui magna consensione immortales habent animos.

Arnobii locus molestus in primis plurimis videtur. Ac Heraldus quidem quum alibi sæpe, tum in hoc præsertim libro, immane quantum delirare ait Arnobium. Mihi interea nondum persuasi, eum in tam plano christianæ philosophiæ dogmate adeo furere potuisse. Itaque hic censeo non eo loci Arnobium voce *immortalitatis* id intellexisse, quod nos hodie. Plenam veteres christiani immortalitatem vocabant conditionem omnis mutationis impatientem, quod ex hoc eodem Arnobii loco discere possumus. Hanc naturæ conditionem perspecte jureque soli Deo tribuerunt. Quin Augustinus ipse in libro de immortalitate animæ sic eam immortalem vocandam docet, ut ea numquam penitus ipsa per se perire possit, non vero ut omnis mutationis, quod mortalitatis genus est, sit expers. *Mediæ naturæ* quum hic noster Arnobius, tum alii angelos & animos fecere, ut nec ita perire possint ut corpora, nec ita sint immortales ut Deus. Atque id sciscunt divini vates cum docent, *solum Deum habere immortalitatem*.

4. Superest ut Epicureos, & Socinianos audiamus: neque enim licet ullum inauditum damnare. Quæcumque adversus incorporalitatem, & immortalitatem animorum depravata suppeditat philosophia, unus complexus est Lucretius in tertio de *natura rerum*. Hic philosophus primum animum esse corporeum sic probare conatur. Cum videamus magnam esse corpus inter & animum harmoniam ita, ut quæcumque animo accidunt, corpus etiam affi-

afficiant, quæque corpori, animum; sequitur eadem natura præditos esse animum, & corpus; alioquin iisdem causis non afficerentur. Deinde animus movet corpus, corpus animum afficit ita, ut nihil animus percipere aut sentire possit, nisi per excitatas in nervis ac cerebro commotiones: id autem esse nequiret, nisi animus juxta & corpus simili constarent natura, eo vel maxime quod tangere & tangi nulla res, nisi corpus, potest.

5. Præterea (1) vis ac robur cogitandi adeo a vi & robore cerebri pendet, ut læso cerebro, veluti in paralysi, lethargo, ebrietate, amentia, aut non cogitemus omnino, aut prave. Jam vero quatuor sunt animi vires, ex quibus ejus exsistit in homine natura, vis vegetans, vis sentiens, vis imaginandi, vis intelligendi: at nunc constat eas a corpore sejunctas nec esse, nec cogitari posse. Primum nulla est vegetatio nisi motu & nutritione corporis. Tum nulla sensatio sine irritatione telæ nervosæ: hinc eæ corporis partes, ad quas nervi non pertingunt, nullo sensu præditæ sunt. Jam vero nec phantasia est ulla, nec memoria, nec cogitatio sine cerebro.

6. His addunt, quod hæc eadem quatuor sunt & in brutis animantibus, quin nulla sit in iis incorporea substantia. Nam illa & vegetant, ut homines: & voluptatem, & dolorem sentiunt: & similibus utuntur sensibus: & imaginatione ac memoria gaudent: & inter objecta internoscunt, atque astutias & artes adhibent aut ad se servanda, aut ad alia decipienda, quibus non modo belluæ, sed homines ipsi quandoque capiuntur. Qui igitur hæc eadem sine ulla incorporea anima esse in nobis nequeant?

7. Ad hæc, *quod neque intelligi, neque sentiri potest, temerariam nimis atque nugatoriam gignit opinionem* (a). Incorporeum vero neque intelligi, neque sentiri potest. Sentiri profecto nequit. Intelligi vero, qui queat punctum geometricum eas in corpore humano operationes edere, quæ animæ tribuuntur?

8. Postremo (quo etiam argumento pugnat *L'Ametrie*) anima, ut Viennenses Patres definivere, est *forma substantialis* corporis: at constat ex tota Aristotelis doctrina, nullam

(a) *S. Augustin. ep. olim* 118., *nunc* 13.

(1) *Argumenta recentium Epicureorum.*

lam formam incorpoream excipi in materia posse: nam forma substantialis est ultima subjecti perfectio; id scilicet vocabulum εντελεχεια significat: perfectio autem corporis nequit esse ab incorporea substantia. Fatendum igitur est, concludunt Lucretiano versiculo,

Corporea natura animum constare, animamque.

9. Accedit inde Epicureus homo ad animi mortalitatem. A versu igitur 418. ad ver. 842. animos nasci, & interire cum corporibus viginti octo argumentis demonstrare conatur. Præcipua sunt hujusmodi,

Principio quoniam tenuem constare minutis
Corporibus docui, multoque minoribus esse
Principiis factam, quam liquidus humor aquai est,
Aut nebula, aut fumus: nam longe mobilitate
Præstat, & a tenui causa magis icta movetur;
Nunc igitur quoniam quassatis undique vasis
Diffluere humorem, & laticem discedere cernis,
Et nebula aut fumus quoniam discedit in auras.
Crede animam quoque diffundi, multoque perire
Ocyus, & citius dissolvi corpora prima
Cum semel omnibus e membris ablata recessit.

10. *Præterea gigni pariter cum corpore, & una*
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur
Corpore, sic animi sequitur sententia tenvis.
Inde ubi robustis adolevit viribus ætas
Consilium quoque majus, & auctior est animi vis.
Post ubi jam validis quassatum est viribus ævi
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguaque, mensque,
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.
Ergo dissolvi quoque convenit omnem animai
Naturam, ceu fumus in altas aeris auras.

11. *Huc accedit uti videamus, corpus ut ipsum*
Suscipere immaneis morbos, durumque dolorem
Sic animum curas ægras, luctumque, metumque;
Quare participem lethi quoque convenit esse.

12. Huic argumento aliud adjungit ab animi dementia, quæ medicinis corporeis sanatur.

Et quoniam mentem sanari corpus ut ægrum
Cernimus, & flecti medicina posse videmus,
Id quoque præsagit mortalem vivere mentem.

13. Ad

13. Ad hæc si animus esset immortalis, qui doleret cum e corpore dissolutum it? lætari enim potius deberet. Sane rogant ii, qui huic argumento coronidem addunt, animæ lubentes ne in corpus intrarunt, an coactæ? Si primum, postquam infinita corporis mala sunt expertæ, & lubentes exire deberent. Si coactæ, quid tantum mali commeruere? Videsis hoc argumentum magna verborum pompa, & sententiarum pondere tractatum ab Arnobio lib. 2. adversus Gentes. Adde Aug. ep. olim 118. nunc 13.

14. Jam novelli Epicurei sic disputant. Constat, totam animi vim quatuor illis facultatibus contineri, vegetatione, sensu, imaginatione, intellectu. Omnes autem hujusmodi actiones, pereunte corpore, pereant necesse est; quia nulla, ut superius demonstratum, sine corpore exseritur. Quum igitur corpus dissolvitur, omnis animi vis & actio cessat. At ejus vita nequit consistere, nisi in hujusmodi energiis; & vita igitur animi cessat: mortalis ergo est.

15. Et hæc quidem Epicureorum nepotes. At Sociniani negant ullo modo doctrinam de incorporalitate, & immortalitate animorum in scripturis sacris haberi; imo illarum dogmatibus adversari pronunciant: ajuntque cum pythagorica, atque platonica philosophia in christianam Ecclesiam manasse. Nam, inquiunt, in toto Mosis Pentateucho neque vestigium est hujus dogmatis, neque vola. Quin oppositum, inquiunt, reperitur. Cum Deus facit hominem ex argilla, ei inspirat vitam, quam *nephesch hhaijach*, & *nischmat hhaijm* passim Hebræi vocant, quæ vocabula halitum, flatum, respirationem significant, ut Interpretes hebraicarum rerum consentiunt. Quod autem nullam animam a corpore distinctam explicent vocabula ista, patet, inquiunt, ex eo quod promiscue adhibentur etiam ad animas brutorum significandas, quas ipsa scriptura docet esse corporeas. Præterea (pergunt) ex ipsis verbis, quibus Moses describit hominis creationem, patet hominum purum esse corpus animatum. *Formavit Deus hominem pulverem ex terra.* Sic enim, inquiunt, legendum est, non *ex pulvere terræ*, ut vulgo legunt. Nam hebraica præpositio *Mim* non præponitur pulveri, sed terræ. Jam post peccatum nulla animi facta mentione Deus sic Adæ minatur, *pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ad hæc Scriptura de anima hominis non alia ratione loquitur, quam de animabus bestiarum:

Gen.

Gen. 7. v. 22. eodem illo vocabulo *nischmath bhajim* vocatur hominum, & brutorum anima, ut observat Scherzerus in systemate Theologiæ loco 5. Genes. 9. Pactum Deus paciscitur nedum cum homine, sed cum omni anima *vivente*, quæ est nobiscum tam in volucribus, quam in *jumentis*, & pecudibus terræ. Requirit etiam rationem *vitæ* hominis, & de manu hominum, & de manu bestiarum. In his ita se Deus gerit cum homine, tanquam qui nihil majus habet ipsis brutis. Tum vero Salomon in Ecclesiaste cap. 3. rem omnem definit clarissimis verbis. „ Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos „ Deus, & ostenderet similes esse bestiis, idcirco unus „ interitus est hominum, & jumentorum, & æqua utrius„ que conditio. Sic moritur homo, sic & illa moriuntur: „ Similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento „ amplius; cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt „ ad unum locum: de terra facta sunt, & in terram pa„ riter revertuntur. Quis novit si spiritus filiorum Adam „ ascendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deor„ sum? " Hæc Salomon.

16. Tandem urgent locum Pauli in prima ad Cor. cap. 15. Eo in loco Paulus ostendit Christum resurrexisse, idque testimoniis eorum, qui illum redivivum viderant. Probat secundo & nos olim resurrecturos; tum quia resurrectio mortuorum possibilis est, ut patet ex Christo, qui resurrexit; tum etiam quia vanæ essent omnes nostræ afflictiones, & labores, nisi resurgere deberemus. *Si enim*, inquit, *in hac tantum vita speramus in Christum, miserrimi omnium hominum sumus; si non est resurrectio, edamus, & bibamus, cras moriemur.* Qui hunc in modum loquitur, persuasum sibi habere debet animas corporibus superstites non esse: nam si animæ supersunt, etiamsi non resurgant corpora, virtutum præmia obtinere possunt. Itaque dogma immortalitatis animorum, pergunt Sociniani, evertit necessitatem resurrectionis corporum. Si enim animæ immortales sunt, esseque possunt beatæ sine corporibus, quid attinet eas iterum in corpora, velut in tetros carceres detrudere? Certe animæ horrere debent conjunctionem cum corporibus, in quibus tot mala sunt perpessæ. Hæc Sociniani.

17. Nunc his paucis respondebimus: nam pluribus necesse non est: nervi scilicet argumentorum incidendi sunt.

Ac primum quidem Lucretii argumentum, quo probare nititur animum esse corporeum ex corporis, & animi consensu, ineptum est. Scilicet cum Deus hominem ex animo, & corpore constare voluisset, efficere debuit, ut inter utrumque harmonia esset perpetua, alioquin monstrum biceps fecisset. Itaque necesse fuit, ut & totum corpus totius animi esset instrumentum, & singula corporis membra singularum animi facultatum, veluti nutritionis & vegetationis canales, qui fluida aut præparant, aut ductant: nervi sensationis doloris & voluptatis corporeæ: diaphragma organum voluptatis & doloris animi: oculi, aures, &c. perceptionum sensibilium: cerebrum phantasiæ, memoriæ, ratiocinationis instrumentum. Præterea ut hominis unitas conservaretur oportuit, ita animum constituere, ut quousque cum corpore copulatus est, nullum suarum facultatum exercitium habere posset sine instrumento. Atque inde sunt illa phænomena omnia, ex quibus isti naturam animæ corpoream esse & mortalem se demonstrare posse confidunt, quæ superius numeris 4. 5. 6. 7. 8. enarravimus.

18. Sed qua ratione inquiunt, incorporeum afficit corporeum, & hoc illud? Corporeum ab incorporeo affici & moveri clare percipio, cum omnes vires motrices sint incorporeæ: rationem, & viam ignoro. At id non efficit quominus primum cognoscam. Interim quoniam ex hoc capite omnia alia Lucretiana argumenta pendent, explicemus in antecessum paullo fusius, ac quoad scimus, mentis, & corporis unionem.

Silvanus Regis in aureo opere de usu rationis, & fidei lib. 1. parte 1. cap. 3. decem ponit leges unionis mentis, & corporis, qua perpetua experientia veras esse dicimus. Prima est, ut quousque mens unitur corpori, habeat ideam extensionis corporeæ occasione motionum ab externis corporibus in sensibus nostris excitatarum. Hinc fit, ut omnes mentis perceptiones cum phantasmatibus corporeis conjunctæ sint, nec possibilis sit in anima conjuncta corpori pura intellectio. II. Ut omnis motio cerebri excitet similem in animo sensationem, quæ tamdiu duret, quamdiu hæc cerebri motio. III. Ut quousque anima corpori conjuncta est, habeat notionem alicujus corporis peculiaris in sensus agentis. IV. Ut anima, excitata motione in cerebro ab aliquo peculiari objecto externo, statim

con-

convertatur ad id objectum, & eam motionem referat ad objectum suum cum circumstantiis temporis, & loci. V. ut si iterum excitetur motio aliqua in cerebro, quæ alias fuerit ab objecto externo facta, nascatur in anima ejusdem objecti reminiscentia. VI. ut excitata motione qualibet in corpore, qua corporis harmonia conservatur, aut destruitur, nascatur in anima voluptas, vel dolor. VII. ut quæ ideæ cum voluptate conjunctæ sunt, determinent animam ad objecta harum idearum persequenda, quæ cum dolore ad fugienda. VIII. ut omnes ideæ animæ seu notiones, quæ pertinent aut ad corpus nostrum, aut ad animum, aut ad bona utriusque, vel mala, conjunctæ sint cum motionibus excitatis in cerebro. Hinc fit, ut ad notionem rei terribilis contremiscat corpus, ad notionem vero rei amabilis oculi, & vultus rideant. IX. ut quamdiu anima cum corpore unita est, nulla de re cogitare possit, nisi ex alicujus motionis occasione in cerebro, vel sensibus excitatæ. X. ut perceptiones animi sint magis aut minus expeditæ, prout magis vel minus expediti fuerint motus cerebri, & sensuum. Hanc decimam legem substituimus Silvano Regio.

19. Ceterum non consentiunt philosophi circa modum unionis animæ, & corporis, ex quo hujusmodi sequuntur leges, quas perpetuo experimento discimus. Sunt quibus placet animam physice in corpus influere, corpus in animam, quemadmodum Scholastici ferme omnes. Alii adsciverunt substantiam quamdam mediam inter mentem, & corpus, qualem induxerat post veteres quosdam philosophos Athenagoras ac nonnulli alii veteres theologi. Ita Gassendus, Cudworthus, & Clericus, Carteliani Deum faciunt auctorem immediatum hujusmodi legum, qui nempe immediate producat cogitationes in anima, ex occasione motionum corporearum, & motiones in corpore, ex occasione cogitationum animi. Leibnitiani ex natura animi, & corporis per harmoniam præstabilitam hæc explicant. Quæ omnia inferius edisserentur. Ex posterioribus systematibus possunt facillime argumenta lucretiana refelli. Sed si mavis modum unionis mentis & corporis inter ignota cum Augustino referre, non idcirco Lucretii argumenta illa minus erunt solubilia. Constet corpus esse animæ instrumentum: ac ea omnia fieri necesse est, quæ isti ad causam suam referunt.

20. Jam ajunt & in brutis ea esse, quæ animam consti-

tuunt. Quibus duobus modis respondetur à doctis. Principio in brutis nullum esse intellectum, nullam rationem. Nam quum intellectus sit abstractarum idearum perceptio: ratio genericarum veritatum comprehensio, earumque peculiaribus factis applicatio; perspicuum est utroque destitui bruta. At præcipua animæ humanæ vis intellectu & ratione continetur. Deinde ajunt & animas brutorum incorporeas esse, quod nulla vis percipiendi corpori ulli convenire possit. Sunt qui hanc doctrinam minus ferunt. Sed ut est illa gravissimorum theologorum, imprimis Augustini Calmeti, si nulli etiam adhuc in mentem venisset, non recte, nec sapienter ii adversarentur, qui nec intelligunt quantum altera Deistarum causæ faveat; & minus sunt in eorum libercûlis versati, qui christianam, naturalemque juxta religionem sublatam volunt (1).

21. Sed vero, intelligi non potest, punctum geometricum ea edere, quæ animo tribuuntur. Occupavit olim hoc argumentum Augustinus in opusculo *de quantitate animæ*. Principio animo suæ vires constant, ex quibus ille satis intelligatur. Quod si corpore omni sublato nihil aliud de ea nobis percipere videmur, id vitio fit phantasiæ, quæ substantias incorporeas sine mole depingere sibi nequit; quum tamen eæ non imaginandæ sint, sed intelligendæ. Deinde suam habet anima & sui generis extensionem quamdam, non illam quidem, quam corporibus tribuimus, sed hanc virium: toti scilicet corpori ejus vis vitalis coextenditur; ut nec angustior sit corpore, nec amplior. Hæc quum diserte doceat Augustinus, veteresque dixerint scholæ theologi, quis eorum imperitiam ferat, qui mihi crimini tribuerint, theologi & ipsi, ut iis quidem videtur? Quæ, opinor, sic acceperunt, quasi non virium magnitudinem, sed corporeæ molis, menti attribuerim. Qui si sic erraverunt, demus id eorum ἀγροικότητι.

22. Postremo Epicureorum argumento binis hic ego verbis respondebo, inferius copiose retractaturus. Vocabulum *formæ substantialis* duplici cum notione accipi potest, ut aut sit entelechia corporis eo sensu, quo Peripateticorum vetus princeps & Dicæarchus accepere; aut ut formis, quas vocant *assistentes*, opponatur. Ex historia ejus

synodi

(1) Hinc illa opuscula, *L'Homme machine; l'Homme plante;* *les Animaux plus que machines*.

synodi patet posteriori sensu acceptum, quo iis adversum iretur, qui animas humanas non *informantes formas*, sed *assistentes* prædicare occeperant. Itaque non licet in idem crimen Aristotelem & christianos theologos vocare. Sed hæc postea accuratius.

23. Postremis Lucretii argumentis facillime respondetur, si recoluerimus leges illas unionis mentis, & corporis. Juxta illas leges mens cogitat secundum motiones cerebri, & sensuum, & secundum easdem afficitur. At inde non sequitur eam esse corpoream, & mortalem, sed tantum ita esse a Deo factam, ut non possit, quamdiu in corpore est, alio modo operari. Quo modo vigiliæ arcis arcem custodiant oportet, nec eas invito imperatore deserant: sed an idcirco una est arcis hominumque natura? Quid si quis videat homines ad pistrinum damnatos, tantasque volvere machinas, pistrina esse illos exclamet? quam id lepidum? Objectiones igitur omnes lucretianæ sunt phænomena hominis, quæ ex legibus unionis mentis, & corporis nascuntur.

24. Quod vero anima timeat a corpore separari, & doleat, id fit aut cogitatione futuræ vitæ, quæ vita anceps est, ut respondet Lipsius; aut quia cum per diuturnum usum mancipata sit bonis hujus vitæ, dolet illa esse relicturam. Hominem hic Neapoli novi longo carceri damnatum, arceque, quam S. Telmum vocant, clausum; qui cum libertatem adeptus a rege esset, magna cum animi ægritudine accepit; usque adeo ut lubens eodem in carcere vitam finire voluerit, quo consenuerat. Alioquin scimus eos homines, qui præsentia bona præ æternis contemnunt, cupere etiam dissolvi, ut de se loquebatur Paulus. Sed quærunt, lubentes ne, an invitæ animæ corpus subeunt? Neutrum: nam si animæ in corpore creantur, neque unquam corpus præcesserunt, ridiculum est quærere, lubentes ne, an invitæ corpus intrent. Sed ea de re postea.

25. Restant nunc Sociniani. Primum eorum argumentum ex silentio veteris Scripturæ desumtum est. Sed hoc argumentum non magis probat animos esse corporeos, & mortales, quam silentium incorporalitatis Dei in ipsis vetustis Scripturis probet Deum esse corporeum. Quod autem veteres illi Scriptores de homine semper ita locuti sint, ut de prorsus corporeo, & mo[illegible]um non

est, cum & de Deo tanquam de natura corporea perpetuo verba faciant. Indulgendum igitur est hoc rusticitati Hebræorum, qui nisi corpora, nihil præterea intelligere poterant. Quemadmodum igitur Thomas Hobbesius ex hujusmodi veteris Testamenti phrasibus non recte deduceret Deum esse corporeum, ita ex similibus non recte Sociniani concludunt animorum corporalitatem. Quod porro Moses non ita aperte de altera vita monuerit in suis legibus Hebræos, factum est ex arcanis providentiæ divinæ, quæ magnum hoc dogma clare explicandum Christo reservaverat, ut ratiocinatur B. Augustinus. Sane Deus non omnia simul homines docuit, sed præfinitis quædam temporibus explicanda distulit, ut ex perenni Scripturæ œconomia patet. Interim vide quæ dicta sunt in II. part. Cap. XIX. 5.

26. Quod spectat ad Salomonis locum, primum non is sensus est, nulla prorsus re hominem a bestiis differre, seu in omnibus illis esse simillimum, quum Salomon alibi præstantiam animi super bruta aperte doceat: verum ortu, vita animali, & interitu nos bestiis esse similes, & quod ad corpus pertinet, ex eadem tellure cum brutis genitos, in eamdem redituros. Quod addit, *quis novit utrum spiritus filiorum Adam adscendat sursum, spiritus jumentorum descendat deorsum*, rationem spectavit naturalem, cujus ope arbitrabatur non posse homines clare & distincte cognoscere discrimen mortalitatis animarum brutorum, & hominum. Hanc mentis brevitatem, imbecillitatem, obscuritatem passim notare solent scriptores sacri, in primis auctor libri Jobi; Salomon ipse in hoc eodem libro, & ut ceteros mittam, Paulus in epist. ad Rom. Sunt quibus placet Salomonem in hoc loco ex persona impiorum loqui. Ita Gregorius Magnus, & B. Thomas. Sed Scripturæ contextus ei opinioni refragatur. Alii censent hæc narrare Salomonem, velut a se cogitata, dum juvenis esset: quod item rerum series non patitur.

17. Ad Pauli auctoritatem post Beatum Chrysostomum ita respondent theologi quidam, quod quoniam Paulus sciebat plenam beatitudinem omnibusque numeris absolutam nemini contingere ante corporum resurrectionem, idcirco scripserit inanes esse labores nostros, nisi corporum futura esset resurrectio. Primi tamen aliquot Christiani *ita hæc intelligebant*, ut animæ separatæ usque ad corpo-

rum

rum resurrectionem censerentur esse in statu quodam dormitionis, a quo tandem essent excitandæ in die extremi judicii. Eam ob rem Christianorum mortem *somnum*, & *requiem* appellabant: quæ opinio Scripturæ juxta & meliori traditioni adversatur, quod pluribus demonstravit Muratorius in opere *de paradiso*. Quid autem attineat corpora resurgere cum animæ sint immortales, is quærere potest, qui æterna Dei consilia in numerato habeat. His in rebus, quod sæpe dixi, quæ clare in Scripturis positæ sunt, fas non est hominem, qui tenuitatis suæ sit sibi conscius, Dei æternas rationes & fines investigare. Ex his igitur concludimus mentes humanas, & incorporeas esse, & superesse post corporum dissolutionem, ex theologiæ quoque christianæ decretis.

Prop. XVI. Cogitationes sunt actiones *immanentes* non *transeuntes*. D. Pertinent enim ad vitam mentis (prop. 12.); vita autem posita est in actione perenni e principio rei viventi insito manente (def. 10.); insitæ igitur sunt menti; adeoque ei *essentiales*; quæ vero *insita* sunt enti & *essentialia*, nequeunt esse transeuntia; cogitationes ergo sunt actiones immanentes. Enim vero perridiculus esset, qui cogitationes aut non esse menti insitas, aut de mente in mentem, aut de mente in corpus transire diceret. Itaque quoniam & id clare sequitur ex natura mentis, & omnium philosophorum consensione probatur; nobis, qui philosophamur ex ideis humanis (post. 1.) axioma habendum est. Quamquam ne Hobbesius quidem alias philosophari posset. Nam quum illi cogitatio sit *conflictus corporeus*, isque peragatur *actione* externa singulari, & singulari *reactione*; nequit is esse, nisi in quo fit, neque idem numero conflictus de subjecto in subjectum migrare. Neque vero ab eadem doctrina dissentire possunt, qui animam faciunt vim quidem incorpoream, sed toto corpore fusam, & ex corporis compage atque temperatione pendentem. Scilicet ex horum sententia cogitationes sunt modificationes singulares hujus vis in humana machina, quæ idcirco, nisi in ea, esse non possunt, ac ne intelligi quidem ab ea separatæ.

Prop. XVII. Mens humana non est una eademque numero in omnibus hominibus.

D. Mens humana est substantia incorporea (prop. 13.); cui cogitationes immanentes sunt & essentiales (prop. 16.);

si est una eademque in omnibus hominibus, ejus vis intellectiva & una ipsa eademque est in omnibus; adeoque eædem in omnibus cogitationes, idemque cogitationum ordo & numerus, eademque claritas, aut obscuritas, velocitas, aut tarditas: at neque eædem numero cogitationes sunt in omnibus, neque eædem cogitationum series & numerus, minus etiam eadem aliæ cogitationum affectiones, claritas, obscuritas, velocitas, ne super iisdem quidem rebus; non igitur mens humana una eademque numero in omnibus est.

Præterea, quod Aristoteles prodidit, comprobatumque est a sequioribus, *intellectum fieri quodammodo omnia, quæ intelligit*, idest *ideas intellectuales & intellectum unum esse idemque*, adeo verum est, ut nihil verius scribere potuerit Joannes Picus, *qui dubitat ex intelligibili & intellectu magis vere & substantialiter fieri unum, quam ex materia & forma substantiali, non est philosophus* (a): fit autem non simul omnia intelligibilia; neque plurima: capacitatis enim non modo infinitæ non est, sed ne magnæ quidem; ut idcirco experiamur, vix eum sufficere parvo numero idearum simul contemplando: at si unus esset in omnibus, fieret eodem tempore tot distincta atque diversa intelligibilia, quot simul qui sunt homines intelligunt: non unus igitur in omnibus. Scholasticorum quidem veteri pulvere adspersum est hoc argumentum, sed minime tamen contemnendum.

Schol. Sunt qui superioribus argumentis respondent, vim intellectivam unam quidem in omnibus hominibus esse, sed eam diverse modificari in singulis, pro phantasmatum, sensuum, & cerebri diversitate, indeque esse, ut in diversis hominibus diversa appareat: quemadmodum idem succus nutritius pro varia herbarum, plantarumque structura, in frondes, fructusque diversos erumpit: idem flatus pro instrumentorum varietate varios edit sonos. Quibus B. Th. perspecte respondet, quod quoniam intelligere actio est immanens, fieri non potest, ut sola phantasmatum varietate & multiplicitate variet (b).

Arabum præcipue Peripateticorum ea fuit opinio, unam

(a) *Joan. Picus in thesibus ex mente sua thesi 71. tom. 1. pag. 59.*

(b) *Lib. 2. contra Gen. cap. 73.*

unam esse animam intellectivam in omnibus hominibus, quæ Averrois thesis est apud Joannem Picum (a), & Beatum Thomam (b). Nempe *anima* & *intellectus passivus*, seu potius δύναμις, ut vocat Aristoteles, vel *possibilis*, ut Arabes & Scholastici, pro hominum multiplicitate multiplex est & varius: *agens* vero (ἐνέργεια), qui ex Arabum philosophia est substantia ab intellectu passivo distincta, unus tantum est. Sed non sibi convenit Arabibus. Sunt enim qui creatum intellectum hunc mundanum opinentur: sunt qui ipsum Deum arbitrentur. Nam Albumaron, *intellectum agentem esse Deum* scribit (c); & Themistii doctrina fuit, *intellectus possibiles, qui illuminantur tantum, plures esse: agentes participatos illuminantes, & illuminatos plures quoque esse: agentem illuminantem tantum unum*, scilicet Deum (d), quod Aristotelis doctrinæ est conforme, quippe qui Deum fecit *mentem mundum informantem*, quemadmodum demonstratum est a Walchio (e). Plura super ea re congessit Bælius (f). Nos inferius copiosius eam historiam enarrabimus. Sed quod spectat ad priorem opinionem, nescio utrum Campanellæ, & Cudworthi *anima mundana & genitrix* affinitatem cum illo Arabum intellectu habeat: certe flecti in eamdem doctrinam haud difficulter potest. Ego etsi non negem, me valde esse proclivem in eam opinionem, esse in natura corporea *vim quamdam omnia permeantem atque continentem*, quam & *genitricem* appellare possimus, seu igneæ ea sit naturæ, seu cujusvis alterius; atque ex ea non parum, ut aliorum viventium, ita hominum vitam pendere, quod experimentis perpetuis probari posset, si esset opus; at eam substantiam, qua intelligimus, subjectum idem & principium cogitationum nostrarum commune esse aut toti corporeæ naturæ, aut saltem hominibus omnibus, adeo stolidum puto, ut ne confutatione quidem dignum censeam.

Prop. XVIII. Mens humana sempiterna non est.

D. Nam nulla habet sempiternitatis attributa. Prin-

(a) *In Apologia pag.* 45. (b) *Loco superius citato*.
(c) *Apud Joan. Picum pag.* 45. (d) *Apud eumdem pag.* 49.
(e) *De Atheismo Aristotelis in Parergis Academicis*.
(f) *In dict. Art. Aristotel. & Averr.*

cipio sempiternum necessariam habet exsistentiam, adeoque essentiam (prim. part. prop. 28.); hinc infinite perfectum (ibid. prop. 29.); quod nunc mens humana non est. Deinde sempiternum necessariam habet exsistentiam: nulli ergo subditur, nec quidquam invitum ab alio pati potest; plura autem invita patitur mens, ut patet: sempiterna ergo non est. Tandem mens humana mutationi obnoxia est: quæ sunt talia sunt contingentia (prim. part. prop. 32.); nec contingentia sempiterna; mens ergo humana contingentem habet exsistentiam, nec idcirco sempiternam.

Schol. 1. Super Animarum humanarum origine & veterum philosophorum memoria disputatum est acerrime, & nunc disputatur: neque inter profanos modo, sed inter ipsos maxime theologos. B. Hieronymus (*a*) sic paucis historiam ferme omnem complectitur. *Super animæ statu memini vestræ quæstiunculæ, immo* MAXIMÆ ECCLESIASTICÆ QUÆSTIONIS, *utrum lapsa de cælo sit, ut Pythagoras philosophus, omnes Platonici, & Origenes putant? an ex propria Dei substantia, ut Stoici, Manichæus, & hispana Priscilliani hæresis suspicatur? an in thesauro habeantur Dei olim conditæ, ut quidam Ecclesiastici stulta persuasione confidunt? an quotidie a Deo fiant & immittantur in corpora? an certe ex traduce, ut Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars occidentalium censent?* Ad quinque igitur classes quæcunque ferebantur opiniones retulit Hieronymus; quarum tamen non erat cur primam a tertia distingueret. Et gravissimos quidem philosophos, atque theologos earum opinionum singulæ patronos habuere: nunc vero quarta tantum vulgata est & publice suscepta: quinta a paucis, in primis a Wolfio (*b*) restituta est. B. Augustinus *de origine animæ* (*c*) quatuor libris disseruit: & quamquam in eam fuerit opinionem proclivior, ex traduce ad posteros animos derivari, ita tamen disseruit, ut plurimis demonstraverit, nihil certi super ea re nec revelatione divina, nec naturæ ratione sciri. Scilicet nulla nobis suppetunt principia, neque sensu, neque conscientia, neque conjectura ulla, quibus quidpiam certi

(a) *Tom. 4. oper. pag. 642. edit. Martian.*
(b) *In Psychologia Rationali.*
(c) *Vide & lib. 3. de libero arbit. cap. 21.*

ti pronunciare possimus; & in Scripturis altum ea de re silentium, hebræi vero veteres, & christiani theologi in partes varias iverunt (*a*).

2. In primis vero inter veteres philosophos vulgatissima est prima illa opinio, mentes humanas longe ante corpora præexstitisse, quæ cum altera erat conjuncta, transire eas de corporibus in corpora. Metempsychosin enim hanc non Græci tantum philosophi, sed & Ægyptii, & Chaldæi, & Persæ, & Indi magna consensione tradiderunt, hodieque orientales ferme omnes populi credunt (*b*). Sed & Menasseh ben Israel opinionem hanc communem omnium Hebræorum vocat, &. ab his ad Gentiles manasse autumat (*c*); quæ gloriatio rabbinica est; nempe posteriores tantum Kabbalistæ id sibi persuasere. In tractatu de revolutionibus animarum (*d*) legitur: *Res ipsa autem ita se habet, quod nempe omnes* MENTES, *&* SPIRITUS, *&* PSYCHÆ, *nulla excepta, comprehensæ fuerint in Adamo protoplasta cum conderetur*. Ad ejusdem capitis §. V. auctor *Kabbalæ denudatæ* hæc observat, *sciendum, antiquo dogmate Hebræorum per Adamum protoplasten non intelligi personam unam individuam, sed totum animarum genus suis ordinibus atque gradibus varie distinctum, & sub forma exercitus cujusdam ab Adamo seu duce sub imperatore Messia, per signa membris humanis assimilata gubernatum, quod corpus intelligitur Apostolo* Eph. IV. 13. *& alibi, ubicumque Christus ab ipso caput nominatur* (*e*). In hæc scilicet portenta abit philosophia quum a natura sua discedit. Repetamus hic tota mente præclarum Augustini effatum, *quod neque intelligi, neque sentiri potest, temerariam nimis atque nugatoriam gignit opinionem* (*f*).

3. Jam Platonicorum illam animorum præexsistentiam in aliis orbibus, dehinc descensum in corpora non inscito illo argumento deridet Lucretius (*g*).

Præ-

(a) *Vide Calmet. Diction. Biblico art. Ame.*
(b) *Vide eamd. ibid. art. Metempsychosis.*
(c) *Lib.* 1. *de creat. problemate* 15.
(d) *Part.* 1. *cap.* 1. §. 11.
(e) *Vide Henricum Morum tom.* 1. *operum in exposit. visionis Ezechielis, & Buddeum Introduct. ad hist. Phil. Heb. pag.* 431.
(f) *Ep. alias* 218., *nunc* 13.
(g) *De nat. rer. lib.* 3. *V.* 670.

Praterea si immortalis natura animai
Constat, & in corpus nascentibus insinuatur,
Cur super anteactam atatem meminisse nequimus?
Nec vestigia gestarum rerum ulla tenemus?
Nam si tantopere est animi mutata potestas,
Omnis ut actarum exciderit retinentia rerum,
Non, ut opinor, id ab letho jam longiter errat.

4. Arnobius acerrime in eamdem opinionem dum invehitur, praeclara quaedam dicit adversus Platonicos, atque Origenianos: sed quaedam addit, quae demere possis. Rogat primum, quum in caelo essent mentes humanae beatae, quae causa extiterit, cur in corpora demitterentur? *Habitari*, inquiunt, *oportuit*, *has partes & idcirco huc animas tanquam in colonias aliquas Deus omnipotens misit*. Tum sumto cothurno in eam opinionem velut Dei providentiae injuriam, insurgit. Locus paullo longior est; sed rerum utilitas longitudinem compensabit (a).

„ Et quid homines prosunt mundo, aut ob rei cujus „ sunt necessarii causam, ut non frustra debuisse credantur parte in hac agere, & terreni esse corporis inquilini? Ad consummandam molis hujus integritatem, partem aliquam conferunt: & nisi fuerint additi, imperfecta & clauda est universitatis haec summa. Quid ergo? si homines non sint, ab officiis suis cessabit mundus? Vicissitudines suas non peragent sidera? aestates atque hiemes non erunt? ventorum flamina conticescent? nec ex coactis, & pendentibus nubibus ad terram decident imbres ariditatibus temperamenta laturi? Atqui necesse est, cuncta suos ire per cursus, nec ab ordinis dati continuatione discedere, etiamsi nomen in mundo nullum hominis audiatur, orbisque iste terrarum solitudinis vacuae silentio conticescat. Quemadmodum ergo jactatur habitatorem debuisse regionibus his addi, cum ab homine liqueat nihil ad mundi perfectionem redire, omniaque ejus studia commoditatem semper spectare privatam, nec a finibus propriae utilitatis abscedere? Quid enim prodest mundo (ut ab rebus incipiam seriis) maximos reges hic esse? Quid tyrannos, quid dominos, quid innumeras alias atque amplissimas potestates? Quid rei militaris experientissimos „ du-

(a) *Arnob. in 2. advers. Gentes.*

„ duces capiendarum urbium peritos, in equestribus prælliis, aut in pedestri pugna immobiles atque invictissimos milites? Quid oratores, grammaticos, poetas? quid scriptores, dialecticos, musicos? quid pantomimos, quid mimulos, histriones, cantores, tuba, tibia, calamoque flatantes? Quid cursores, quid pugiles, quadrigarios, desultores, grallatores, funambulos, præstigiatores? Quid bigarios, salinatores, volones, unguentarios, aurifices, aucupes, vannorum sirpiarumque vitores? Quid fullones, lanarios, phrygiones, coquos, panchristarios, muliones, lenones, lanios, meretrices? Quid institorum alia genera? Quid professorum, & artium, quibus enumerandis omnis ætas angusta est, rationibus conferunt, & constitutionibus mundi, ut sine hominibus condi non potuisse credatur, nec obtenturus integritatem sui, nisi ei conditio animalis miseri & supervacui jungeretur? Nisi forte rex mundi (quod temeritatis est maximæ humano ex ore depromere) idcirco ex se genitas huc animas misit, ut quæ fuerant apud se deæ, corporei tactus, & materiæ circumscriptionis expertes, humana immergerentur in semina: fœminarum ex genitalibus prosilirent, ineptissimos ederent continuarentque vagitus: exsugerent sellitantes mammas, proluvio linerent & madidarent se suo? tum ad silentium pavidæ nutricis motibus, & crepitaculis adducerentur auditis. Idcirco animas misit, ut quæ fuerant simplices, & bonitatis nuper innoxiæ, simulare in hominibus discerent, dissimulare, mentiri, circumscribere, fallere, adulatoria humilitate captare, mente aliud volvere, aliud in facie polliceri: illaqueare, decipere dolis atque insidiis nescios, per innumeras artes malitiarum venena conquirere, & ad usum temporis pellaci mobilitate formare? Idcirco animas misit, ut in pacata & placida tranquillitate degentes, assumerent ex corporibus causas, quibus feræ fierent & immanes, simultates, atque inimicitias gererent, conserent inter se bella, expugnarent atque everterent civitates: servitutis opprimerent & manciparent se jugo, & ad ultimum fierent alterius altera potestatis natalium conditione mutata? Idcirco animas misit, ut immemores veritatis effectæ, & quidnam esset Deus oblitæ, simulacris inertibus supplicarent, ligna, æra, & lapides, divina

„ allo-

„ alloquerentur ut numina; auxilia poscerent eos cæso„ rum animantium cruore, nullam sui facerent mentio„ nem, quinimmo ex his aliæ ut dubitarent se esse, aut „ ullum esse, penitus abnegarent? Idcirco animas misit, „ ut quæ in sedibus propriis mente fuerant una: intelle„ ctu & scientia paribus, postquam formas induere mor„ tales, opinionum discriminibus dissiderent, aliud aliis „ justum, aliud utile videretur & rectum, de appetendis „ rebus, fugiendisque certarent, malorum ac bonorum „ alios aliæ constituerent fines: veritatem cupientibus no„ scere rerum opponeretur obscuritas, & velut oculorum „ luminibus viduæ nihil certum viderent, & per ancipi„ tes semitas suspicionum inducerentur errore? Idcirco „ animas misit, ut cum animantia cetera sponte natis „ alerentur, & nulla satione prolatis, neque domorum, „ aut vestium tutamina sibi, aut velamenta conquire„ rent, miserabilis istis necessitas adderetur: ut cum im„ pendiis maximis, perpetuisque sudoribus domos sibi con„ struerent, membrorum conficerent tegmina, supellecti„ lem variam diurnorum contraherent egestati, imbecilli„ tatis auxilia animalibus mutuarentur a mutis, vim fa„ cerent terris, ut non sua sufficerent gramina, sed im„ peratas extollerent fruges, & cum sanguinem totum in „ subigenda tellure fudissent, rubigine, grandine, sicci„ tate, spem laboris amitterent, & ad ultimum vi famis „ humanis cadaveribus incubarent; & ab hominum for„ mis tabifica macie dissociarentur abjunctæ? Idcirco ani„ mas misit, ut quæ secum commorantes possessionis ali„ cujus nullum unquam habuissent amorem, avarissimæ „ hic fierent, & in habendi studium inexsaturabili pecto„ ris ardescerent appetitu: effoderent altos montes, & „ viscera ignota terrarum in materias verterent alieni no„ minis, atque usus, penetrarent abditas discrimine cum „ capitis nationes, & translatis mercibus caritatem sem„ per, vilitatemque captarent; exercerent avidum atque „ injustissimum fœnus, & miserorum e sanguine suppu„ tandis se angerent insomnia nominibus: possessionum „ semper producerent fines, & quamvis provincias totas „ rus facerent unum, pro arbore una, pro sulco forum „ litibus tererent: cum amicis, & fratribus inexpiabiles „ susciperent simultates? Idcirco animas misit, ut quæ „ dudum fuerant mites & feritatis affectibus nesciæ com-

„ move-

,, moveri, macella sibi, & amphitheatra constituerent,
,, loca sanguinis & publicæ impietatis, ex quibus in alte-
,, ro mandi homines cernerent, & bestiarum laniatibus
,, dissipari: interficere se alios nullius ob meriti causam,
,, sed in gratiam voluptatemque sessorum, ipsosque illos
,, dies, quibus tantum committeretur nefas, in gaudiis
,, communibus ducerent, & festa hilaritate sacrarent: at
,, in altero vero animalium miserorum discerperent visce-
,, ra, alias aliæ raperent (ut canibus mos est & vultu-
,, riis) portiones, subigerent dentibus, & crudelissimo
,, ventri darent, & in tam sævis atque horridis moribus
,, sortem suam flerent, quas ab talibus mensis paupertatis
,, angustiæ vindicarent: pro beatis ac felicibus viverent,
,, quarum ora & faciem tam crudeles polluerent appara-
,, tus? Idcirco animas misit, ut divini ponderis & gra-
,, vitatis oblitæ, gemmas, lapillos, margaritas, castitatis
,, dispendio compararent, innecterent his colla, laminas
,, pertunderent aurium, conficiendis quærerent corporibus
,, fucos, imminuerent frontes limbis, fuligine oculos ob-
,, umbrarent, nec in formis erubescerent masculorum ca-
,, lamistris vibrare cæsariem, cutem corporis levigare, in-
,, cedere poplitibus nudis; omnique alio cultu vigorem vi-
,, rilitatis & exponere, & in habitum fœminarum, deli-
,, tiasque molliri? Idcirco animas misit, ut viarum aliæ
,, infestarent meatus, aliæ circumscriberent nescios, testa-
,, menta supponerent falsa, venenatas conficerent potio-
,, nes, domos ut effringerent noctibus, sollicitarent, abi-
,, gerent, prævaricarentur, & proderent, saporum fastidia
,, ut excuterent palato, ut in coquendis alitibus pinguitu-
,, dinem nossent retinere labentem, ut spirulas, & botu-
,, los facerent, isicia, catillamenta, lucanica, suminatam
,, cum his carnem, & glaciali conditione tuceta? Idcir-
,, co animas misit, ut res sancti atque augustissimi nomi-
,, nis symphoniacas agerent & fistulatorias hic artes, ut
,, inflandis bucculas distenderent tibiis, cantionibus ut
,, præirent obscœnis, numerosos iterarent scabillorum con-
,, crepationibus sonores, quibus animarum alia lasciviens
,, multitudo incompositos corporum dissolveretur in mo-
,, tus, saltitaret; & cantaret, & orbes saltatorios verte-
,, ret, & ad ultimum clunibus & coxendicibus subleva-
,, tis lumborum crispitudine fluctuaret? Idcirco animas
,, misit, ut in maribus exoleti, in fœminis ferrent me-

,, re-

„ tetrices, sambucistriæ, psaltriæ, venalia ut prosternerent corpora, vilitatem sui populo publicarent, in lupanaribus promtæ, in fornicibus obviæ, nihil pati renuentes, ad oris sacri comparatæ stuprationem? Quid dicitis, o soboles, ac primi progenies numinis? Ergone sapientiæ illæ, atque ex causis principalibus proditæ genera hæc animæ turpitudinum, criminum, malitiarumque noverunt, atque ut exercerent, ut gererent, ut percelebrarent hæc mala, habitare jussæ sunt has partes, & humani corporis circumjectione vestiri? Et mortalium quisquam est rationis alicujus accipiens sensum, qui ordinatum existimet mundum propter has esse, ac non potius sedem ac domicilium constitutum, in quo omne quotidie perpetraretur nefas, maleficia cuncta conficerent, insidiæ, fraudes, doli, avaritia, rapinæ, vis, scelus, audacia, obscœnitas, turpitudo, flagitium, mala omnia cetera, quæ in orbe homines toto mente noxia pariunt, & labem machinantur in mutuam? Sed sua (inquitis) voluntate, non regis jussione venerunt. Et ubi pater omnipotens fuit, ubi regiæ sublimitatis auctoritas, ut eas prohiberet abscedere, nec in præcipites labi permitteret voluptates? Si enim degeneres futuras locorum immutationibus sciebat (scire autem debuerat causarum ut omnium constitutor) aut extrinsecus aliquid accessurum his esse, quod eas faceret oblivisci suæ dignitatis & decoris (millies ut ignoscat oraverim) universorum non alius quam ipse est causa: siquidem perpessus est evagandi eas habere jus liberum, quas retenturas non esse integritatis suæ habitum prævidebat. Atque ita perficitur, ut nihil intersit omnino voluntarie venerint, an illius obtemperaverint jussioni: cum non prohibendo quod oportuerat prohiberi, cessatione crimen fecerit proprium, & retentionis dissimulatione permiserit prius. Sed procul hæc abeat sceleratæ opinionis immanitas, ut Deus creditur omnipotens, magnarum, & invisibilium rerum sator, & conditor, procreator, tam mobiles animas genuisse gravitatis ac ponderis constantiæque nullius: in vitia labiles, in peccatorum genera universa declives: cumque eas tales, atque hujusmodi sciret, in corpora ire jussisse, quorum inductæ carceribus sub procellis agerent, tempestatibusque quotidie fortuna, & modo turpia facerent,

„ modo

„ modo paterentur obscœna: naufragiis, ruinis, incen-
„ diorum conflagrationibus ut perirent: pauperies alias;
„ alias ut mendicitas premeret, ut ferarum paterentur aliæ
„ laniatus, musculárum aliæ ut interirent veneno, claudæ
„ ut incederent aliæ, ut aliæ lumen amitterent, ut arti-
„ culis sederent aliæ colligatis, morbis denique objecta-
„ rentur ut cunctis; quos infelix & miseranda mortalitas
„ diversarum sustinet dilaceratione pœnarum: tum dein-
„ de oblitæ unius esse se fontis, unius genitoris, & ca-
„ pitis; germanitatis convellerent atque abrumperent ju-
„ ra: urbes suas everterent, popularentur hostiliter ter-
„ ras; servos de liberis facerent, insultarent virginibus,
„ & matrimoniis alienis, odissent invicem sese, aliorum
„ gaudiis & felicitatibus inviderent; tum deinde se omnes
„ maledicerent, carperent, & sævorum dentium morda-
„ citate laniarent. Sed procul hæc abeat (ut eadem rur-
„ sus, frequentiusque dicamus) tam immanis & scelera-
„ ta persuasio, ut ille salus rerum Deus omnium virtu-
„ tum caput, benignitatis & columen, atque (ut eum
„ laudibus extollamus humanis) sapientissimus, justus,
„ perfecta omnia faciens, & integritatis suæ conservantia
„ mansiones, aut aliquid fecerit claudum, & quod minus
„ esset à recto, aut ulli rei fuerit miseriarum aut dis-
„ criminum causa, aut ipsos actus, quibus vita transigi-
„ tur & celebratur humana, ordinaverit, jusserit, & a
„ sua fluere constitutione præceperit. Minora hæc illo
„ sunt, & magnitudinis ejus destruentia potestatem: tan-
„ tumque est longe, ut istarum auctor rerum esse creda-
„ tur, ut in sacrilegæ crimen impietatis incurrat quisquis
„ ab eo conceperit hominem esse prognatum, rem infeli-
„ cem & miseram, qui esse se doleat: qui conditionem
„ suam detestetur & lugeat: qui nulla alia de causa sese
„ intelligat procreatum, quam ne materiam non haberent
„ per quam diffunderent se mala, & essent miseri semper,
„ quorum cruciatibus pasceretur nescio quæ vis latens &
„ humanitati adversa crudelitas". Et graviter quidem
„ Arnobius platonicam opinionem refellit. Sed noluissem
tot nimis ad vivum resecata; nam nihil vehementius in
rem suam Manichæi dicere potuere. Itaque hic mihi Ma-
nichæum agere videtur. Quocirca inferius in tomo v. quum
de origine malorum dicemus, copiose hæc eadem argu-
menta expediemus; quod hoc in loco monere satis fuit.

Prop.

Prop. XIX. Mens humana neque Deus est, neque Dei pars, aut idea.

D. 1. Mens humana nec una in omnibus hominibus est (prop. 17.), nec æterna (prop. 18.); Deus autem substantia est æterna & unica, quod heic assumo, & ex iis quæ demonstrata sunt in II. parte, & ex eorum maxime consensione, adversus quos præsens theorema positum est; mens ergo humana non est Deus.

2. & 3. Mens humana exsistentiam habet contingentem (prop. 18.); quæ autem sunt talia neque partes esse possunt, neque attributa, neque affectiones substantiæ æternæ (prim. part. prop. 35.); neque pars ergo est, neque idea entis æterni, seu Dei.

Scholion. Inter opiniones olim apud philosophos magna fere omnium consensione vulgatas, hæc haud dubium referenda est, mentem humanam aut Deum esse *per omnem rerum naturam commeantem & intentum, aut Dei partem, aut vim & flatum.* Quod gentilis philosophiæ principiis consentaneum est. Nempe quum nihil apud illos verius putaretur, quam hoc

Ex nihilo nihil, & in nihilum nil posse reverti:

duoque tantum statuerentur æterna, *materia & mens*, corpora omnia non poterant non haberi *modificationes materiæ illius æternæ*, mentes vero *modificationes mentis æternæ in materia*. Itaque quod de Ægyptiis retulit Herodotus (*a*), eos primum animas humanas immortales dixisse, ita interpretantur docti, animas post absolutum per varia corpora circuitum, in *Deum*, seu *animam mundi* reverti. Id quod confirmat disertis verbis Jamblicus (*b*), *a primo*, inquit, *descensu propterea dimisit Deus animas, ut rursus in ipsum revertantur* (εις αυτον επανελθωσιν). Eadem & Chaldæorum doctrina fuit, ut alibi demonstravi (*c*). Hinc invectus *fons* ille *animarum* græcis auctoribus tam sæpe memoratus, & *crater* Platonis, de quo is differit in Timæo (*d*). Aperte idipsum docuit Pythagoras, qui dixit *esse Deum per natu-*

(a) *Lib. 2. cap. 123.*
(b) *Lib. 8. de myster. c. 8.*
(c) *In dissert. de orig. & const. rer. corp.*
(d) *Legatur docta ea super re Thomasii dissertatio addita ejusdem Exercit. de exust. mund. Stoica pag. 249.*

naturam rerum intentum & commeantem, ex quo nostri animi caperentur (*a*). Tribuit idem Platoni Theodoretus (*b*). Diserte Clemens Alexandrinus pronunciat, ex Platonicorum doctrina, *mentem humanam & divinæ sortis esse, & effluxionem seu emanationem naturæ divinæ* (*c*), quamquam ei videtur adversari Plutarchus, qui in 4. de Placitis scribit, Platonis doctrinam esse, *mentem* esse Dei opus; quo maxime loco ab ea opinione eum vindicare studet Buddeus. Omnia quæ ad hanc Platonis doctrinam pertinent conrasit Hanschius in *Diatriba de Enthusiasmo Platonico* edita Lipsiæ an. 1716. Non est cur plura etiam de Stoicis dicamus; constat ipsis animas habitas *partes* Dei, earumque mortem regressum in Dei naturam (*d*), uti passim loquitur Seneca. Placuit jam id Marcionitis & Priscillianistis veteris ecclesiæ hæreticis; placuit Arabibus plurimis in eo impietatis aristotelicæ sectatoribus, qui *intellectum agentem Deum habuere*. Hinc nata apud Muhammedanos plerosque portentosa illa opinio, *omnia esse Deum* (*e*). De Almarico hæc retulit Gerson: *omnia sunt Deus: Deus est omnia. Creator, & creatura idem. Idem creat, & creatur. Deus ideo dicitur finis omnium, quod omnia reversura sunt in ipsum, ut in Deo immutabiliter conquiescant, & unum individuum, atque incommutabile permanebunt* (*f*). Jam Siamenses plurimi, & Sinenses, & Japonenses animas censent tenuem ætherem mundanum, eumdemque & Deum.

Atque hæc idcirco retuli, ut nemo ignoret, quo ex cœno spinozisticum systema manaverit. Hic igitur homo rotunde pronunciat, *mentem humanam partem esse infiniti intellectus Dei*, additque, *ac proinde quum dicimus, mentem humanam hoc vel illud percipere, nihil aliud dicimus, quam quod Deus, non quatenus infinitus est, sed quatenus per naturam humanæ mentis explicatur, sive quatenus humanæ mentis*

(a) *Cic. de natur. deor. lib. 1. Vide citatam nostram dissertat.*
(b) *De curandis Græcorum Affect. serm. 5. tom. 4. oper.*
(c) *Lib. 5. Stromat.*
(d) *Vide Wilelmum Suiterum* in Idea Philosophiæ Stoicæ.
(e) *Pietro della Valle tom. 3. Bespier. sur Ricout.*
(f) *Gerson. tract. de concord. Metaph. cum Logica p. 4. oper.*

essentiam constituit, hanc vel illam habet ideam (*a*). Propositio vero ipsa XI. apertius explicat, quid illam constituat mentem, *primum*, inquit, *quod actuale mentis humanæ esse constituit, nihil aliud est, quam idea rei alicujus actu exsistentis*. Propositione autem XIII. scribit, *objectum ideæ humanam mentem constituentis est corpus, sive certus extensionis modus actu exsistens, & nihil aliud*.

Ea autem errorum monstra ipsis hominis theorematis adversamur, quod paucis demonstrabo. Prima parte Ethicæ prop. XXI. docet. *Omnia, quæ ex absoluta natura alicujus attributi Dei sequuntur, semper & infinita exsistere debuerunt, sive per idem attributum æterna & infinita sunt: essentia autem non mentis tantum, verum totius hominis constituitur a certis Dei attributorum modificationibus* (idem par. 2. coroll. prop. x.): Non ergo tantum mens humana, sed tota essentia cujusque hominis æterna est & infinita: non est autem nec æterna, nec infinita; non ergo, &c. Deinde *Idea Dei ex qua infinita infinitis modis sequuntur unica tantum esse potest* (idem prop. 4. part. 2.); quum autem mens humana sit idea corporis humani in intellectu Dei, ea nequit esse aliud nisi hæc unica idea; quicquid autem in Deo est Deus est; & mens ergo humana Deus est. Jam ea unica idea repræsentat tam Dei essentiam, quam omnia, quæ ex ipsius essentia necessario sequuntur (idem part. 2. prop. 3.); & sequuntur infinita infinitis modis (ibid. prop. 4.), ergo repræsentat infinita infinitis modis: nihil ergo ignorat mens humana, nec ullas confusas, & inadæquatas habet ideas; habet autem inadæquatam cognitionem sui corporis (prop. 24. ibidem) & rerum æternarum (ibidem prop. 25.) & de duratione sui corporis (ibidem prop. 30.) & infinitarum aliarum rerum, ut passim deinde scribit; non igitur *unica illa idea*.

Præterea, si id ita se habet, mens humana non minus late petebit quam Dei; atque ut Deus adæquatam habet sui ideam, omniumque quæ ex ipsius essentia necessario sequuntur (idem 2. part. prop. 3.), ita & illa: quam ille conclusionem tantum abest ut dissimulet, ut potius diserte doceat coneturque demonstrare; *mens*, inquit, *humana adæquatam habet cognitionem æternæ & infinitæ essentiæ*

(*a*) *Part.* 2. *prop.* XI. *coroll.*

sentia Dei (prop. 47. part. 2.): intelligit autem Dei nomine *ens absolute infinitum*, *hoc est substantiam constantem infinitis attributis*, *quorum unumquodque aeternam & infinitam essentiam exprimit* (prima part. def. 6.); mens ergo humana adaequatam habet cognitionem entis absolute infiniti, idest substantiae constantis infinitis attributis, &c. eorumque omnium, quae inde necessario sequuntur: qui autem talem habet cognitionem & nihil ignorat & in nullo labitur erratque: at ignorat mens humana infinita; & in plurimis errat, quod is agnoscit, nec negare, nisi esse velit deridiculus, potest; non ergo est id, quod is esse vult. Quae quum sint, oportuit hunc hominem perpetuo cum ratione sua colluctari, ut ea scriberet. Cui illud ego terentianum ingeram,

Na tu hercle magno conatu magnas nugas dixeris.

Nempe quos semel fanatismus corripuit ad insaniam usque adigit:

Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans fingitque premendo (a).

Sed ecce quum hic, tum sectatores ejus Tolandus, Poiretus, aliique Scripturas quoque divinas in partem suam, quo auctor videlicet erroris honestior sit, trahere adnituntur. Scriptura, inquiunt, animam pro perenni Dei flatu habet. Primum in Genesi vocatur *spiraculum vitae*, quod Deus inspiravit in faciem Adae (b): tum deinde, ut describeret Moses, qua ratione Deus esset homines deleturus de facie terrae, ait, *non permanebit spiritus meus in homine* (c), quod scilicet illum ad se traheret; quod aperte explicat auctor libri Jobi, *si spiritum illius & flatum ad se trahat, deficiet omnis caro simul* (d); eodem stilo loquitur auctor psalmi 113. v. 29. Accedit Salomon, qui in Ecclesiaste eadem phrasi utitur, *redeat spiritus ad Deum qui dedit illum, & corpus in terram unde sumtum est* (e): redit autem corpus in terram velut pars in totum suum; ergo & spiritus in Deum uti in fontem scaturiginis suae. Tandem Paullus, quo loco maxime abutitur Spinoza, *in Deo nos vivere*

 mo-

(a) *Virg. l. 6. Aeneid.* (b) *Gen. 2. v. 7.*
(c) *Ibid. cap. 9.* (d) *Cap. 34. v. 14.*
(e) *Eccl. cap. XII. v. 7.*

moveri & esse pronunciat (*a*). Atqui hæc talia sunt, ut nisi mens læva fuisset, homines stili hebraicæ linguæ non ignaros pudere potuerit in confirmationem erroris sui producere. Stilus enim est perpetuus Scripturarum sanctarum actiones causarum secundarum αμεσως Deo tribuere, quod ille earum causa & primaria est & perpetuo conservatrix (*b*). At inde non magis deducere potes, partes Dei esse quæcumque sunt in natura rerum, quam ex eo quod ventus, tempestas, cedri, montes dicantur Dei, concludere, ea omnia ex Scripturarum doctrina Dei esse membra. Eam autem scribendi rationem Spinoza idem in tractatu theologico-politico diserte adnotaverat, ut non necesse fuerit ex aliis discere. Et vero qui animadvertit, nihil aut clarius, aut sæpius in Scripturis divinis prædicari, quam Deum rerum omnium, quibus universum hoc continetur, creatorem esse, easque non ex æterno, sed nudius tertius creasse, iis imperitare ex libertate, & similia, non potest non inter putida mendacia censere & imperitissima, divinis Scripturæ auctoribus Deum esse *quodcumque vides, quocumque moveris*. Jam in eorum classem, qui mentem humanam emanationem esse seu effluxionem ex Deo, censuerunt, retulit Joannes Franciscus Buddeus (*c*) Petrum Poiretum: is enim ex instituto eam rem egit in primo eorum librorum, quos de œconomia divina inscripsit (*d*). Interim nemo melius, quam hic Poiretus, explicavit, auctores omnes hujus sententiæ ipsosmet ignorare quid dicant, tantum abest, ut ab aliis possint intelligi. Nam quum quæreret, quid tandem esset hæc *emanatio animæ ex Deo*, ingenue ignorantiam suam fatetur. *At si quis*, inquit, *inquirat penitus quæ fuerit hæc emanatio animæ ex Deo suo egredientis & nascentis? id mihi peculiarius intelligere non licet, neque video, an ab ulla creatura in hac certe vita intelligi possit*. Sed bene habet, quod hæc portenta in prima parte pluribus ac sæpe refellimus.

CAP.

(a) *Actor. 17. v. 25.*
(b) *Vide Calmet in Dict. Bibl. art. Ame.*
(c) *Theol. dog. lib. 2. cap. 2. ad §. 16.*
(d) *Cap. x. §. 2. §. 20. §. 24. &c.*

CAP. II.

De unione mentis, & corporis.

Prop. XX. MEns unitur corpori humano quoad homo vivit.

D. Mentem & corpus uniri dicimus, quousque harmonice inter se se utriusque operationes & nascuntur & procedunt, iis quidem legibus, quas superius ex Sylvano Regis recitavimus: at quoad homo vivit mentis & corporis operationes harmonice secundum eas leges & nascuntur & procedunt ita, ut quilibet ejus rei sibi esse possit testis locupletissimus: mens ergo & corpus, quoad homo vivit, uniuntur.

Scholion. Neminem esse qui ei theoremati adversetur non dubito. In eo potius æterna inter philosophos quæstio erit, qua ratione modoque mens unitur corpori. Me id latere, ut pleraque alia, ingenue profitebor. Illud hic in antecessum Augustini lubens memoro: *modus, quo corporibus adhærent spiritus, & animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, & hoc ipse homo est* (*a*). Super ea re hæc sunt excogitata. 1. Peripatetici esse animam putant *formam substantialem corporis*, quæ totum permeet corpus, totam in toto corpore, totam in qualibet corporis parte, principium ut *vitale*, ita *essentiale* corporis, formam *corporeitatis* & *animalitatis* corporis organici: adeoque reciprocum esse inter utriusque substantiæ operationes influxum, transmutarique cogitationes in corpore, motiones in animo (*b*). 2. Plato (*c*) mentem quidem corpori præesse, ut nautam navi, eoque uti velut instrumento, censuit: energiam vero, seu vitam & sensum corporis ab alia esse substantia quadam mediæ naturæ. Cui opinioni & favisse quodammodo videtur Augustinus (*d*): & recente memoria Gassendus, Cudworthus, Clericus patrocinati sunt (*e*). Renatus Cartesius in eo quidem

K 3 Pla-

(a) *S. Aug. de Civ. Dei lib.* XXI. *cap.* X.
(b) *Vide B. Thom. in utraque Summa.*
(c) *Plato in Alcibiade, & Phædone.*
(d) *Aug. de quant. animæ cap.* 31. *&* 32.
(e) *Vide Cleric. Biblioth. Chois* [illegible] *pag.* 21.

Platoni assentitur, non esse mentem formam corporis substantialem, sed soli cerebro praeesse, indeque ope spirituum animalium motus in corpore ciere: at nullum nisi in mentem sensum agnoscit, nullamque idcirco substantiam mediam. 3. At Malebranchius, & Sylvanus Regis longius quoque praetergressi sunt: nam quod non negabat Plato, nec aperte Cartesius inficiatus erat, illi diserte dixerunt, nullo modo mentem in corpus agere, sed ex occasione cogitationum animi Deum agitare corpus, ut ex occasione motionum corporis modificare animum; quo omnino reale commercium inter mentem & corpus ruperunt. 4. Leibnitius, & Wolfius in eo Malebranchianis assentiunt, nullum esse reale inter mentem & corpus commercium, sed tantum apparens; verum ut hoc apparens commercium explicarent, non, ut illi, ad Deum confugerunt, sed ex ipsa animi & corporis natura secundum praestabilitam harmoniam explicare conati sunt. Quarum omnium opinionum quae verior sit Deus sciverit. Sed earum priori abutuntur Pantheistae, & Lockiani; malebranchiana placet enthusiastis: leibnitiana idealistis: platonica generosis philosophis & nobilibus: cartesiana mechanicis. Sed incertae omnes, quod sequentibus theorematis demonstrabimus.

Prop. XXI. Scholasticorum opinio 1. ceteris, quae feruntur, hominis naturae accommodatior esse videtur; 2. nec repugnat phaenomenis; 3. sed nec certa est; 4. & cum natura animi non mihi videtur satis consentire, nisi graeco aristotelico coeno probe purgetur.

D. Prima pars. Mens, quoad homo vivit, unitur corpori (prop. 20.) & quidem reali, non apparente commercio cum illo jungi nobis videtur, nisi si conscientiam prodere velimus: ex reali enim illo commercio naturam exsistere humanam, & inter mentis ac corporis actiones omnes perfecta harmonia persentiscere nobis videmur. At totum hoc falsum est, nisi concipiatur anima velut entelechia prima corporis humani, ex qua hominis manet energia & vita: quum ceteri philosophi & reale illud commercium abrumpant, & negent mentem esse corporis humani entelechiam; eaque doceant, quae naturae humanae & intimae cujusque conscientiae minus videntur consentanea; consentaneae ergo naturae humanae & intimae cujusque conscientiae scholae philosophi ratiocinari videntur. Sed *videntur*, inquam.

Se-

Secunda pars. In homine actiones sunt quæ ad duo summa genera referre possis *motiones*, & *cogitationes*. Tum motiones, quæ in tota sunt corporis machina, item in duas classes partiri possumus; nam quædam *ingenitæ* sunt ac *naturales*, qualis æquabilis illa motio, quæ constat *vita* hominis *plastica* & *sensitiva*, quæ intelligi alio modo non potest, nisi velut continuata & æquabiliter toto corpore fusa energia, qua agitantur harmonice corporis fluida, tum etiam cor, & vasa arteriarum, aliæque partes: quædam vero *superadventitiæ* sunt, velut motiones quæ æquabili illi *energiæ* & *vitæ* accidunt in morbis, in affectionibus, in voluptatibus, & doloribus gestientibus. Præterea ipsæ cogitationes cum commotionibus totius *energiæ* corporeæ plerumque sunt conjunctæ, velut eæ, ex quibus affectus permanant; v. g. ex perceptione objecti pulcri calor amoris, nempe illud

est mollis flamma medullas; &

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Ex perceptione injuriæ repente exsistit ira, quæ non ut amor sensim, sed statim sanguinem rarefacit, atque diffundit, unde *ardere* dicuntur irati. In prospectu periculi *gelidus excurrit per ossa tremor*. Tum livida invidia,

Invidus alterius macrescit rebus opimis.

Accedit quod *cogitatione* ipsa *abstracta*, ut vocant, consumitur quodammodo & paullatim tabescit corpus. Et hæc quidem omnia ita fiunt in corpore, ut nisi a principio quodam activo provenire nequeant. Proveniunt autem non ex principii hujus activi libertate, sed ejus natura necessario. Nec quisquam est, qui non sexcenties expertus sit, omnes has, quas descripsi, seu naturales, seu advenientes motiones mentis imperio & libertati non subjici; aut non nasci eas ex naturæ ipsius humanæ necessitate non sentiat. Nascuntur autem aut a mente, substantia nempe illa incorporea, aut ab alia quavis. Si a mente, id fieri non posse videtur, nisi ejus vis per totum corpus diffundatur, præsensque sit intima iis omnibus partibus, quas agitat. Nam quum actiones, de quibus loquimur, non sint voluntariæ, sed ex necessitate naturæ ipsius principii activi manent, ut superius docuimus; id intelligi nullo alio modo potest, nisi diffusione ejus principii per partes omnes corporis, in quibus *vita* inest & *energia naturalis*. Nam qui aut spirituum animalium ope id fieri

arbitrantur, aut ope nervulorum & fibrillarum, quibus, velut tela contextum est corpus humanum, nec certa proferunt opinionis suæ argumenta; & si attendunt, verbo tantum a Scholasticis differunt, siquidem eos motus immediate a mente repetunt. Enimvero quam parum verisimilis sit hypothesis spirituum animalium eo sensu, quo a Cartesio invecta est, a plurimis est commonstratum: & recentes mechanici suis conjecturis nihil aliud demonstrarunt, nisi ope nervulorum, & fibrillarum communicari motus a cerebro ad extimas corporis partes, aut ab his ad cerebrum: at id nihil prohibet, quominus sit verum, vim vitalem esse toto corpore fusam, atque ab ea actiones humanæ naturæ necessarias esse; quinimo diserte videntur hoc eorum plerique dicere, in primis Boerhaave, quem ego hominem in his rebus impense doctum habeo. Sed quibuscumque tandem mediis vis hæc vitalis per corpus diffundatur, & undecumque diffundi incipiat, seu e cerebro, seu e corde, seu e quocumque alio loco, siquidem ea a mente est immediate, non potest concipi nisi tamquam vis mentis *vitalis* & *essentialis* toto corpore fusa. Quumque mens discerpi in partes & dividi nequeat, erit ea vis mentis immanens; ideoque erit tota mens velut *entelechia prima* intime toti corpori præsens omnibusque partibus tota. Nec reponatur si id sit, oportere etiam mentem diffundi in ea corpora, in quæ motum transfundit. Primo ignoratur qua ratione motus transfundatur (*a*); nec ex re ignota argumentari licet adversus notiorem. Deinde sunt qui putant, vim activam motricem totam permeare materiam mundanam, nec moveri corpora peculiaria virium ex aliis transfusione, sed aliorum resistentia cedente. Quam ego opinionem veram quidem non habeo, sed nec vero manifesto falsam comperio: & in re obscura infinita opinari ut est facile, ita philosophi arbitrio permissum: tantum ne insaniat. Quorum quousque quod sit verum sciatur, nihil decerni affirmate potest. Accedit quod ea vis, quæ ab homine in alia corpora transfunditur, longe sit diversa a vi illa vitali, quæ in toto est corpore.

Tandem hoc systema accommodatum est non iis tantum phænomenis facilius explicandis, quæ *vitam* & *sensum* spe-

(*a*) *Vide Musschembroek. Element. Phys.* §. 111. & 112.

ſpectant, ſed iis maxime, quæ ad voluptatem & dolorem pertinent, quæ præterquam in toto ſentiuntur corpore, intenſionem ſuam habent & remiſſionem in ratione ejus intenſitatis & remiſſionis, quæ eſt in ea motione aut irritabilitate corporis, qua præcipue *vita* & *ſenſus* animalis continetur. Et congeminantur hæc plerumque, ut plures diverſi generis dolores, & voluptas & dolor, iique in diverſis hominis partibus vivide & diſtincte ſentiantur. Quæ quum ſint, qui Scholaſticorum ſyſtema nimis præpropere damnat, ii ſæculo indulgent, non rationi conſulunt. Nec Carteſius, qui adverſus præcipitantiam philoſophandi tam ſæpe invehitur, rem hanc attente ad incudem revocaverat. Qui ſequuti ſunt novitatibus dum toti intendunt ac vetera negligunt, quæ paucis emendare poterant, dixere magis quod concupiverant, quam quod repererant. Nempe vetera faſtidioſum hominis ingenium contemnit,

Tranſvolat in medio poſita, & fugientia captat.

Tertia pars. Quum plures eſſe poſſint phænomeni alicujus cauſæ, & ex earum nulla evidente intuitione, vel demonſtratione pendere id intelligatur; aut nulla perſpicua demonſtratione ceteræ poſſibiles excludantur: qui ex una potius, quam altera pendere illud contendit, incertum pronunciat. Jam unionis mentis & corporis modi eſſe poſſunt plures, non ii tantum quos alii a Peripateticis edidere philoſophi, ſed & qui mentis noſtræ aciem fugiunt: quorum nec ſuum perſpicua demonſtratione comprobarunt Scholaſtici, ſed probabilibus tantum probationibus; nec reliquos evidenter rejecerunt, quemadmodum patet. Incerta ergo eorum eſt doctrina, & non niſi opinatio. Tum quædam ſunt in hac ſcholarum veterum doctrina, quæ nec ipſos intellexiſſe Scholaſticos, ſi ingenui eſſe velint, nepotes concedent; nec philoſophorum recentium ullus: veluti qui transfundi ex corpore in animum quidpiam, & in eo *ſpiritualizari*, qui ex animo in corpus, atque in hoc *corporalizari* queat, quæ recte *vocabula nihili* appellat Wolfius; qui corpus ab incorporea ſubſtantia agitari poſſit: nam reactione id fiat aliqua, an nulla fieri intelligi nequit, quum naturæ corporeæ proprium ſit reagere in agentia & impellentia: reagere vero in animum corpus minus etiam intelligi poteſt. Quod ſi Scholaſtici regerant, eam objectionem ſpectare omnes corporum vires

acti-

activas, ipsum quoque Deum, si ad illum velut omnis motionis fontem confugiatur; de viribus creatis annuemus; sed fatebimur esse ut hæc, ita illud ignotum. Deus vero quum sola voluntate agat omnipotente, quæ animabus creatis convenire nequit, non est huic rei consentaneum exemplum. Non dubito quin (si in re tam obscura minus obscura speciem veri ementiri possit) intelligatur facilius *a vi informante* agitari corpus aliquod, quam *ab assistente*: sed in re etiam minus obscura tantum superest tenebrarum, ut qui id negare velit sit conscientiam dissimulaturus. Itaque non injuria Wolfius inter qualitates occultas eam doctrinam retulit, & quod lepidum est, geometrica demonstratione confirmavit (*a*).

Quarta pars. Mens humana est substantia a corpore distincta & diversa (prop. 12.); ea autem si corpori unitur ita, ut veteres Aristotelæi contendunt, efficiet cum corpore unam eamdemque substantiam, cujus corpus sit materia, mens materiæ energia, & actus, quod illi diserte docent, uti ex adjecto scholio patet (A); quod, nisi Macedonis philosophi plurima dehonestamenta deleantur, nescio utrum sit ei mentis naturæ, quam demonstravimus, satis consentaneum.

Scholion (A). Peripatetici illi majorum gentium (nam posteriores rem penitus non inspexere) dum ea de re nimis ex Aristotelis genio disputant, sit ne anima humana *forma* corporis necne, talia dicunt, iisque formulis utuntur, quæ, nisi stabile illud Dicæarchi mentis & corporis conjugium in unam eamdemque substantiam statuatur, & superiora omnia theoremata evertantur, vix, opinor, intelligi a quoquam possunt. B. Thomas (*b*) incorporalitatis alioquin & immortalitatis animorum acerrimus patronus quum percensuisset veterum philosophorum opiniones super unione mentis & corporis, easque accurate necne rejecisset, iis verbis mentis velut *formæ substantialis*, & corporis velut ejus formæ *materiæ* unionem adstruit (*c*), quæ perspicuum faciunt, quod dico, non semper illos caute peripateticas formulas ita cavisse, ut eos agere oportuit, quos

(a) *In Psychol. Ration, sect. 3. cap. 2.* §. 528.
(b) *Lib. 2. contra Gent.*
(c) *Ibid. cap. 68.*

quos a pravis Graeci philosophi dogmatis longe abesse magnum erat. Scilicet nec probat mentem uniri corpori velut *motorem motæ machinæ*, quod & Plato, & Augustinus censuere: nec ope *phantasmatum*, quæ ex corpore excipit, quod opinabatur Averroës, sed contendit eam esse debere *formam substantialem* corporis. *Ad hoc autem*, pergit ille: *quod aliquid sit forma substantialis alterius, duo requiruntur; quorum unum est ut* FORMA SIT PRINCIPIUM ESSENDI SUBSTANTIALITER *ei cujus est forma: principium autem dico non effectivum, sed formale, quo aliquid est & denominatur ens. Unde sequitur aliud, scilicet quod* FORMA ET MATERIA CONVENIANT IN UNO ESSE .... *&* *hoc* ESSE *est in quo subsistit* SUBSTANTIA COMPOSITA, QUÆ EST UNA SECUNDUM ESSE EX MATERIA ET FORMA CONSTANS. Et ne quid desit, addit paullo post. *Non tamen minus est aliquid unum ex substantia intellectuali & materia corporis, quam ex forma ignis & ejus materia: sed forte* MAGIS; *quia quanto forma magis vincit materiam, tanto ex ea & materia magis efficitur unum*. Hæc iisdem ferme formulis docet Aristoteles in libris de anima, ut superius demonstravimus. Ac sensit vir magnus in quam absurdam partem hæc excipi possent ab iis, qui mentem non substantiam per se constantem, sed corporis vim & energiam esse existimant. Itaque ea emollit paullo inferius, dum negat substantiam intellectivam esse *totaliter materiæ immersam, ut aliæ formæ materiales*, quæ videri possent superioribus contraria iis, qui non advertunt, virum præstantissimum aristotelicam hanc sententiam magis ex scholarum & temporum consuetudine, quam ex animo propugnavisse, quo erat in augustinianam sententiam valde proclivis, ut ego inferius quum de origine idearum dicam, ostendam. Jam objecta diluens addit (*a*) .... *non enim corpus & anima sunt duæ substantiæ actu existentes, sed ex iis duabus fit* UNA SUBSTANTIA *actu existens*, idest unum per se subsistens, compositum licet, quod illi est substantia. Erant qui opponebant, intelligi non posse, si sic se res haberet, mentem rem esse a corpore separatam. Reponit, etsi non per *essentiam*, at per *potentiam* intelligendi, quæ sine corpore fit, id esse verum; quum tamen idem passim scribat *potentiam cujusque rei*

(a) *Ibid. cap. 69. sub initium.*

rei ejus essentia contineri, quod verum ceteri philosophi habuere: quæ vehementius etiam me impellunt, ut credam, scholæ eum obsecundare, non animo. Franciscus Ferrariensis, qui B. Thomæ interpres perhibetur acutissimus, ut clarius etiam doceat, qui ex corpore embryonis, quod etiam ante unionem cum anima substantia est, & ex substantia ipsa intellectiva una fieri possit substantia, quum id ex peripateticæ philosophiæ dogmatis sit αδυνατον addit, *corpus adventu animæ corrumpi secundum substantiam*. Quæ procul dubio miranda est philosophia! Accedit quod *forma* & *materia habent se ut potentia & actus* (a): adeoque quum anima sit forma corporis, est ejus *actus primus potentiæ vitam habens*. Quod si, ut nunc loquuntur philosophi, proferre velis, anima est vis corporis activa toto diffusa corpore, &, ut Dicæarchus dicebat, una corporis temperatio, qua illud vigeat & sentiat: nam hic *actus primus* ipsissima est εντελεχεια πρωτη Aristotelis. Quid quod anima est etiam, si iis credimus, *forma corporeitatis*? Scio non hoc dicere scholæ philosophos voluisse, quod illi aperte oppugnabant; at nemo non videt ea ex iis loquendi formulis, quas illi eo tempore adhibebant, nunc eos deducere, qui animi naturam corpoream efficere amant. Atque hinc intelligitur, gravissimas proferre potuisse recentiores philosophos causas, si id animadvertissent, cur veterem potius platonicam, & augustinianam doctrinam super unione mentis & corporis, quam hanc Aristotelis complexi fuerint. Nempe est hæc quidem philosophia Macedonici metaphysici œconomiæ inserta, qui Deum fecit *animam informantem materiæ*, ut alias observatum est; sensus & phantasiæ phænomenis adulatur ita, ut systemati suo accommodatiorem *sensistæ* & *materialistæ* philosophi reperiant nullam (1): at est interim talis quæ nisi emolliatur atque nobilitetur, rationi adversatur, & quam christiani philosophi, qui tuto docere poterant, quando licet loquerentur cum Aristotele, sententia tamen discrepabant, vix hodie sine nefandis consectariis tueri possint. Hæc observ-

(a) *B. Thom. ibid. cap.* 71. *& passim alibi*.

(1) *Monsieur de la Metrie Abrégé des Systemes* aperte inter Materialistas retulit non veteres modo scholas, sed Patres quoque Viennenses, quod decreverint animum esse formam corporis substantialem, pag. 53. & 54. quia nempe de vocibus sententiam, non de re tulit, quod æquum non est.

servari ab iis velim, qui tanta cum protervitate in recentes philosophos invehuntur, quasi qui mechanica philosophandi ratione substantias incorporeas e dignitate sua deturbarint, quum illi potius sedi & dignitati suæ restituerint. Nam quæso qui dicit mentem humanam esse *vim*, *virtutem*, *actum*, *principium essendi substantiale* corporis, quocum corpus *unum simpliciter unam* SUBSTANTIAM efficiat, formam *corporeitatis corporis*, is ne melius mentis naturæ & dignitati prospicit, an qui præsidere eam corpori, eoque velut instrumento uti, nec ullo modo cum eo misceri pronunciat? Quæ quum observo, miror Hobbesianos, & Lockianos philosophos dum de natura animi loquerentur & quidem tanta cum invidia, ad hos patronos non appellasse: nam ego certe non video, quid intersit inter Aristotelis, ejusque discipuli Dicæarchi, & Lockii de natura animæ sententias: illi enim est *actus corporis*, & *forma substantialis*, energia scilicet entelechia & *usia* corporis: isti corporis totius temperatio: huic tandem vis, qua corpus vivit & cogitat; rogoque viros doctos, ut me ejus discriminis admoneant.

Quid ergo, inquit aliquis, inter Materialistas ablegabimus non modo omnes scholas christianas ab undecimo ad nos sæculo, sed totam quoque Ecclesiam, quæ synodo Viennensi nulla ambage docuit, animas esse humanorum corporum formas substantiales? Nefas, ajo. Sed cui in mentem venire potest, nisi aut stulto, aut omnium rerum imperito, eo tempore hoc in Ecclesia definitum, quum omnes christiani doctores magna consensione continenter docerent & incorporeos esse animos humanos, & immortales? Sunt hæc pugnantia. Itaque illis scholis, illique decreto veritas subesse debet aliqua, quam vocabula e Græcis scholis hausta obscuram efficiunt. Id ut intelligamus locum insignem ex eodem viro divino Thoma Aquinate legamus (*a*). *Spiritus possunt alligari corpori vel per modum formæ, sicut anima corpori humano alligatur* UT DET EI VITAM: *vel etiam absque hoc, quod sit ejus forma, sicut necromantici virtute dæmonum spiritus alligatur imaginibus*. Porro advertamus quo tempore Clemens X. synodum Viennensem coegit, extitisse qui docerent, animas nostras non alia ratione corporibus humanis

(a) IV. *c. Gent. cap.* 90.

manis uti, ac dæmones iis corporibus, quæ obsident (a). Hæc satis docent quid & veteres theologi, & Patres Viennenses sibi voluerint, quum docuere animas esse *formas substantiales*; nempe mentes humanas non *obsidere* humana corpora, velut quandoque dæmones? sed *informare*, idest *vitam eis dare*. Duæ igitur sunt hic secernendæ quæstiones: prima, *informet anima corpus, idest ei vitam det necne*. Hoc dogma esse vult Christianorum synodus Viennensis, idque tota hominis natura docet. Altera, *qua ratione informet ac vivum reddat?* Hoc philosophiæ juris est. Purgetur igitur vetus opinio: animam esse corporis *formam substantialem* dicamus: ab ea scilicet vitam esse & energiam corporis. Illas vero vocabulorum suspiciones *anima est forma corporeitatis: dat esse corpori, unam efficit cum corpore substantiam: ex ea & corpore fit unum magis unum, quam ex forma ignis & igne: enthelechia corporis, seu corporis actus primus*, ac si quæ sunt ejusmodi vitemus hoc ævi. Nam quid attinet aut surdis auribus, aut suspiciosis obtrudere? *Vivamus*, si ita lubet, *antiquorum moribus, loquamur præsentium*.

Prop. XXII. Motiones vitæ vegetativæ, & sensitivæ necessariæ sunt, non liberæ, omnemque usum rationis prævertunt.

D. Primum ex intimo cujusque sensu & conscientia: nam crescere, nutriri, vegetari corpus, tum motus pulmonum, cordis, sanguinis in nobis fiunt velimus, nolimus: manifestissime eas motiones distinguimus a voluntariis gesticulationibus artuum, motu oculorum, linguæ, agitatione totius corporis, translatione de loco in locum, quæ ex consulto fiunt, saltem quum ex ratione & deliberatione sunt, quod est ex libertate fieri (def. 12.). Atque hinc nascuntur hominis temperamenta, ac temperamentorum affectiones & propensiones & ipsæ necessariæ. Inde quoque sensus doloris & voluptatis necessarius, ex iis motionibus paullo vehementioribus, quæ seu ab extrinsecis, seu ab intrinsecis caussis in tela nervosa excitantur. Neque quisquam est adeo aut sibi ignotus, aut impudens, ut hæc omnia ex imperio & libertate nostra proficisci affirmare possit. Nihil enim est quod de natura nostra cla-

(a) *Vide* Abrégé d'histoire Ecclésiastique *editam Parisiis an.* 1751. *ad ann.* 1312.

clarius intelligamus, atque certius pronunciare possimus.

Altera autem pars ex superiori patet. Nam quæ necessario in nobis fiunt, ea profecto usum libertatis antevertunt; adeoque usum consultationis atque deliberationis, idest rationis.

Nec regerant Malebranchiani, positis earum motionum necessariis perceptionibus, a Deo eas produci, neque idcirco omnem rationem antevertere. Nam hos rogo, quum perceptiones sint *causæ occasionales* motionum corporis, nullæque in corpore a Deo excitentur motiones, nisi quæ perceptionibus & voluntatibus mentis respondeant, ut sartæ tectæ leges unionis mentis & corporis serventur; percipit ne mens necne omnes eas motiones, quæ ad conservandam vitam corporis sunt necessariæ? Si non percipit, jam excidunt causa: si percipit, percipiet quoque totam partium omnium corporis compagem & structuram; neque enim alias, quæ motiones vitæ conservandæ inservire possint, intelligere potest. Vix, opinor, eo confidentiæ evadent, ut hæc affirment serio: nam si exercere ingenium, & ludere velint, non ego repugno. Monoeo tamen, quod hæc,

Si quem delectent barbatum, amentia versat.

Prop. XXIII. Si earum actionum & corporis ενεργειας (prop. 22.) mens est immediatum principium, ex provenient in corpore necessaria naturæ mentis in corpus emanatione seu effluxione.

D. Nempe quæ ex re aliqua fluunt non ex libertate, sed necessario emanationes esse debent, seu effluxiones necessariæ naturæ ejus rei: quum autem hujusmodi actiones ενεργειαι & vitæ hominis (prop. 22.) antevertant rationis & libertatis usum (ibidem); nequeunt esse nisi necessariæ mentis effluxiones, siquidem ab illa sunt immediate.

Prop. XXIV. Si mens est immediatum principium energiæ corporis, est *forma* corporis *substantialis*.

D. Si id ita est, energia corporis est necessaria effluxio mentis totum permeans corpus (prop. 23.): effluxiones autem, quæ ex re aliqua necessitate naturæ fluunt, essentiales ei rei sunt; energia illa erit menti essentialis, idest ipsa mens actuosa; ad quæ mens erit energia, actus, & entelechia corporis, idest forma Aristotelis ειωδης *substantialis*.

Coroll. Si Cartesiani, & Platonici ita mentem locant in

in cerebro, ut ea sit principium immediatum totius energiæ corporis, ii negare nequeunt mentem esse *formam corporis substantialem* (ex prop. 25.).

Opponunt, nihil prohibere quo minus mens præsideat quidem in cerebro, ex eoque totam moderetur humanam machinam, nempe ope motus, quin influat physice in corpus. Enimvero seu in corpore ingens *spirituum animalium* copia insit, & ad energiam illam corporis producendam ii apti erunt administri: seu ope nervulorum, eorumque fluidi nervei, & fibrillarum id dicatur fieri, & intellectu facillimum est, quum tota humanæ machinæ tela a cerebro ordiatur, inde etiam exordiri vitam. Sat est igitur moveri a mente glandulam pinealem, aut eam cerebri partem, unde procedunt nervi, ut tota corporis harmonia & vita consistat. Sed Cartesianos rogo voluntate ne mens glandulam pinealem agitat quaquaversum, an ipsa naturæ suæ necessitate? Posterius sine physico influxu fieri nequit: & prius nec intelligitur & adversatur vivido naturæ nostræ sensui. Sed, inquiunt, cur membra paralysi affecta, quæ excipiendo a cerebro motui apta non sint, sensu & vita destituuntur? Quia nempe ne cannæ quidem musicæ si orificia unde perfluit flatus clausa sint, sonum reddunt. Nec interim, quum sonant, inflari spiritu minus verum est. Ne plantæ quidem rami virescunt, si vasa, quæ succum deferunt, obstruantur. Sed an idcirco quum virent non eos permeat succus? Nempe vis illa sensifera & vegetatrix quæcumque ea sit, quæ ex animo in corpus perfluit, (ejus scilicet opinionis auctorum heic personam gero) meatus, vasa, organa energiæ illi apta habeat oportet, ut & transeat & agat. Pergunt: quum ex capite tota vitæ humanæ structura ordiatur, non sine ratione id factum sit oportet; nec esse alia ea ratio potest, nisi ut ibi præsidens anima movendo & regendo corpori sit expeditior. Quæ si ratio quidquam valet, probabit etiam brutorum totam animam in cerebro residere, quorum similis est machinæ structura: tum plantarum vim vegetatricem & plasticam in uno semine, aut solis radicibus contineri, nec ullo modo corpus plantæ pervadere, nisi sola fibrillarum oscillatione. Addunt porro ita fieri, ut in toto corpore, atque in singulis ejus partibus insint cogitationes, si quidem mens in tota sit humana machina: quod

quum

quum non sit, in cerebro mens præsidere potest, quin per totum corpus diffundatur. Cui argumento reponunt Scholastici, mentem ita corporis partibus esse aptatam, ut eas exserat in quaque actiones, quæ sint cuilibet accommodatæ. Atque ita videt quidem in oculo, non in aure; nec aure, sed naribus odoratur: nervis sentit: cerebro reminiscitur: diaphragmate ridet, aut plorat. Non alia ratione ac idem plantarum succus candere potest in flore, virescere in fronde, flavescere in pomo: idem in cannis musicis flatus altius, gravius sonare: idem calor liquefacere, aut indurare: pro diversitate nimirum hic materiæ, illic instrumenti. Quod, inquiunt, intellectu facilius est, quam inextensam substantiam & ab omni corporis commercio abstractam eodem tempore odorem, sonum, saporem, colorem, calorem, frigus, dolorem, & voluptatem, quod evenit plerumque, uno in puncto glandulæ pinealis sentire. Ut ecce Palæmon *cui renes morbo tentantur acuto*, per amœnum collem spatiatur,

quum omnis ager, omnis parturit arbor:

pastores

formosam resonare docent Amaryllida sylvas.

Is virentia late prata prospectat, *niveasque bidentes*: legit *humi nascentia fraga* ac gustat; matutino gelu rigent artus, dum, admoto lateri fomento, uritur. Hæc ne tu simul in uno conario compones? Aut in uno geometrico puncto?

Coroll. 2. Si mens non est forma corporis substantialis; ea nullo modo immediate influit in corpus.

Scholion. Id intellexere Malebranchius & Leibnitius; qui idcirco [illegible] omne commercium inter mentem & corporis [illegible], ille systemate *causarum occasionalium*; hic *harmoniæ præstabilitæ*. Scilicet qui cum una parte commercium illud *immediati & physici influxus* ponit, is intelligit non repugnare, mentem totum corpus permeare & agitare posse, nec idcirco est cur reprehendat Scholasticos. Quod si de maxima corporis parte negat, is etiam negat de omnibus. Nihil hic medii est, aut totum concedendum, aut nihil.

Prop. XXV. Si mens ita præsidet in cerebro, ut non sit etiam *forma substantialis* humani corporis, ponenda est [illegible] substantia, quæ sit anima hominis [illegible], seu principium vitalium [illegible]

actionum, ejusque energiæ, quæ in corpore inest necessaria.

D. Nam si ita præsidet, ea non influet in corpus (prop. 25. coroll. 2.) adeoque eæ actiones *vegetativæ* & *sensitivæ* vitæ quæ sunt in toto corpore, &, ut patet, necessariæ (prop. 23.) a mente provenire nequeunt; ergo alterius activi principii erunt (prop. 174. p. part.) quod appellabitur *anima media*, seu *vegetativa* & *sensitiva*.

Scholion. 1. Sit ne in homine reapse *anima* hæc *media* magna contentione inter philosophos disputatur. Nam (1) & veteres philosophi *subtilissimo fluido*, quæ sit *anima media*, mentes circumvestiri crediderunt, & in eamdem sententiam magna pars antiquorum christianorum theologorum ivit, & recentes plurimi, ut superius adnotatum est, suum calculum addidere. Nec Scholasticorum plerisque ea displicuit, inprimis Zabarellæ (*a*), & Henrico Gandavensi (*b*), qui tres animas velut tres substantias re distinctas, *vegetativam*, quæ sit materies *sensitivæ*; *sensitivam*, quæ sit materies *intellectivæ*; & *intellectivam*, quæ *actus* sit, in homine posuerunt. Accessere chemici quidam, Theophrastus Paracelsus (*c*), Joannes Baptista Helmontius (*d*), & Joan-

(a) *In libro de facultatibus animæ cap.* 8.
(b) *In* VII. *physicorum quæst.* 8.
(c) *De creat. hominis pag.* 757.
(d) *De Sede Animæ num.* 17.

(1) Exstat apud Homerum in Odissea Δ locus omnino aureus, ex quo apparet perspicue, veteres mentem ab anima distinxisse, atque animæ tantum velut mediæ cuidam substantiæ effigiem, aliasque qualitates corporeas tribuisse. Narrat eo in loco Ulysses inter veteres apud inferos heroas & Herculem vidisse, diuque cum eo colloquutum, sed agnoscit fuisse id Ειδωλον Herculis; Hercules enim ipse apud deos immortales convivabatur, qui Homero aliud esse non potuit, nisi Herculis mens, *ut mens cujusque id sit quisque*, quod ait Cicero. Sed ponam Homeri locum v. 600.

Τον δε μετ' εισενοησα βιην
Η'ρακληειην,
Ειδωλον αυτος δε μετ' αθανατοισι θεοισι
Τερπεται έν θαλιης . . .
Post hæc vidi vim vitalem, animam *Herculis*,
Formam, animam effigiatam: *nam ipse apud immortales deos*
Oblectatur in conviviis . . . .

Sed & erat hic Hercules ερεμνη νυκτι εοικως obscuræ noctis similis. *Quin omnes hujusmodi manes apud Homerum, Tragicosque veteres somno volucri similes dicuntur, obscuro scilicet minimeque comprehensibili*.

Joannes Comenius (*a*), qui mosaicam esse & cabbalisticam doctrinam contendit. Hic post Cabbalistas quosdam *vur mentem* a Deo esse, animam mediam ex præexsistente spiritu mundi, quod & Fluddus opinatus est (*b*), & Campanella (*c*): & Henricus Morus, etsi doceat animam vegetativam & sensitivam esse ipsam mentis vim toto corpore fusam, ab eo non admodum abhorret, & spiritum mundi archeon plurimum in vitam humanam influere (*d*). Referemus in pauca quæ in eam rem excogitata sunt. Nec nunc moror Comenii argumenta e Scriptura sacra deprompta, ne contortis interpretationibus hominum fanaticorum quid concedere videar.

2. Vitam sensitivam, qua voluptatem & dolorem sentiamus, qua externarum rerum impressiones, & imagines excipiamus, toto corpore esse fusam, pluribus demonstravit Morus (*e*). 1. Nulla est corporis pars, in qua voluptas aliqua aut dolor non sentiatur, & quidem vivide & distincte. Dicere id fieri ope motionum ad sedem usque animi communicatarum, adeoque ad ipsam animam, est, inquit, sine consilio rationis loqui. Nam si id fit, nihil erit in extremo pedis digito, dum uritur, aut scinditur, nisi motus, sensus vero nullus: est enim sensus in sola mente. Cur ergo dolor persentitur in digito? inde scilicet oritur doloris causa. Sed quoniam is motus perpetuatur ad cerebrum usque; eoque totus nervus, quo is communicatur, concutitur; si causa physica ejus doloris sit is motus quatenus ad partem concussam refertur a mente, oportet in toto nervo, quo defertur motus ille, dolorem persentiri, quum in toto nervo sit eadem causa doloris physica: quod si non in toto, ne in extremitate quidem, ex qua exorditur motio.

3. Præterea aperte distinguimus dolores qui ex sola perceptione nascuntur, ab iis qui nascuntur ex violenta corporis contusione aut scissione, ut sit inter eos id discriminis, quod est inter dolorem, quem nauta sentit ex fractura navis; & quem percipit ex cruris aut brachii fractura.

 Id

(a) *In physica cap.* XI. *pag.* 194.
(b) *Apud Gassendum Exercit. in Fludd. philosoph. c.* 19.
(c) *De sensu rerum.* (d) *De immortalit. animæ.*
(e) *De immortalit. animæ lib.* 2. *cap.* 2.

Id autem discrimen esset nullum, si eodem modo ex perceptione mali, quod contingit rei, quam curam habemus, & corporis contusione afficeretur mens.

4. Tum qui dolores animi dicuntur intensi magis aut minus sunt in ratione intensitatis irritationis corporeæ, quæ irritatio necessario perceptionem mali sequitur. Ex. gr. ex acerba amici morte perstringitur spiritus, & cor, atque in ratione hujus excitatæ in corpore perturbationis consequitur dolor. Quod argumento est dolorem esse in anima per corpus diffusa.

5. Quod pertinet ad sensationes id potissimum argumentum ex Moro adornant. Nisi animæ aut *sensitivæ*, aut *rationalis* essentia a communi sensorio ad oculos pertingat, difficillimum erit intellectu, qui distincta repræsentatio fieret objecti cujusvis visibilis. Nam qui non confunduntur colores, præcipue quum colores qui in ipsis sunt radiis luminis, non possunt eo pertingere distincti, quo radii ipsi non pertingunt, idest ad remotiorem cerebri partem? Qui porro imago objecti non disperditur per confragosas ad cerebrum usque nervorum contexturas? Cur saltem non miris modis confrangitur? Nam experimenta catoptrica aperte docent, dissipatis radiis ob inæqualem in speculis inæqualium angulorum reflexionem, aut contortas & monstruosas imagines rerum objectarum apparere, aut etiam concisas in partes.

6. Est ergo anima in toto corpore, nec tamen *intellectiva*; nam quod proprium intellectivæ est percipere, judicare, ratiocinari, id in solo cerebro persentiscimus distincte, ut argumentum sit in eo mentem præsidere, seu in conario Cartesii, seu in aliquo cerebri ventriculo, quod probabilius putarunt alii, seu in toto cerebro (quod parum refert); cerebrumque esse rationis instrumentum. Præterea quæ est in corpore anima vegetatrix & sentiens, nec imperio mentis paret, & a pluribus externis caussis pendet, & veluti nutritur; in primis aere, igne, & spiritu mundano plastico (1). Id etiam ostendit hanc animam esse

(1) Hinc fortassis est ut & Homerus in loco superius laudato nutriri ειδωλα hæc sua scribit, & αἷμα κελαινεφές, nigrum sanguinem bibere. Quin Aristoteles animas animantium humido nutriri docet. *Inde* vetus gentium opinio, dæmones, deosque sanguine sacrificiorum alimentari: suffitis aut evocari, aut expelli. Sed & hodieque barbaræ gentes alimenta sepulcris adponunt, in eoque omnium mortalium superstitiosissimi sunt Japonenses.

esse a mente distinctam. Tum contrahitur hæc, & dilatatur pro ratione corporis, quod *intellectivæ* esse nequit. Tandem dolor & voluptas & sunt animæ, nec esse possunt solius intellectus. Nam & sunt mutationes quædam substantiæ, quæ dolore aut voluptate afficitur; & gradus intensitatis dolorum & voluptatum, qui intendantur & remittantur sine intensione & remissione subjecti, quod dolet aut lætatur, intelligi nequeunt: anima autem intellectiva, cujus simplex est substantia & immortalis nec internæ huic partium mutationi obnoxia est, nec ullo modo intendi & remitti potest. Atque hæc sunt argumenta eorum qui animam sensitivam a mente distinguunt, non ea sane perspicua, nec certa, sed probabilia tamen, quæ juvenem olim Gassendum in partem pertraxere, ut ipse adversus Fluddum fatetur, quæque plerumque veri specie mihi adblandiuntur. Sed nolo opinari.

SYSTEMA MALEBRANCHIANUM,

Seu causarum occasionalium.

PErgamus nunc ad systema Malebranchianum. In hoc systemate commercium inter mentem & corpus explicatur ope modificationum harmonicarum mentis & corporis, quæ immediate a Deo producuntur ex sua generali voluntate, & secundum æternas & immutabiles leges: Scilicet Deus corporis gratia perceptiones quasdam & voluntates in mente producit, quæ impressionibus in corpore factis, corporisque modificationibus respondeant; & in gratiam animæ quosdam motus in corpore excitat, quia anima hos, & non alios vult. Quamobrem nec anima influit ullo modo in corpus, nec corpus in animam: nullum reale sed apparens tantum inter duas hasce substantias intercedit commercium. Tantum cogitationes & voluntates animæ *causæ sunt occasionales* motionum corporis: ut motiones corporis *causæ occasionales* cogitationum & voluntatum animi. Præterea nulla est in corpore anima aut *sensitiva*, aut *vegetativa*; ejus omnia phænomena aut motus sunt, aut corpori non recte tribuuntur.

Prop. XXVI. Systema *causarum occasionalium* 1. incertum est: 2. intimæ conscientiæ repugnat: 3. gravissimis argumentis oppugnatur: 4. & cum theologia non satis consentit.

D. Prima pars. Quum plures esse possunt dati alicujus phænomeni causæ, earum nulla pro certa habenda est, nisi quum omnes aliæ aut falsæ demonstratæ sint, aut impossibiles: jam nec certi sumus nullas superesse alias vias explicandæ unionis mentis & corporis, quam quæ hucusque sunt a philosophis traditæ: nec, quæ suo tempore ferebantur, demonstratæ sunt a Malebranchio falsæ, vel impossibiles; & postquam is occidit propagata est etiam *harmonia præstabilita;* incerta est ergo hypothesis illa *causarum occasionalium*.

At enim, nulla res creata potest sibi quidquam *realitatis* dare, quum *ex nihilo nihil esse possit*, & *nulla res dare sibi aut alteri possit, quod non habet*. Quum autem cogitationes novæ sint realitates mentis, & novæ sint realitates novæ corporis motiones; nec corpus sibi novos motus, nec mens novas cogitationes creare potest, Utrumque ergo efficit Deus (1).

Ego unum rogaverim qui sciunt id Deum posse? Quia, inquiunt, & omniscius est, & omnipotens. Sed iterum rogaverim qui omniscius est & omnipotens potest ne tales naturas creare, quæ & cogitent ipsæ suapte vi, & se moveant? præsertim cum & homines, qui nec omniscii sunt, nec omnipotentes, tales machinas fabricari didicerunt, quæ sua partium temperatione moveantur. Quod si Deus potest (nec enim adeo vesania agitari putaverim, ut negent), unde sciunt non id effecisse? Incertum ergo quodcumque pronunciant. Sed illa sola via (inquit Malebranchius) & facilior est & brevior, & breviori semper & faciliori via operatur Deus. Næ ego stultus, qui puto, & omnes agendi vias esse Deo æque faciles atque breves; & eam dicere nos debere faciliorem, brevioremque, qua ille operatur, non eam quæ homuncionibus placeat! Nunc disco, philosophos alioquin doctissimos virgiliano Tityro esse persimiles.

Urbem quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego huic nostræ similem.....
Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos
Noram, sic parvis componere magna solebam.

Igno-

---

(1) Ita ferme rationes suas subducit auctor operis *Actions de Dieu sur les creatures*.

Ignoſco: natura eſt enim ita comparatum, ut rebus ignotis, quas maxime celebrare volumus, vim atque affectiones noſtras tribuamus, *microcoſmi macrocoſmo*, ut ait Baco. Hinc illud Ciceronis adverſus poetas, *humana transtulerunt ad deos: divina mallem ad homines*. Sed ego terentianum illud philoſophos interdum meminiſſe velim,

Non licet hominem eſſe ſæpe ita, ut vult, ſi res non ſinit.

Secunda pars. Clara omnium hominum conſcientia docet, corpus hoc noſtrum ab anima agitari, animari, vivum atque vegetum fieri: eſſe inter animam & corpus commercium reale. At hæc omnia abrumpit ſyſtemate ſuo Malebranchius; clare igitur cujuſque conſcientiæ & ſenſui, nec plebejorum modo, ſed ipſorum philoſophorum, Malebranchii, opinor, ipſius, hæc doctrina repugnat. Neque vero argumenta ex claro hominum ſenſu atque conſcientia deſumta nihili eſſe debent apud homines; ſaltem in dubium vocari nequeunt, niſi ex perſpicuis demonſtrationibus, non ex meris hypotheſibus. Ex. gr. quum optici a communi ſenſu diſcedunt docentque viſionem non fieri per *extramiſſionem*, ſed per *intromiſſionem*, pronunciati ſui claras demonſtrationes præſeferunt. Aſtronomi dum motum telluri contra communem ſenſum perſuadere ſtudent: phyſici dum negant qualitates ſenſiferas eſſe in rebus ipſis corporeis, ratione id conantur efficere. Nunc quum nullas perſpicuas ſyſtematis ſui demonſtrationes Malebranchius protulerit, non video cur a ſenſu omnium communi & claro ſit diſcedendum. Nam argumenta auctoris libri *Actionum Dei in creaturis* fanatiſmo ſunt omnia involuta, & ſi quid probant, probant etiam, Deum eſſe ſolum mundi *entelechiam*, *actum*, *animam*, *naturam*, quod eſt Spinoziſtis aſſidere. Adeo ſæpe illud verum eſt, quod ait apud Terentium in Heautont. Soſtrata, *ut ſtultæ & miſeræ omnes ſumus religioſæ!*

Quamquam illud ſcire velim cur ne Malebranchius quidem ipſe poſt diuturnas meditationes intelligere potuit, unde naſcatur ſenſus hic vividus & clarus, animam immediate corpus movere, quum, ſi illi fides habeatur, id ſit falſum? Nempe quum anima ſit conſcia operationum ſuarum, nihil illi debet eſſe facilius, quam internoſcere inter eas actiones, quas ipſa natura ſua exſerit, & eas, quarum non phyſica, ſed moralis tantum cauſa eſt. Nemo eſt quantumvis

ſtultus, qui non advertat, quid interſit inter movere baculum propria manu, & edicere alteri, aut eum orare, ut moveat. Joſue ex. gr. intelligebat aperte quantum eſſet diſcrimen inter ceſſare ſolem a motu ad ſuum nutum, dehinc iterum ad nutum ſuum moveri: atque ad nutum brachium movere, aut cohibere. At nunc fit ut ne perſpicaciſſimus ipſe Malebranchius longa attentione diſtinguere potuit inter eas actiones quæ ſunt animæ propriæ, & eas cujus eſt occaſio. Quod ſi nullas animæ actiones tribuere vult, contenditque eſſe omnes *paſſiones*, negare quoque debet ulla activa vi eſſe animam præditam, ac conſequenter eſſe in nobis ullam animam. Mihi enim tantumdem eſt, nullas eſſe in mundo animas præter Deum, & eſſe, ſed magis etiam inertes, quam corpora. Quæ quum ſint, non intelligo qui philoſophandi hic furor ſit, nota & clara hominibus e manibus auferre, obſcura & ignota ſubſtituere. Non tu, Malebranchi,

. . . . *floribus auſtrum*
Perditus, & liquidis immittis fontibus apros?

Tertia pars. 1. Non intelligo cui uſui ſit mens humana in corporibus, atque adverſus Malebranchium argumenta omnia flecto, quæ adverſus Platonem Arnobius (*a*). 2. Nec quæ eſſe poſſit libertas in corporis actiones, ſi nullum in corpus habeat mens imperium: ſed ne in mente ipſa quidem eſſe ulla voluntatum libertas poteſt, ſi ex occaſione tantum motionum corporis omnes in illa cogitationes & voluntates producat Deus. 3. Cur non ſit Deus anima mundana: nec enim aliud animæ nomine intelligimus, niſi principium activum vitæ, ſenſus, cogitationum: at ex Malebranchianis omnium harum rerum immediatum activum principium eſt Deus. Quam item Anonymus ſuperius citatus videtur diſerte dicere. Ei enim anima cujuſque omnis eſt cogitatio; & omnis cogitatio perpetuo creatur a Deo immediate: quod ſi recte accipio, eſt idem atque dicere, Deum perpetuo & perenniter in mundanis machinis cogitare. 4. Lex eſt mechanica corpus motum nec ceſſare a motu, nec a priori directione, niſi incurſu alterius: quæ falſa eſt in corporibus hominum & brutorum. Dicere vero in hominibus & brutis eſſe legis exceptionem, eſt *ludere par impar*: oportuit enim id accurata demonſtratione oſtendi. Mitto alia, quæ protulit Wol-

(a) *Vide ſuperius pag.* 138.

Wolfius (*a*). Hæc talia sunt, ut Malebranchium imprudentem coegerint esse in ea sententia minus constantem, ut scilicet philosopharetur ex systemate & paucis; loqueretur & pluribus, ex communi sensu, ac vulgo, ut ille dicere solet.

Quarta pars. Nemini peccato imputari possunt actiones adversus Dei legem. Nam 1. scelera a corpore patrata menti imputari non possunt, quippe est illa causa moralis (nisi instrumentum dicere mavis), Deus tantum physica & sola. Quis autem non intelligat actiones physicæ magis causæ ac soli imputari, quam morali? 2. ne peccata quidem cordis imputari menti possunt, quum producantur in illa necessario ex occasione motionum corporearum. Quæ si sunt vera, *ecce qui tollit peccata mundi*: nisi aliud magis quoque stultum & nefandum dicere quis velit, Deo esse hominum peccata tribuenda: quod & hominum communem rationem & Dei naturam evertit funditus. *Certus sum*, inquit Augustinus (*b*) *animam nulla Dei culpa, nulla Dei necessitate, aut sua, sed propria voluntate in peccatum esse collapsam*. Qui hæc componet cum suo systemate Malebranchius? Ait libertate animum esse præditum, qua suas voluntates moderetur. Quæro hoc *voluntates moderari* est actio aliqua necne? Si est, a Deo est: si non, libertas non est. Præclare igitur non agimus philosophi, qui dum vulgus docere sapientiam aggredimur, illud prius omnem humanam naturam non dediscere modo, sed exuere cogimus. 2. Inutiles sunt leges morales. Nam cui tu usui dices legem *non occides*, si ut occidam corpus moveri debet a solo Deo, animus nihil potest, nisi obtemperare necessario ex occasione motionum corporis? Nempe leges morales tum regulæ sunt rationis & voluntatis, siquidem mens & ipsa suapte natura cogitat, & libertate ulla utitur. Tu quum utrumque deneges animo, inanes efficis, & leges, & exhortationes omnes, & consilia. Vide igitur ne intestabilis, & sacer sis. 3. Doctrina peccati originalis hoc systemate est omnino inintelligibilis, nisi statuatur etiam animorum præexsistentia. Enimvero, sublato omni cum corpore mentis commercio, quo ex surculo conrives labem illam adamiticam? Scio non deesse Malebranchianis ad hæc quæ regerant: sed scio etiam *nullam esse*

(a) *In Psychol. Rationali sect.* 3.
(b) *De origine animæ ep.* 166. *olim* 28.

esse falsitatem sine patrono. Augustinus, quo nemo penitius in hæc christiana mysteria perquisivit, in laudata superius epistola sese afflictim torquet, quo eorum sententiam, qui animas in singulis corporibus recenter creari arbitrantur, cum hoc dogmate in concordiam adducat, atque a Hieronymo petit: *doce ergo quod doceam*. Quid is cum novellis metaphysicis egisset? Nam hi non solum de cælo recenter advenire animas docent, quod nihil impedit quominus jungantur corporibus: sed ita præterea advenire, ut eæ non magis cum corporibus copulentur, quam quæ in saturni essent orbe. Quid igitur nos hujus ætatis metaphysici, ac homine, si diis placet, majores, iis reponamus, qui occentent,

Quid cum illis ages, qui neque jus, neque bonum, neque æquum sciunt,
Melius, pejus, prosit, obsit; nihil vident, nisi quod lubet.

SYSTEMATIS LEIBNITIANI.

Enarratio.

GOtofredus Guilielmus Leibnitius sub exitum elapsi sæculi, ut veterem, quemadmodum scribit, & veram philosophiam restitueret, omnium primum in genuinam substantiæ notionem, quam ille in recentiorum philosophorum scholis depravatam esse censuit, inquisivit: Ejus rei specimen exhibuit in commentatione *de prima philosophia emendatione, & de notione substantiæ* (*a*). Ejus ea de re doctrina huc redit: omni substantiæ tam corporeæ, quam incorporeæ inesse vim quamdam activam, atque ex ea perenniter actionem sui generis emanare (*b*), qua super re acerrima illi cum Ruardo Andala fuit concertatio. Ea Leibnitii sententia viam fecit novo dogmati *harmoniæ præstabilitatæ*. Nam harmoniam actionum duarum substantiarum triplici tantum via & ratione expediri posse vidit. Nempe aut altera in alteram influit, altera alteri est causa determinans, atque id est systema *influxus physici*: aut ab eadem causa extrinseca utraque agitur atque determinatur, *repetita & immediata semper actione*, idque Malebranchianum est systema; aut a causa quidem extrinseca,

(a) *Exstat in Act. Erudit. Lipsf. an.* 1694. *mense Martio pag.* 110. (b) *Vide quæ dicta sunt pr. part.*

ea, sed mediantibus viribus utrique substantiæ insitis, & *harmonia est præstabilita* (a). *Fac*, inquit Bilfingerus *duo esse horologia, quæ consonent; obtineri id potest triplici modo. Uno per* influxum, *si feceris ut alterum agat in alterum, idque vel mutuo, vel ex alterutro tantum latere. Hanc* viam influxus *vocabimus. Secundus est si opificem operi comitem feceris, qui dissonantia ceteroquin vel cessatura horologia singulis momentis sibi mutuo accomodet, alterum dirigens ex altero: hanc* viam *vocabimus* adsistentiæ. *Tertius est, si satis accuratas feceris eas machinas, ut singula suas leges exacte sequantur, easdemque ab initio sibi respondere curaveris: ita enim quum utraque easdem vel similes exsequatur leges, semel harmonica numquam dissilient; quam viam præstabiliti consensus vel harmoniæ dicimus* (1). Quum autem influxus substantiæ corporeæ & incorporeæ videretur sine ulla *ratione sufficiente* positus, quod neque in corpore esse ulla possit radio sufficiens actionum animæ, nec in anima motionum corporis, everteretque quantitatem virium perennium, quam statam & immutabilem is habebat: systema vero Malebranchianum vires substantiarum essentiales funditus evelleret: una ei harmonia præstabilita superfuit, qua mentis & corporis unionem explicaret.

Christianus Wolfius hujus systematis præcipuus patronus pluribus additamentis illud exornavit (b). *Anima*, inquit, *ita est a Deo creata, ut vi sua sine ope externæ cujusvis causæ omnes suas perceptiones & appetitiones continuata serie sibi producat ita, ut semper posterioris perceptionis aut appetitionis ratio sufficiens contineatur in antecedente perceptione vel appetitione: & corpus ita compactum ac constitutum est, ut per se solum ex legibus motus sine ulla animæ ope sibi producat omnes suas motiones, itidem continuata serie, ut semper posterioris mutationis ratio sufficiens sit in præcedente. Quocirca etiamsi nullum esset corpus, anima eadem continuata serie omnes eas perceptiones & appetitiones, quas nunc habet, producere sibi posset; & sublata omni anima, corpus eadem continuata serie omnes motus suos sibi crearet*. Sed qui harmonice alteri altera consociatur? Nempe ea vis

(a) *Bilfingerus in* Harmonia præstabilita §. 15. 17. & 18

(b) *Vide Psychol. Rat. sect.* 3.

(1) Est Leibnitii comparatio Journal des sçavans 19. Novemb. 1696. edit. Batav. pag. 708., & 709.

vis animæ matrix & primigenia est, vis *sibi repræsentandi universum convenienter ad motus in organis nostris sensoriis productos, ita scilicet ut ea universi idea easdem mutationes subeat, quas mundus spectabilis per relationem ad sensus nostros*. Ita utriusque actiones harmonice procedunt. Quasi diceres, quum oculis suspicio lunam, tum illa *universi idea* ex lunæ adspectu repræsentatur menti: si libuerit statim a luna in subjectum mare oculos dejicere, ecce vertigine quadam idea illa exhibet mare: & si attentius contueor oculis innatantes pisciculos, tum ipsa etiam mentis acies acuitur introspicitque in immensa universi idea pisciculorum fluctuantes imagines. Tum repente si per vastissima aeris spatia in minutissimas stellas oculos intendo, & circumgyro velocitate incredibili circum singulas, atque pro variis distantiis in partes varias differo, & nunc defigo, nunc proveho, nunc expando, idea illa rotatur, dilatatur, modo se explicans in vasta intervalla, modo se in punctis coarctans. Quod si celeritate magna & continuata successione percurro oculis innumerabilia diversi generis individua herbas, lapides, animantia, picturas, numeros, vestes, literas hebraicas, arabicas, sinenses, græcas, latinas, quæ omnia nullam habent inter se necessariam connexionem, repente idea illa sine ullo cum oculis commercio hæc omnia offert. Sed & colores, & sonos, & sapores, & odores, & figurarum infinitas myriades uno quasi momento exhibere potest. Oh!

Quo teneas vultus mutantem Protea nodo?

Quin si oculos telescopio armo, tum se præsto mihi sunt saturni, ac jovis lunæ; quæ se perpetuo mihi occuluissent nisi Galilæus iis instrumentis fabricandis ingenium intendisset. Scin quid dicere volo? *plus spei video*, *quam volo*.

Mirum non est si magna animorum contentione super ea re disputatum sit. Ex una parte Leibnitio, Wolfio, Bilfingero, eorumque cohortibus; ex altera Bælio, Andala, Lamio, Turneminio, aliisque decertantibus. Nam nihil minus involutum excogitari posse putarunt Leibnitiani; nihil magis paradoxum adversarii. Et hi quidem adjutore populo utebantur: nihil enim populus magis esse perspicuum censet, quam reale intercedere inter mentem & corpus commercium. At illi, qui limphati vulgo audiunt, nihil multitudinem verebantur: *est enim philosophia paucis contenta judicibus, multitudinem ipsa consulto fugiens*

eique

eique ipsi & suspecta & invisa, ut vel si quis universam velit vituperare, secundo id populo facere possit, vel si in eam, quam ipsi maxime sequuntur, conetur invadere; magna habere possit auxilia ex vulgariorum philosophorum disciplinis (a).

Prop. XXVII. Systema harmoniæ præstabilitæ & incertum est, & gravissimis oppugnatur argumentis.

D. Prima pars. Principio Wolffius, quo nemo accuratius in ejus systematis penetralia inquisivit, non habet nisi loco *hypothesis* (b); & *hypotheticam* commentationem suam inscripsit Bilfingerus, & incertitudinis conscius monet in præfatione lectorem plautinum illud, *optio hæc tua est; utram harum vis conditionem, accipe*. Neque putandum est alio loco a Leibnitio ipso habitum, qui ut erat acerrimi ingenii, ignorare non potuit, quinam sint certitudinis characteres. Auctoribus igitur ipsis harmonia præstabilita hypotesis est, non aut perceptum, aut demonstratum theorema. Nam quæ ejusmodi sunt, characteres alios evidentiæ & certitudinis præseferunt, quibus, literata omni rep. judice, leibnitianum systema destituitur.

Deinde, quum communis omnium hominum sensus sit, animam imperium in corpus habere, in id influere, vi & voluntate moderari, qui ab ea sententia velit desciscere, perspicue debet demonstrare, esse eam aut impossibilem, aut falsam: alioquin ineptus sit oportet, qui a tam vivida & clara conscientia dissentiat: at id non effecere novi systematis conditores: nam Wolfius *qualitatem tantum occultam* habet; Bilfingerus *incertam*; probabilibus argumentis eam oppugnant: possibiles proferunt causas, unde conscientia illa *influxus* in omnibus hominibus, etiam perspicacibus & attentis provenire possit. Quæ omnia incertam efficere sententiam illam possunt, quod in reliquis naturæ rebus præstare quam facillimum est: impossibilem & falsam nondum faciunt. Ex. gr. sic præcipuas rationes subducit Bilfingerus. Nulla intelligi potest in anima ratio sufficiens earum corporis motionum, quæ animo tribuuntur: nec ulla in corpore, qua illud possit influere in animam: quum autem sine ratione sufficiente nihil esse aut fieri possit; ne influxus quidem esse ullo modo potest. At tota ea ratiocinatio tantis philosophis indigna est,

(a) *Cicero in secunda Tusc.* 3.
(b) *Psych. Rationali sect.* 3.

est, aut, si quid valet, systema totum Leibnitianum evertit. 1. Capacitas mentis humanae aptata non est integris rerum naturis, & caussis comprehendendis; nec ex iis quae intelligis confeceris, nihil superesse quod ignores. 2. Adaequatam corporis ideam nemo habet, minus etiam mentis. Nam ex systemate ipso Leibnitiano ea corporis sibi mens repraesentare potest, quae sunt phaenomena, seu motiones & mutationes partium aut ab insita activa vi, aut ab extrinsecis caussis manantes, seu simplicium substantiarum & monadum, quibus illud coalescit, effecta; intimas earumdem substantiarum essentias nullo modo, aut obscure tantum, confuse, inadaequate. Et mentis nostrae, praeter perceptiones, & desideria nihil praeterea aliud noscimus, si attente recoluerimus. Conscii nempe sumus variarum idearum, seu perceptionum rerum aut ad nos, aut ad reliquas universi partes pertinentium: conscii nostratum voluntatum: intimam autem animi essentiam omnino ignoramus. 3. Sunt plurima, quae ad animum pertinere Leibnitiani non inficiantur, neque tamen quisquam est, qui eorum in animo rationem sufficientem intelligere possit. Instar omnium sit sensus doloris & voluptatis. Is enim sensus procul dubio ex mutatione aliqua subjecti, quod eo afficitur, nascitur. Divinent autem nunc Leibnitiani, quo animi, seu monadis illius inextensae intelligentis motu dolor & voluptas fiat; quae sit doloris, & voluptatis intensitatis & remissionis in animo ratio sufficiens: quid caussae sit cur a dolore ad voluptatem, & vicissim, ab uno ad alium gradum intensiorem, aut remissiorem transeat. 4. In corpore eaedem ambages: quae ratio sufficiens in inextensis monadibus extensionis? quae soliditatis? actione sese, inquit Wolfius, reppellunt: inde fit ut ne se penetrent: inde extensio simul & soliditas. Sed rogaverim, monadum actio extrinsecus etiam exseritur necne? si posterius, non in se agent mutuo. Si prius, ecquid ex una in aliam monadem pertransit? nihil? effluvia incorporea, idest monades aliae, ut sint primogeniae illae praegnantes? actio sine ullo subjecto? nescio quid; viderint isti, qui haec omnia expediverint. Si ergo ratiocinatio illa, qua Peripateticos perstringunt, vera est, de toto systemate Leibnitiano actum est. Quod si eam in id tantum urgent, ut incertitudinem vulgaris doctrinae persuadeant, non repugnabo: sed quando illa incerta, non aperte est falsa, ne haec quidem praestabilita armonia perspicua erit & certa.

Prae-

Præterea Malebranchianum ſyſtema impoſſibile non eſt, niſi dicere Leibnitiani velint, efficere non poſſe Deum duas ſubſtantias, quarum alteram ex altera moderetur; poſſe artificem quemlibet duo conſtruere horologia, eaque ita regere, ut alterum alteri conſonet. Ne manifeſto quidem falſum; quod Wolfius ipſe intellexit, qui argumentorum omnium, quibus illud impetitur, infirmitatem luculenter demonſtravit. Quum igitur & hoc poſſibile ſit, nec omnino improbabile, certum habere Leibnitianum nequimus, niſi omnes logicæ canones temerare velimus. Quin igitur iterum meminerimus ejus Auguſtini effati, *modus, quo corporibus adhærent ſpiritus, & animalia fiunt, omnino mirus eſt, nec comprehendi ab homine poteſt, & hoc ipſe homo eſt* (a).

Secunda pars. 1. In hoc ſyſtemate admittuntur phænomena ſine ratione ſufficiente, quod paucis oſtendam. Mens eſt in continuo fluxu idearum: earum ſingulæ ſingulos mentis ſtatus efficiunt; adeoque mens a ſtatu ad ſtatum perpetuo tranſit. Quum ex leibnitiana doctrina mens ipſa ſuapte natura ſecundum vim illam intelligendi & agendi primigeniam omnes ſibi perceptiones, adeoque ſtatus producat, id fieri nequit niſi in antecedente ſtatu poſterioris ratio ſufficiens contineatur; ſunt autem animi quidam ſtatus quorum in corpore facilius quam in animo reperieris *rationem ſufficientem*, quales ſunt ſtatus cogitationum quas ſenſus ciunt, & inter quas nulla eſt connexio, quod quilibet ipſe per ſe experiri poteſt. Sumat quis in manus lexicum aliquod linguæ alicujus, catalogum plantarum, animantium, aut aliarum rerum, dictionaria artium, ſcientiarum, hiſtoriarum; intra horam percurrere poteſt duo millia verborum idearum inter ſe nullo modo connexarum, plantarum diſſimilium, animantium, artium, factorum, hominum illuſtrium. Quis in omnibus his dixerit rationem poſterioris ideæ aut perceptionis contineri in anteriore, & non potius in impreſſionibus in ſenſibus aut cerebro factis? Ex. gr. lego hæc verba Aaron, Ariſtides, Ariſtippus, Averroes, Buſiris, Bucephalus, Binkerſoek, Bilfingerus, Cedrus, Cæſar, Cæſenates, Centaurus, David, Delphus, Dido, Dantes, &c. totidem obſervantur menti perceptiones: eſt autem quiſquam adeo ineptus, qui dicat

(a) *De Civit. Dei lib.* XXI. *cap.* X.

dicat rationem sufficientem notionis Aristidis esse in perceptione summi sacerdotis Aaronis, Aristippi notionis in Aristide, Averrois in Aristippo, Binkersoeki in Bucephalo? Lego hæc, Alpha, Aaron, Acanthus, Anchora, Amens, Elephas, Cedrus, Persepolis, Pirus, Alexander Macedo, Homerus, Ficus, Ellipsis, Draco, Lepus, Quadratum, Quercus, Luna, Diagonalis, &c. Tune in his alterius perceptionis in altera rationem sufficientem explicaveris? atque nisi hæc componant Leibnitiani, sciant neminem esse adeo incogitantem, qui hæc sibi velit persuadere. Sunt, inquiunt, rationes sufficientes, quas non pervidemus.

Nescio quid peccati portet hæc purgatio, ait ille. Scilicet ita ludere cum pueris potuit renatus Pythagoras, ut iis una esset ratio, *ipse dixit*: at philosophis, ut nova doctrina persuadeatur, rationes saltem probabiles reddendæ sunt, quas illi intelligant & probent. Nempe laborant

Quum ventum ad verum est; sensus moresque repugnant
Atque unanimitas *recti sola mater & æqui*.

2. In eo systemate neque sciri potest, utrum quidquam præter mentem exsistat, neque quæ sint veræ aut inter se, aut cum vita nostra corporea rerum relationes. Nam quum mentis perceptiones, seu ideæ ex ipsa mentis natura profluant, eæ non possunt haberi nisi formæ rerum tantum possibilium exsistentium nullo modo; quo enim argumento persuadere sibi mens potest ideis suis totidem extra se res respondere? non intuitione: non enim res, sed earum ideas intuetur: non ex causis; quandoquidem ideæ hujusmodi non sunt causæ exsistentiæ aut essentiæ rerum: non ex effectibus; quum hujusmodi perceptiones a rebus ipsis non nascantur. Ita tota scientia poetica erit & romanensis fabula. Quod si Leibnitius dicat, mentem esse creatam cum *idea totius universi*, quæ paullatim se evolvat expliceturque: quumque certi simus, divinas ideas rebus esse adamussim conformes, dubitare non posse & nostras rebus ipsis respondere: tum 1. efficietur rerum *ideas* seu *formas* esse a perceptionibus distinctas, quod non concoquet Wolfius fidus ille Leibnitii Achates & interpres. Deinde expedire clarius oportebit, quæ sint conditiones *ideæ* hujus & *mappæ*, ut vocant, *cosmographicæ*. Tum con-

componere quæ a viris doctissimis adversus innatas hujusmodi ideas congesta sunt. Præterea explicare & illud, cur in evolvenda ea mappa semper ab iis incipiat mens, quæ sensus tangunt, nec unquam ultra progrediatur? Ex. g. usu oculorum detegitur in ea mappa idea saturni: cur semel ea patefacta non etiam cetera quæ in illa saturni idea continentur, partes, corpora varia, corporum vires, figuræ, relationes, quemadmodum in telluris idea evenit, sine telescopio manifestantur? cur sine sensuum usu & experimentis nihil ex ea patescat? cur non omnes æque faciles & habiles in ea explicanda? Sed illud imprimis mihi salivam movet, cur tot veteres astronomi ne suspicati quidem sint, suis lunis circumdari jovem, ac saturnum? Quid si venerem, ut addecet jovi filiam, suo lictore & ipsam mactatam videamus aliquando? Jam quum mappa illa non possit continere nisi *ideas reales*, cur tot fictitiæ nobis obversentur? Qui potuit in illa videre Plato æterna exemplaria? tot præduras sphæras, ac monstrum illud primi mobilis Aristoteles? Qui tot vortices Renatus? Qui harmoniam præstabilitam Leibnitius?

3. Vis, quæ corpus regit, bruta ne est, an rationis particeps? si posterius, erit ea mens; quum autem ea vis sit entelechia corporis secundum Leibnitium, erit mens corporis entelechia, quod isti nolunt. Prius ergo sit oportet. At

Tempora si, fastosque velis evolvere mundi.

sanus non videberis, qui ex ea sola vi bruta hominum omnium gesta, rerumpublicarum & regnorum facta, quibus mundus civilis continetur, nata & ordinata velis. Nempe corpus Alexandri macedonis, Annibalis, Julii Cæsaris nulla mentis directione, nulla manu directrice, ipsa insita bruta vi, ejusque fatalibus modificationibus, non secus atque fictiles marmorei, aut argentei hermæ, aut circulatorum pupæ, ea omnia efficere debuere, quæ in eorum historiis narrantur. Ea etiam effecissent, si postridie ejus diei, qua geniti sunt, eorum mentes in nihilum essent redactæ. Exercuissent sese in artibus omnibus, quibus resp. belli, domique gubernatur: petiissent magistratus: delectum militum habuissent, agmina disposuissent, parassent commeatus: flumina, maria transissent: præ-

lia infinita iniissent: fœdera aut paces sanxissent, mentibus interim, & Deo otiose inspectantibus (1). Præclara ea quidem, & Dei amplitudine digna: sed vereor ut ulli persuadeat Leibnitius. Bellum est, inquit, sapere cum paucis? At tu etiam solus sapere possis. Nec tamen desipient alii qui recinant,

Musicam, quæ sit abscondita, eam esse nulli rei.

Sed perpendamus hæc paullo pressius accuratiusque. *In hoc systemate*, inquit Leibnitius (*a*), *corpora agunt ac si per impossibile nullæ darentur animæ: animæ agunt, ac si corpora nulla darentur: & ambo agunt ac si unum influeret in alterum*. Nempe ob vim illam a Deo iis sub exsistentiæ initium inditam, vim primigeniam & substantialem. Ex ea primigenia vi omnes quum animi, tum corporis actiones perquam ordinatissimæ atque harmonicæ fluunt. Videtur Bælio paradoxum, quod omnem humanum captum superet, corpus Julii Cæsaris sola illa vi bruta ea omnia efficere potuisse, quæ in ejus vita narrantur. Reponit Leibnitius, quum id non sit ἀδύνατον, in admirationem potius divinæ sapientiæ & potentiæ nos rapere debet, quam in systematis irrisionem. Atque huc Leibnitium volo. Rogo vis illa primigenia creata est atque a vi ipsa Dei distincta, an eadem? creata, inquit. Conservatur ne perenni Dei *activitate* necne? Quis negaverit? Jam earum virium determinationes manant ne a vi illa Dei conservante *primigenias* substantiarum vires, an a viribus ipsis suapte se natura determinantibus? Si prius, id systema cartesianum est; si posterius oportet in viribus ipsis inesse rationem sufficientem omnium suarum determinationum; nihil enim est sine ratione sufficiente. Agnoscit. Itaque bene habet: processimus. Unum superest. Determinationes corporis Julii Cæsaris sint æquales 2000000.: ratio earum omnium sufficiens adæquata ab initio exsistentiæ ejus corporis exstitit, necne? si prius, quum axioma sit non ceterorum modo, sed Leibnitianorum quoque perspicuum, *posita adæquata ratione sufficiente, poni integrum effectum*, omnes illæ 2000000. actiones simul exsistent, quod systema totum evertit, ut ne quid aliud dicam. Si posterius, efficitur adæqua-

(a) *In princip. phil.* §. 84.

(1) Vide ut hæc eleganter diducit Bælius dict. Art. Rorarius Remarque *L.*

æquata suapte virium natura, influxu aliarum, an voluntate Dei? posteriora continent Scholasticorum & Cartesianorum systemata: ea Leibnitianis falsa. Prius fit ne ratione alia sufficiente, an nulla? videant quo prorepant novi isti philosophi. Respondent, actiones mentis causas esse determinantes (*a*), non physicas, sed metaphysicas. Nova vocabula, novæ ambages. Metaphysicæ hujusmodi causæ agunt in corpus? an occasiones sunt quibus Deus ipse agat? an neutrum? non difficile est videre pudoris ergo, ne concederet quidpiam, excogitata. An ludibrio hominum genus habere decreverunt:

Nam ego incipio totam hanc λεπτομερείαν metaphysicarum, quæ longe a naturæ simplicitate abludit, suspiciosis oculis intueri.

Non verisimile dicunt: nec verum arbitror.

CAP. III.

De idearum natura & origine.

AD rem aggredimur, qua nescio utrum alia sit in philosophia magis implicita, super quæ docti tanta sunt in varietate ac dissensione constituti, ut eorum vel molestum sit annumerare sententias. Atque si mihi sæpe contingit, ut non tam facile in mentem venire soleat, quare verum sit aliquid, quam quare falsum; tum in hac re potissimum, in qua quid non sentiam facilius, quam quid sentiam dicere possum. Et substiti pluries, & caput scalpsi, arrodique ungues, dum me ad ea de re disserendum compararem: horrebat animus in avia ingredi. Sed durandum fuit, quia cœperamus; verique

. . . . amor gemmatas aureus alas
Et mihi propositum perfice, dixit, opus.

Quæ ad historiam hujus quæstionis pertinent in Arte Logico critica paucis complexi sumus (*b*). Quædam quoque per summa capita indigitavimus, quæ demonstrant totius rei incertitudinem. Quod superest, systemata eadem pressius, accuratiusque ad examen revocabimus. Initium faciemus ab eorum philosophorum doctrina, quos *plebejos* Cicero vocat, apud nos *sensistæ* audiunt. Nam quamquam

M 2

(a) *Ita Bilfingerus*. (b) *Lib. 2. cap. 1.*

quam ea pervulgata nunc est, nactaque nobilissimos patronos; tamen nisi superiora theoremata evertantur, vera esse, si quid cerno, non potest. Hem! hominum sapientia quantilla est quum recogito! quot sapere videmur, quæ se vera mox ratio, ut dediscamus imperat: haud multo post imperatura eadem ut discamus iterum? *Quasi pilas*, inquit ille, *Dii nos habent*. Sed principio de natura idearum pauca.

Prop. XXVIII. Mens nequit ipsa sibi esse causa creatrix simplicium ac primarum idearum.

D. Ideæ sunt formæ rerum seu exsistentium, seu possibilium (def. 5.), quæ idcirco continent realitatem objectivam earum rerum, quarum sunt exemplaria: si eas sibi mens creare potest, ante omnes ideas continere debet realitatem objectivam omnium earum rerum, quarum sibi ideas simplices producit, alioquin statuetur effectus sine ratione sufficiente, quod esse nequit (p. part. prop. 17.); at realitates rerum exsistentium aut possibilium sunt exemplaria, idest ideæ, ut patet: ergo ante omnes ideas debet ideas easdem continere, quæ sunt pugnantia. Neque vero dici potest, res illas, quarum ideas sibi producit, *eminenter aut virtualiter* in mente contineri, nisi etiam dicatur, mentem humanam esse aut Deum, aut Dei partem, quod falsum (prop. 10.)

Scholion. 1. Neque alia est causa cur qui simplices ideas colorum habere nequeunt, nulla ope colores doceri possint. Sane enim, quod alias dixi (*a*), non magis potest mens ideas sibi simplices creare, quam pictor ignotæ rei expressam imaginem depingere. Sed demus interim posse, quemadmodum (ut idem persequar exemplum) si pictor ignotas in saturno res depingeret, nullo modo asseverare posset, picturas hujusmodi ad vivum res illas exprimere, aut ullo modo esse illi similes, nisi haberi vellet deridiculus; ita si mens ignotarum rerum ipsa sibi notiones crearet, incerta semper esset rerum extra se positarum, nec, nisi divinando, de illis disserere posset. Ut idcirco pateat, eos, qui hanc opinionem tuentur, omnem e manibus hominum rerum certitudinem & scientiam præripere, illis commentitiam tantum & poeticam cognitionem concedere.

Prop.

(a) *Vide Art. logicocrit. lib. 2. cap. 1. & ep. ad cl. Contium*.

Prop. XXIX. Si ideæ & perceptiones sunt una eademque res, duorum alterum sit necesse est aut mentem esse subjectum mere passivum omnium suarum cogitationum, quemadmodum cera figurarum, aut eam omnes sibi rerum ideas creare.

D. Nam aut ideas excipit, aut non. Si primum, quum illæ (ex hypothesi) sint una eademque res cum perceptionibus, adeoque cogitationibus omnibus, omnes quoque cogitationes excipiet, ut sint illæ, *quod figuræ in cera*, quemadmodum loquitur Cartesius. Si alterum, quum eæ nequeant esse sine causa, eaque causa non alia nisi ipsa mens, erit ea sibi idearum suarum causa creatrix.

Prop. XXX. Ideæ & perceptiones non videntur esse posse una eademque res.

D. Sint: duorum alterum sequetur aut mentem esse subjectum mere passivum suarum cogitationum: aut eam omnes sibi ideas creare (prop. super.). At si primum dicatur, mens nec vivens erit (def. 10.), nec magis mens, quam later crudus, quum sit non principium activum, sed iners subjectum operationum alterius principii activi; quæ sunt absurda & cum tota humana natura pugnantia. Posterius minus etiam dici potest (ex prop. 29.); non ergo perceptiones & ideæ videntur esse posse una eademque res.

Scholion. Acerrime super ea re disceptatum est inter viros doctos Malebranchium & Arnaldum. Malebranchius ideas omnes & a perceptionibus distinguit, & velut imagines, exemplaria, *entia repræsentativa* habet non quidem in mente ingenita, sed illi a Deo in sui idea & lumine participata. Adversus eam doctrinam librum inscripsit *de veris & falsis ideis* gallice, Coloniæ, ann. 1683. 8. geometrica methodo eam propositionem, *ideas a perceptionibus nullo alio modo distingui*, nisi duobus respectibus, ut, quæ est *perceptio* relata ad mentem, sit idea relata ad objecta, demonstraturum se confidenter pronunciat. Rem totam tredecim definitionibus, axiomatibus octo, postulatis septem, quinque demonstrationibus conficit. At ea argumenta mihi semper non digna tanto viro visa sunt. Primum & secundum in eo sunt posita ut ostendat, Malebranchium *petere*, ut scholæ inquiunt, *principium*, atque obscura præstituere & incerta, dum ponit velut suæ doctrinæ fundamentum, *neminem posse percipere ob-*

jecta externa in seipsis. At nihil est clarius veriusque. Enim vero quum perceptiones sint & *immanentes* & *essentiales* menti, quod ne ipse refragatur Arnaldus, necesse est in *seipsa* percipere quæ percipit, nec potest ea *in seipsis* objecta alia cognoscere, nisi si aut illa in mente contineantur *formaliter*, ut ajunt, aut mens ipsa rebus omnibus intime sit præsens. Quæ ambo quum ne Arnaldus quidem dixerit, conficitur in *seipsa* mentem intelligere cuncta. Qui autem id possit nisi expressas earum rerum aut sibi ipsa producat imagines, aut ab altero excipiat? Ut sibi producere queat ignotarum rerum imagines nemo sobrius docuerit; quod si excipit, nequeunt illæ esse perceptiones, quin mens omnis evertatur, ut demonstratum est. Nec obscura ergo hæc est malebranchiana doctrina, neque logo-machia, neque *principii petitio*, quod Arnaldus contendit demonstratione illa prima & secunda.

Sed regerit vir doctus (*a*): mentem nostram plura externa objecta, etiam distantissima, lunam, solem, stellas fixas percipere est in compertis: quoniam autem *argumentum ab actu ad potentiam concludit necessario*, consequitur mentem esse præditam facultate intelligendi etiam externa & distantissima, quin exemplaribus Malebranchianis indigeat. Nihil pejus conclusum ex certis alioquin principiis vidi umquam. Rogo, perceptiones hujusmodi Arnaldinæ lunæ, solis, fixarum complectuntur *realitatem* eorum corporum *objectivarum*, ut vocant? fatetur ultro. Sunt ergo ideæ. At eæ perceptiones e natura ipsa mentis, seu facultate intelligendi manant; mens ergo suas sibi omnes ut perceptiones, ita ideas producit. Bene habet. Sed reddenda nunc est Arnaldo *ratio sufficiens realitatis objectivæ* perceptionum. Erit ea ne in agitationibus cerebri quæ actione externorum corporum fiunt? at quum mens iis affici nequeat, ea ratio est nihili, idest nulla. Erit Deus? Non placet Arnaldo. Erit ipsa intelligendi facultas? At quum ea nulli objecto determinata sit, poterit etiam sibi producere ideas earum rerum, quæ sunt in globis circum solem a nobis distantissimis, aut circum fixas, si quidem sunt ulli, quod astronomis recentioribus juxta ac veteribus philosophia placuit. Infinitæ sunt hujusmodi conclusiones, quas adversus Arnaldum urgere possum.

Jam

(a) *In libro cit. pag. 66. & seqq.*

Jam tertia ejus demonstratio prioribus nihil addit novi. Obscuritatis tantum & ambiguitatis Malebranchium reprehendit: recte necne nostra non interest, qui non Malebranchianum systema defendendum suscepimus, sed *quod* nobis videtur *verum*. Quarta autem est ejusmodi. *Iis*, inquit, *qui ratione duce philosophantur, entitates quaedam philosophicae, obscurae ea, & commentitiae, eam in rem invectae, ut systematis sustinendo insererentur, suspectae esse debent, maxime quum nec necessariae sunt, & nullius usus; tales autem sunt ideae a perceptionibus distinctae.* Nam, pergit, *quum Deus mentem corpori junxerit tot circumdato diversis rebus vitae ducendae necessariis, non est simile vero, noluisse illi dare facultatem eas cognoscendi, & quidem via simpliciori & breviori; ea autem via est ut cognoscat sine ope idearum hujusmodi a perceptionibus distinctarum.* Quasi vero simplicior via sit Arnaldina haec, non alia quaecumque, etiam nobis ignota? Interim vim argumenti frustra perquiro. Facultatem cognoscendi datam animae nemo negaverit. Sed ea posita, oportuit ut id explicaret Arnaldus; qui sine ideis externa possit mens percipere, nisi ipsa sibi vi prorsus creatrice rerum objectivas realitates effingendo. Quum itaque id non videatur alia via perfici posse, nisi ope idearum; apparet & necessarias eas esse, & rejici non posse, quin simul tota menti negetur rerum cognitio. Cetera Arnaldi argumenta minus etiam facienda sunt, quam superiora, quocirca iis expendendis non puto operae esse pretium immorari.

Prop. XXXI. Nihil potest mens intelligere nisi in seipsa.

D. Perceptiones sunt actiones mentis immanentes (prop. 17.), adeoque menti insitae (ibid.): esse igitur nequeunt nisi in mente. Praeterea si mens extra se percipit, id vel effluxione fit, vel non. Primum naturae animi adversatur: posterius verbum est *nihili*.

Schol. Miror Isaacum Newtonum praestantissimae illum mentis philosophum talia super ea re, per transennam licet, scripsisse, ex quibus colligatur, in ea illum fuisse opinione, mentem in cerebro praesidere, atque in eo, in suo scilicet sensorio, rerum imagines cernere. Quid enim hoc est, mentem in cerebro ut in suo penu & sensorio rerum imagines cernere? Est ex cerebro in se attrahere, ut in se cernat? an perceptiones suas extra se, suamque essentiam exserere? Ex cerebro nihil nisi corporeum

transire potest: & perceptiones nisi in animo esse nullibi possunt. Præterquam quod incomprehensibile est asserere, mentem in cerebro quasi depictas rerum imagines intueri, cerebrum vero ipsum nullo modo: quasi quisquam possit pictas in tela figuras videre, nec videre telam ipsam figurarum subjectum. Ad hæc, qui in cerebro colores potest mens cernere, quo solares radii, in quibus colores insunt, aut quibus depinguntur, non pertingunt? radii enim luminis in retina consistunt, nec ex iis nisi motus cerebro communicatur, qui solus colores pingere nequit. An pertingit etiam ad oculos mens? cur non etiam ad aures, gustum, odoratum? Quod si hoc, ad pedes quoque: ita forma erit corporis informans, quod recentes isti philosophi renuunt.

PERIPATETICORUM OPINIO

Super origine idearum.

Prop. XXXII. QUod spectat ad originem idearum. 1. nec sibi convenit peripateticis. 2. & quæ fertur vulgaris in scholis opinio, incerta est, atque non levibus objectionibus obnoxia.

D. Prima pars. Arabes quidam & Mauri censent *habere mentem apud se rerum species*, quæ a rebus extrinsecis excitentur tantum (*a*), non etiam progignantur: & Albertus Magnus non negat *species* menti congenitas, licet iis aut numquam, aut raro uti, dum in corpore est, doceat (*b*): Avicenna vero *posuit omnium rerum sensibilium intelligibiles species .... præexsistere immaterialiter in intellectibus separatis, a quorum primo derivantur hujusmodi species in sequentem, & sic de aliis usque ad ultimum intellectum separatum, quem nominat intellectum agentem, a quo, ut ipse dicit, effluunt species intelligibiles in animas nostras, & formæ sensibiles in materiam corporalem* (*c*). At B. Thomas superiora quidem refellit, sed docet tamen aperte, nos omnia cognoscere in *rationibus æternis*, quæ sunt in Deo

(a) *Picus tom. 1. pag. 50.*
(b) *Idem ibid. pag. 42.*
(c) *B. Thomas prima part. quæst. 84. art. 4. in corp.*

Deo (1). Quum autem cognoscere quidquam in aliquo cum duabus notionibus accipi possit, una ut A cognoscatur in B tamquam in objecto cognito, qua ratione, inquit, videntur imagines in speculo; altera ut A cognoscatur in B tamquam in principio, quemadmodum in lumine solis colores; priori modo beatos omnia intelligere docet, quippe qui & Deum & in Deo cetera vident: posteriori nos, quod scilicet lumen intellectus humani sit participatio quædam æterni Dei luminis, *in quo continentur rationes istæ æternæ*. Eam vero doctrinam ex Augustino accipit. Ac quum Augustinus *rationes huiusmodi æternas* substituerit ideis platonicis, quod eodem in loco agnoscit vir acutus, haberi eæ possunt pro ideis menti a Deo participatis, ut non alia sit idearum origo & natura. Interim is systemati suo non videtur fuisse consentaneus, dum deinde docuit, & cogitationem intellectivam haberi a rebus sensibilibus ope intellectus agentis (*a*) & *impossibile esse, intellectum nostrum secundum præsentis vitæ statum, quo passibili corpori conjungitur, aliquid intelligere in actu, nisi convertendo se ad phantasmata (b)*, & plurima, quæ sunt his similia: consuetudinem, ut ego arbitror, verebatur. Nam quum semper difficile sit susceptis publice opinionibus adversari, tum fuit illo ævo difficillimum, quo Aristoteles scholarum regnum solus habuit, fuitque totius veteris philosophiæ τυραννοκτονος.

Jam reliquum scholasticorum vulgus *sensum esse idearum omnium scaturiginem* non dubitant. Nihil illo tritius in scholis, *nihil esse in intellectu, quod ullo modo non fuerit in sensibus*. Nec tamen hæc ita dicunt, quasi ideæ sint *defluxiones* & *idola* rerum, quæ per sensus, velut per canales mentem subeunt; sed ita ut motionibus sensuum creentur in cere-

(a) *Ibid. art. 6.* (b) *Ibid. art. 7.*

(1) Pr. part. qu. 84. art. 4. Non hoc tantum in loco ea tradit vir magnus, sed sæpe alias, ut qui in ejus libris versati sunt satis noverunt. Quin ne ab illa quidem opinione, a Deo in inferiores mentes species delabi, ab iis vero in homines, abhorrebat, quum sæpe & eam plaudendo memoret, sectetur-que interdum. Hinc discere possumus virum divinum scholæ & tempori obsecundasse, quum alteram illam tueri videtur. Ex quo dijudicari potest super unione mentis & corporis eum non fuisse peripateticum, nisi ne a publicis scholis discedere videretur. Possem hoc copiose demonstrare; sed temporis angustiæ me vetant esse longiorem.

cerebro *phantasmata*, quæ illi *species impressas* vocant: ex iis vero ope *intellectus agentis* species emergant *expressa* & *intelligibiles* quæ fiat immediatum *intellectus passivi* objectum. Nam duos intellectus schola omnis peripatetica posuit *agentem* & *passivum*, quem passim quoque *possibilem* vocant. Et ille quidem est, *quo facere omnia intelligibilia*, hic *quo fieri omnia intellecta*: sic enim illi loqui amant. Sed nec in natura, nec in muneribus intellectus agentis explicandis sibi convenit peripateticis. Arabibus plerisque intellectus agens est substantia intelligens ab anima humana distincta: unus etiam est in omnibus hominibus; quibusdam Deus ipse, quod & Zabarellæ placuit (*a*) e Scholasticis, & Cajetano, non Alexandro tantum Aphrodiseo (*b*), & non paucis Arabibus.

Dissentiunt Arabes alii: hi animam ex duabus partibus constare arbitrantur a se invicem distinctis; velut ex *materia*, & *forma*; & velut materiam esse *intellectum passivum*, formam *agentem* (*c*), quod ad Aristotelis sententiam magis accedit; qua de re superius dictum. Nostris scholæ philosophis vis est & facultas, atque virtus animæ unius & ejusdem, cujus sit & intellectus passivus, nec a passivo distinguitur tamquam substantia a substantia, sed tamquam ejusdem substantiæ facultas a facultate, virtus a virtute (*d*) *realiter* quidem, si Thomistas audias, *formaliter* si Scotistas, *ratione* si alios (*e*).

Præterea quæ intellectus agentis munera, controversum. Nam sunt qui opinantur intellectum agentem in sola phantasmata vim suam exferere, nec ullo modo in *passivum* agere. Scilicet *phantasmata illuminat*, *facitque intelligibilia actu*. Ea Joannis Baconi sententia est (*f*); quumque eodem ferme modo loquatur sæpe S. Thomas factum est, ut eamdem illi opinionem tribuerit Zabarella. Sed adversantur Thomistæ ferme omnes, qui ex Thomæ sententia duplicem activitatem intellectui huic agenti tribuunt, scilicet

---

(a) *De mente humana cap.* 9. *&* 10.
(b) *Lib.* 1. *de anima*.
(c) *Zimara theorem.* 41., *&* *in* XII. *Metaph. textu* 17.
(d) *B. Thom. p.p. q.*79. *art.* 4. *& Scotus in Quodlibet. q.*15.
(e) *Piccolomineus lib.* 1. *de humana mente cap.* 12. *aliique qui ea super re sese mutuo defendunt aut accusant*.
(f) *In prol. primi sent. q.* 2. *art.* 2. *&* 3.

licet & ut illuminet phantasmata, & ut inde expressas intelligibiles species imprimat *passivo* (a). At qui Aphrodiseum Alexandrum nobilem illum & veterem aristotelicæ doctrinæ interpretem sectantur, contendunt intellectum agentem non illuminare tantum phantasmata, sed imprimere illis spiritualem quamdam formam & speciem, quæ intelligi possint, quod & probat Zabarella Alexandri alias admirator. Scotus vero loco superius citato acutissime super ea re disputat, & copiose, docetque, munus intellectus agentis esse duplex, *abstrahere e phantasmatibus species intelligibiles, & producere active actum intelligendi*. Hæc schola super origine idearum, varia, & obscura, ut cetera: quæque idcirco narrasse, refutasse est. Quas res quotiescumque memoro, illud subit animum, miseram rem & perridiculam esse, velut in scena mimos, sic in natura, terrigenas invito ingenio superos velle imitari, quæque natura negavit visibus humanis, in pectus demittere. O præclarum illud τα ιδια μελεδαινε, *propria cura*! Quid si quis & mihi tot obsoleta repetentis occentet? Quid, nisi ut demittam auriculas *ut iniquæ mentis asellus*?

Secunda: Ea opinio supponit influxum physicum aut ex utraque parte, aut ex alterutra: at ea doctrina incerta est, & difficultatibus implicita gravissimis (prop. 21.) incerta ergo hæc & implicita.

Præterea intellectus agens scholasticorum vulgo mentis est aut pars, aut virtus; paucis Deus (ex priori parte). Quum mens nihil possit intelligere nisi in seipsa (prop.31.) si intellectus agens ejus est aut pars, aut virtus, superest scholæ explicanda ratio & via, qua is, idest mens ipsa quatenus agit, & intelligit phantasmata a sensibus & cerebro accipiat, & *intellectui passivo*, idest sibi ipsi mens ipsa, quasi receptrix, offerat: quod quum nec fecerint scholæ philosophi, nec fieri posse videatur, nisi alter intellectus agens adhibeatur, obscura & incerta prædicant. Quod si Deus est (quod meliore consilio alii opinantur) res eo redibit, Deum phantasmata corporea illuminare, atque menti humanæ offerre, ut non aliunde nascantur ideæ, nisi a Deo, qui illas in mente producat ad occasionem motionum corporearum; quæ sententia & a ceteris scho-

---

(a) *Vide, si tantum abs rebus seriis tibi otii est, Javellum in 3. de anima, tract. de intell. agente.*

scholæ dogmatibus aliena est, &, ut inferius sumus demonstraturi, incerta & ipsa.

Ad hæc, quum vulgata sit scholarum doctrina, *nihil reducitur in actum, nisi per ens actu*, & ne intellectus agens quidem sit semper in actu, ut iidem philosophi arbitrantur; a qua is causa *in actum* deducetur? a phantasmatibus? a Deo? a seipso? Primum fieri nequit nisi per *influxum physicum*, qui hucusque *qualitas est occulta*. Postremum cum priori illo axiomate pugnat: medium systema invehit causarum occasionalium; tum *intellectus agentis* inutilitatem facit: quando enim ad Deum ventum est, is munera intellectus agentis præstare potest, quin hæc ignota hominibus qualitas obtrudatur.

DEMOCRITICORUM SYSTEMA.

JAM super origine idearum Democritus, si quidem ejus viri mentem tenemus, hæc commentus est.

A rebus ipsis undequaque leves quasdam & corporeas facies, quas ille *idola* vocat, avolare, quasi summa abrasas industria credidit. Hæc dum cerebrum subeunt, ideæ sunt, cogitationum nostrarum omnium materies (*a*). Eadem docuit Epicurus, fieri scilicet cogitationem, ut visionem, per *simulacra incurrentia*. Nempe quemadmodum leonem videmus, dum illius imago allabitur menti, ita reliqua. Quod si cogitemus centauros, scyllas, ac ejusmodi alia, quæ neque sunt, neque umquam fuerunt, contingere id posse docent non tam ob formata sponte simulacra, quam ex eo quod quum hominis & equi v. g. simulacra sibi obvia fiunt, facile propter tenuitatem junguntur, inque unum exinde conformantur efficiuntque id, quod centauro tribuitur. Sed audiamus hæc ex Lucretio, qui egregie ea enarrat & illustrat (*b*).

Nunc age, quæ moveant animum res, accipe, & unde
Quæ veniunt, veniant in mentem, percipe paucis.
Principio hoc dico, rerum simulacra vagari
Multa modis multis in cunctas undique parteis
Tenuia, quæ facile inter se junguntur in auris,
Obvia quum veniunt, ut aranea, bracteaque auri,

Quippe

(a) *Plutarch. de placit. lib. 4. cap. 8. & Cicero de finib. lib. 1. cap. 6. & lib. 1. de nat. Deor. capp. 18. 37. &c.*
(b) *Lib. 4. de nat. rer. v. 726.*

Quippe etenim multo magis haec sunt tenuia textu,
Quam quae percutiunt oculos, visumque lacessunt,
Corporis haec quoniam penetrant per rara, cientque
Tenuem animi naturam intus, sensumque lacessunt;
Centauros itaque & scyllarum membra videmus
Cerbereasque canum facies, simulacraque eorum,
Quorum morte obita tellus amplectitur ossa:
Omne genus quoniam passim simulacra feruntur,
Partim sponte sua quae fiunt aere in ipso,
Partim quae variis ab rebus cumque recedunt,
Et quae consistunt ex horum facta figuris.

Pergit deinde, atque horum simulacrorum ope praecipua cogitationum phaenomena explicare conatur.

Prop. XXXIII. Democriticorum opinio. 1. pugnat cum rerum corporearum natura. 2. cum certis animi phaenomenis. 3. nec ullo modo originem *idearum intellectualium* expedit.

D. Prima pars. Principio, simulacra illa facies sunt rerum corporeae, an imagines in aere, vel lumine insculptae, an *nescio quid?* Primum si est, jamdudum oportuit corpora solida fuisse in nihilum redacta, tot abrasis superficiebus. Alterum is dicere potest, cui natura corporum diffluentium, minime imaginum tenax, ignota fuerit. In postremum Lucretianum illud ipsum quadrat,

Deinde adopinamur de signis maxima parvis,
Ac nos in fraudem induimus, frustamur & ipsi.

Tum vero an ulli verisimile erit,

.... rerum simulacra vagari
Multa modis multis in cunctas undique parteis,

quin alia aliis corrumpantur, aut deformentur? praesertim in tanta corporum plerumque distantia, in qua non possunt non cum infinitis aliis perpetuo colluctari.

Secunda pars. Egregium ipse suppeditat argumentum Lucretius, nec, nisideridiculis rationibus, explicare atque refellere conatur.

Quaeritur in primis, quare, quod quoique libido
Venerit, extemplo mens cogitet ejus idipsum.
Anne voluntatem nostram simulacra tuentur?
Et simulac volumus nobis occurit imago?
Si mare, si terram cordi est, si denique caelum,
Conventus hominum, pompam, convivia, pugnas,
Omnia sub verbo ne creat natura, paratque?
Quum praesertim aliis eadem in regione, locoque

Longe dissimileis animus res cogitet omnis?
Quid porro in numerum procedere quum simulacra
Cernimus in somnis, & mollia membra movere,
Mollia mobiliter cum alternis brachia mittunt?
Scilicet arte madent simulacra, docta vagantur
Nocturno facere ut possint in tempore ludos?

Præterea quæ esse possunt simulacra rerum abstractarum? Ex. gr. demonstrationes geometriæ puræ constant omnes ideis abstractis; eas tu ideas simulacra dices circumvolitantia? Qui porro longas ratiocinationum series hujusmodi simulacris explicabit Lucretius? trecenta sunt alia animi nostri, seu cogitationum phænomena, quæ nullo modo Democritici idolis suis expediverint.

Tertia pars. Animus substantia est incorporea (prop. 12.), nec quidquam intelligit nisi in seipso (prop. 31.): quum vero non intelligat nisi simulacra (ex hypoth.) necesse est hæc animum penetrare, adeoque corpus physice influere in animum, quod intelligi nullo modo potest (prop. 21.).

Scholion. Scio Democriticos animum facere corporeum, atque ex ea doctrina de origine idearum consentanea principiis suis disputare; sed quando principia illa falsa esse ostendimus, perstat integra nostra adversus eam idearum naturam & originem ratiocinatio. Quamquam ne si animus quidem corporeus est, doctrina illa simulacrorum consistere potest. Enimvero aut animus est tenuis quædam substantia corporea toto corpore fusa, aut vis illa Dicæarchi & Aristotelis. Si primum, ut simulacra intelligat, debet illa in se excipere; quumque illa sint corporea, penetrari cum illis oportet, quod esse nequit. Si alterum simulacra ipsa illabentia in sensus & cerebrum dum agitantur, & miscentur, aut intexuntur, erunt perceptiones, judicia, ratiocinia, quod itidem cum vero pugnat. Nullo modo igitur hæc Democriticorum doctrina probabilis esse potest.

SYSTEMA LOCKIANUM.

JOannes Lockius nobilis ille Anglus philosophus insignem sibi peperit existimationem ac dignitatem opere edito *de intellectu humano*. In duobus primis ejus operis libris id unum sibi proposuit demonstrandum, *omnes ideas a sensibus, atque meditatione & conjectura proficisci: nihil*

opus

opus esse ideis ingenitis; esse quinimmo eas fanaticorum hominum commenta. Is primum ideam definit *quidquid objectum est intellectus, dum cogitat, quodque phantasmata, notionem, speciem vocant* (a); & alibi, *quidquid mens in seipsa percipit: omnis perceptio, quæ in mente est, dum cogitat* (b). Atque passim ita scribit, ut non videatur ideas a *perceptionibus* distinguere, nisi *relatione*, in quo Arnaldo consentit. Quumque ei, quod alibi dictum est, anima sit corporis *vis* & *entelechia*, & ideæ sint motiones sensuum & cerebri: eædem, si sibi esse velit consentaneus, erunt & perceptiones. Itaque mens, quæcumque ea sit, partim actione sensuum, partim ipsa sua agitatione, & meditatione omnes sibi comparat ideas. De natura animi, & idearum non hoc in loco cum Lockio concertabimus: id enim superius præstitimus; tantum opinionem hanc hodie in scholis Europeis vulgarem super origine idearum accuratius perpendemus: idque tanto attentius faciemus, quanto est ea hodie provectior, & gratior.

Prop. XXXIV. Vulgaris opinio, primas ideas esse a sensu, quarum deinde ope mens conjectura & ratiocinio alias sibi creat. 1. conscientiæ & phænomenis naturæ humanæ conformis esse videtur: 2. sed non videtur esse posse vera, nisi aut posito *influxu physico*, aut ea animi natura statuta, quam Dicæarchus, & Hobbes esse contendunt: 3. ex quo sequitur, ut sit incerta.

D. Prima pars. Principio tam vivide & clare persentiscimus res corporeas ope sensuum percipere, ut facilius cuiquam persuaseris, nihil esse omnino incorporeum, quam nihil oculis videre, tactu tangere, auribus audire. Dicere vero hanc sensum evidentiam esse omnem fallacem, est, inquiunt, homines ad Pyrrhonis furorem adigere. Quod si quid valet evidentia sensuum, in eo certe esse debet maxima, ut nos certos efficiat primas nostras φαντασίας ideasque eorum ope habere. Eadem quoque evidentia conscii sumus, nos ope primarum hujusmodi φαντασιῶν idearumque alias conformare compositas, aut detegere connexas; vel ex iis conficere abstractas. 2. Nullas earum rerum ideas claras & distinctas conficere umquam possumus, quæ a sensibus nostris omnino sunt remotæ, cum

(a) *Avant-propos* §. 8.
(b) *Lib.* 2. *cap.* 8. §. 8.

cum quæ res sensibus subjectæ sunt, aut quidquam habent sensibilis, clare ut plurimum & distincte percipiantur. 3. Majorem semper idearum numerum habent qui magis cum sensibus versantur, minorem qui minus, fere nullas qui sine ullo hominum aliorum commercio adolescunt. 4. Qui aliquo sensu carent objecta ejus sensus propria ignorant, nec ulla arte ea doceri possunt. 5. Instrumentis quibusdam, quibus sensus acuuntur, novas acquirimus ideas, quibus perpetuo caruissemus, illis non adhibitis. 6. Pro perfectione majori, aut minori sensuum res corporeas magis aut minus distincte cognoscimus, quod non esset, si nihil sensus ad animum deferrent. 7. Prout obtunduntur sensus, ita rerum ad eos sensus pertinentium imminuitur cognitio, quod in sensibus contingit, dum oculis, & auribus laborant; quod item esse nequiret, si ab iis earum rerum cognitio nullo modo penderet. 8. Intelligi non posset, cui usui sensus homini dati essent, si externarum rerum nihil illi ad animum deferunt. 9. Ut cetera omittam, sola Optica abunde demonstrat, nos non alia via colorum & figurarum ideas habere, præterquam oculorum: structura enim oculi in id tota conformata est, ut visio externorum perficiatur: idem demonstrat structura aurium quod ad sonos, aliorumque organorum sensiferorum, quod ad alia sui objecta. Trecenta hujusmodi consarcinari possent phænomena, ex quibus totidem hauriantur argumenta *ad probandum*, nos & primas ideas a sensibus habere, & externa non nisi sensuum ope percipere, & ceteras nostras ideas inde aut *consociatione*, aut *abstractione*, aut antecedentium, connexorum, & consequentium conjectura, & ratiocinatione nobis comparare. Lockiana igitur hæc opinio, quæ & olim vulgaris fuit in scholis Peripateticorum & Epicureorum, & nunc est tota in Europa & intima conscientia nititur, & evidentia sensuum confirmatur, & est naturæ humanæ phænomenis conformis.

Secunda pars. Quum nihil mens nisi in se percipiat (prop. 31.) si ideæ proveniant a sensu, percipi nequeunt nisi in mentem ipsam pervadant: id vero fieri nequit, nisi aut posito *influxu physico*, aut ea animi natura statuta, quam Dicæarchus & Hobbes esse contendunt, ut patet.

Tertia pars. Si ideæ proveniunt a sensu, percipi nequeunt, nisi aut *influxu physico*, aut ea animi natura statuta,

qua-

qualem Dicæarchus & Hobbes ponunt (ex hujus 3.part.): posterius esse nequit (prop. 9.): prius falsum, ne quid majus dicam (prop. 21.); & hoc igitur ad minus incertum.

Scholion. Ea cum sint, nemo non videt, opinor, non posse hujusmodi opinionem defendi, nisi simul mentis incorporalitas periculo exponatur. Ita ego quidem arbitror: Materialistarum propriam eam doctrinam esse existimo, quippe quæ est cum suis principiis consentanea. Nec mirum est eam tantopere Lockio placuisse, nisi ei, qui ignoret eum in natura animi Dicæarcho consentire. At scholarum dialecticos remis, ut inquiunt, velisque eam opinionem promovisse, incorporalitatis animorum alioquin tenaces, id certe mirum esse posset, nisi compertum esset, sæpe philosophos principiis suis minus accommodate philosophatos esse. Quid? inquit aliquis, & conscientiæ, & sensuum evidentiæ vale dicemus? Omnino, nisi animi incorporalitati vale dicere velimus. Durum est, inquiunt, adversus evidentiam sensuum philosophari. Durum proculdubio, ubi ulla argumenta eam evidentiam in dubium revocent. Nunc vero, quando hæc cum manifesta mentis nostræ natura non consentiunt, suspecta sint oportet. Nec in hac re primum discimus, quam parum tuta sit sensus & phantasiæ evidentia, ubi nullis rationis adminiculis fulciatur. Nam certe ea decepit turpissime majores nostros in optica, in qualitatibus sensiferis, aliisque innumeris. Cui accedit, quod quum ideæ esse non possint nisi formæ rerum, quas referunt, qui dicit ideas a sensibus provenire, is dicit etiam motiones in sensibus & cerebro factas (nihil enim aliud ab objectis externis excipiunt sensus) esse ejusmodi formas. At quis serio dixerit in his motionibus formas contineri rebus, unde proveniunt, similes? Quod si dicatur, non motiones istas formas esse & ideas, sed causas idearum efficientes, id magis etiam improbabile est: causa enim efficiens continere debet rationem sufficientem essentiæ sui effectus: quum autem essentia ideæ sit posita in eo, ut sit forma continens realitatem objectivam rei, cujus est idea; motiones illæ continere debent rationem sufficientem ejus objectivæ realitatis; quis vero dixerit id in puris motionibus, idest mutatione figuræ, situs, loci, partium sensuum & cerebri, contineri? excitatur, inquis, ab iis motionibus mens, eoque sibi ipsa ideas conficit. Primum, vide ne vocabulum hoc *excitari*,

si nullus est inter mentem & corpus influxus physicus, vocabulum sit *nihili*. Deinde ergo, dum excitatur mens, pertransit ne aliquid ex corpore in illam, necne? si primum, profecto corporeum: quid enim aliud? nisi iterum in scenam *intellectum agentem* producere velis. At qui id fieri potest, salva animi incorporalitate? si nihil, ne excitatur quidem: ipsa sibi rerum ideas, quas ignorat, divinando procreabit. Qua ex re & illud patet quam obscura & pugnantia ii loquuntur, qui dicunt, positis motionibus cerebri ab objectis externis, mentem ipsam sibi rerum ideas procreare, seu eas percipere, in qua opinione est Arnaldus. Id enim est *effectus* ponere sine ulla *ratione sufficiente*. Quid igitur nobis faciemus? Nempe illud *ου μαλλον*. *Quam bellum est fateri te nescire quod nescias, quam isthæc effutientem nauseare?*

SYSTEMA MALEBRANCHIANUM.

FRanciscus Nicolaus Malebranchius in tertio libro eorum, quos de *inquirenda veritate* præscripsit, ad sex summa capita referri posse animadvertit quæcumque super origine idearum scripta sunt. 1. Ut mens in seipsa omnes perfectiones rerum, quæ cognosci possunt vel *formaliter*, vel *eminenter* contineat. 2. Ut simulacra rebus externis similia ab iis manent, atque per sensus mentem penetrent. 3. Ut mens polleat virtute sibi ideas producendi, quæ respondeant motionibus corporeis. 4. Ut Deus sub initium exsistentiæ cujusque animæ rerum omnium, aut saltem earum, quas perceptura sit, ideas in eis inscripserit. 5. Ut ex occasione motionum corporearum perenniter illas in nobis Deus creet. 6. Ut tandem uniatur Deo ipsi, in quo omnia videre possit. Variis de causis priores quinque sententias refellit. Primam quidem ut manifesto falsam: alteram, utpote quæ nec intelligi possit, & maximis difficultatibus sit implicita; qua de re superius actum a nobis. Tertiam tanquam quæ mentem Deo exæquet virtute illa idearum creatrice. Quartam cum finita animæ natura pugnare contendit, ut in eo infinita hujusmodi *entia repræsentativa* contineantur. Quintam indignam Deo censet, qui non longiori & difficiliori, sed breviori, & faciliori semper via operatur. Superest sexta, ut scilicet omnia in Deo videamus.

Atque ut hæc confirmat animadvertit, esse in Deo mun-

mundum intelligibilem, in quo rationes omnium & notiones contineantur, &, ut Seneca loquitur, formæ quibus Deus est plenus, quasque ideas appellat Plato. Quocirca, si mens νοῦσα cum Deo uniatur, fieri nequit, quin in illo videat quæcumque intelligit. Conjunctam autem esse mentem cum Deo & quidem arctius, quam cum corpore, non est quod dubitare possimus: nam quum Deus sit infinita *extensio spiritualis*, non potest non esse spirituum locus, quemadmodum spatium locus est corporum: ita arctius mentes Deo immenso, quam corpora spatio copulantur. Præterea unio mentis & corporis neque menti *essentialis* est, neque corpori: sed *essentialis* est unio mentis cum Deo; cujus rei argumentum est, quod si priorem unionem recidas, nihil menti detrahes: at non potest posterior abrumpi, quin mens in nihilium redigatur. Tum vocat in subsidium divinos scriptores. David, *qui docet hominem scientiam* (*a*). Paullus prædicat, *Deus non longe est ab unoquoque nostrum: in ipso vivimus, movemur, & sumus* (*b*): Jacobus *Deus est pater luminum* (*c*); *qui manifestat philosophis, quæ illi sciunt* (*d*): *qui est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*e*). Passim quoque Augustini auctoritate opinionem suam fulcit. Sane Augustinus in toto libro *de Magistro* conatur demonstrare, hominem nihil sensibus discere posse, nec ulla alia via, sed a Deo, qui intus in corde loquitur, erudiri: adeoque verum illud esse Scripturæ *unus est magister vester, qui in cælis est* (*f*). Quem librum ille quum retractasset (*g*), tantum abest, ut de sententia animum dimoverit, ut confirmaverit potius. Sed & in aliis libris idem docet. In primo Soliloquiorum, *Deus*, inquit, *intelligibilis lux*, *QUO*, *& a quo*, *& per quem intelligibiliter lucent omnia*. Repetit idem sæpe in libris *de Trinitate*, & in *Confessionibus* (*h*).

Si quis autem eam opinionem e Platonis schola originem cepisse dicat, haud plane erraverit. Enimvero Jamblicus licet mundum *noeticum* & *archetypum* ani-

N 2 mis

(a) *Psal.* 3. ℣. 10. (b) *Act.* XVII. ℣. 28.
(c) *Cap.* I. ℣. 17. (d) *ad Rom.* I. ℣. 19.
(e) *Joan.* I. ℣. 9. (f) *Matth.* XXIII. ℣. 10.
(g) *Lib.* I. *Retract. cap.* 12.
(h) *De Trinit. lib.* XIV. *cap.* 3. *& alibi Lib.* X. *Confess. cap.* 26.

mis humanis participari a Deo asserat, in eoque intelligi a nobis cuncta; passim tamen edisserit lumen quoddam intelligibile, quod sit Deus, & in quo omnia cognoscamus. *Etenim*, inquit, *si unquam aliqua re & modo potentes esse videamur ad agendum, hoc solo potentes efficimur, quantum participando, & radios hauriendo divinitus, divina actione perfruimur* (a): item, *veritatem spectare mundum intelligibilem, eamque mentem tum clare pervidere, cum melioribus se copulaverit, naturæ scilicet divinæ* (b). Ac in Segm. primo cap. 9. sic diserte scribit, *Perstat in sese erectum & stabile lumen divinum, & tamen omnia penetrat, percurrit omnia, a seipso autem nunquam excurrit. Permeat universum, cernitur omnibus locis, omnibus partibus mundi.* Eo lumine non creari ideas, sed tantum in mundo intelligibili exsistentes detegi, secundum Platonem docet (c): nempe rerum ideæ his æternæ sunt omnes, & ουσιωδως *substantialiter*.

Jam Plotinus prolixe de unione mentis cum Deo disserit (d). Inter cetera, quæ eo in loco dicit, est, *mentem in contemplando* ENTE, (ον, quo nomine Deum vocabant Platonici) *totam esse occupatam*. Etiam illud addit, *ens eo ipso, quod intelligitur a mente, dare illi &* INTELLIGERE, *&* ESSE. Quæ chaldaicæ philosophiæ valde sunt similia. Noluerim tamen affirmare nihil esse in Malebranchio, quod veteres illi non opinati fuerint; similia tantum dico. Nam ceteroquin si indulgere phantasiæ velimus, & emphases scriptorum in doctrinis habere, Homerum ipsum systematis malebranchiani primum conditorem dicere possimus, quippe cujus exstat insignis locus in Odyssea XVIII., in quo docet Deum quotidie ad cogitandum hominum mentes modificare.

Τοιη γαρ νοος εστιν επιχθονιων ανθρωπων,
Οιον επ ημαρ αγησι πατηρ ανδρωντε θεωντε.
Talis enim mens est terrestrium hominum,
Qualem quotidie ducit pater hominumque deorumque,

in quo notanda est emphasis τω αγησι: majus enim aliquid est, quam quod interpres latinus verbo *ducit* explicare credidit.

Adversus systema illud Malebranchii primum Arnaldus libro

(a) *Segm.* 3. *cap.* 19. (b) *Ibid. cap.* 3.
(c) *Serm.* 1. *cap.* 2.
(d) *Æneid.* v. *lib.* 1. *cap.* 4.

libro *de veris & falsis ideis* scripsit: cui Malebranchius respondit an. 1684. Roterodami. Accessit Petrus Poiretus, qui quamquam opinionem foveret non longe a malebranchiana dissimilem (*a*); tamen Malebranchium accurate refellit (*b*). Lockius & ipse egregiam eamdem in rem commentationem edidit (*c*); tum Georgius Pritius dissertationem emisit *de Enthusiasmo Malebranchii*. Neque quisquam, quod sciam, alicujus nominis Malebranchii defensionem in se suscepit.

Prop. XXXV. Malebranchianum systema. 1. puerilibus inaedificatum est rationibus. 2. est incertum. 3. secum pugnans. 4. absurdum.

D. Prima pars. Malebranchii argumenta duorum sunt generum *rationis*; & *auctoritatis*. Prima duo. 1. quod mens ἀσιωδῶς cum Deo uniatur. 2. quod nullo alio systemate intelligi possit natura & origo idearum. Primum tam est nihili, ut ipse Malebranchius animadvertat, eam unionem non sufficere, ut mens in Deo videat, quae intelligit, sed necesse praeterea esse, ut ei Deus ideas hujusmodi detegat. Enimvero unio haec inter mentem & Deum, nisi dicere velit esse *vocem sine sensu*, duo nobis significare potest, primum unionem substantiarum. 2. unionem operationum. Primum nec sufficit, ut mens intelligat, nisi secundum accedat; & esse nequit, nisi simul mens Dei aut pars, aut modificatio esse dicatur; quod nec Malebranchius dixerit, nec dici potest (prop. 19.). Alterum est idem atque dicere, mens unita est Deo, quia communicatione idearum & luminis Dei intelligit omnia; quod est ignotum probare ex ignoto, aut *petere*, ut inquiunt, principium.

Magis etiam puerile est secundum argumentum. 1. Quinque alia systemata probabilibus rationibus confutavit Malebranchius, non certis probationibus. 2. Est id *argumentum ad ignorantiam*, ut inquiunt. Non enim idcirco quod aliorum hypotheses sint falsae, mea erit vera; & possunt ut quinque illi priores, ita sextus hic aut errare, aut ignorare. Qui ita argumentatur esse certus debet primum, rem, de qua disserit, sciri posse; deinde sciri a se posse.

(a) *Vide lib. 3. de oeconomia divina.*
(b) *In cogit. rationali lib. 3. cap. 10.*
(c) *Locke Oeuvres diverses tom. 2. pag. 146. edit. secundae.*

At duo hæc non sine intolerabili temeritate pronunciaverit Malebranchius (*a*). Itaque, nisi alia argumenta accedant, duo superiora nihil omnino conficiunt.

Jam in argumentis ab auctoritate desumtis systemati suo indulget vir doctus. Primum Scripturæ dum doceat Deum homines illuminare, id duplici cum notione pronunciant. 1. Quod ratio, quæ velut lumen mentis est, a Deo fit & conservetur. 2. Quod Deus rationem hominis naturalem *prophetia*, seu *revelatione* emendet & perficiat, qua ratione lex divina dicitur *lucerna ardens ante pedes*, prophetia *lumen in tenebroso loco lucens*, & Christus *lux*, *veritas*, *via*. Turpissime ergo loca illa Malebranchius contorquet, & de genuino sensu perturbat, ut genio suo litet. Deinde frustra nititur auctoritate Augustini: nam 1. in ea sententia, quæ non religionem, sed philosophiam spectat, Augustinus singularis est cujus idcirco nomen nemini potest vim inferre, ut auctoritati cedat etiam sine ratione. 2. Augustini præceptum est, nullius hominis auctoritati concedendum, nisi quatenus aut divina auctoritate, aut naturæ probabili ratione utatur. 3. Est in illis Augustini locis aliquid emphaticum, quod non licet in hanc causam deducere. Quo modo si quis dicat Deum solum vere esse, non ita capiendum est, quasi nihil sit præter Deum, sed nihil esse sine Deo. Ita *Deus est ratio omnium*, non ita capias ut nulla sit ratio ipsa per se intelligere, nisi Deus: sed ita ut nulla sit sine Deo. Quod si quis est, cui ad Platonicos quoque appellat, non is melius causæ suæ consulit, nisi simul ostendat, quibus illi rationibus fulfulti in eam opinationem venerint: alioquin si fanatico fanaticum alterum addas, non duos doctores, sed duo erunt fanatici.

Nil agit exemplum litem quod lite resolvit.

Secunda pars: nam quum ea opinio nullis aliis argumentis nitatur præterquam hominum fanaticorum libidine (ex hujus p. p.); esse certa non potest. Præterea saniores philosophi adunco omnes naso eam excepere: certa ergo esse nequit, nisi apud eos, quibus persuasum est, esse aliquid, quod conturbata mens melius videre possit, quam constans. Et mirum certe esse posset, virum non ignarum criterii veri-

(a) *Vide Lockium Examen du sentiment du P. Mallebranche loco superius citato.*

veritatis, in mathematicis versatissimum, tàm pertinacem in ea fuisse opinione, nisi exploratum esset, neminem esse, qui non aliqua insaniat. Sed ut peccent multa omnes,

Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est
Qui minimis urgetur....

in hoc tamen Gallus Metaphysicus *communi sensu plane caret*, si quid aut cerno, aut video, quod mihi dulces

Ignoscant, si quid peccavero stultus, amici.

Tertia pars. Videri aliquid in aliquo cum duplici notione accipi potest, quemadmodum præclare est a S. Thoma observatum. 1. *velut in objecto cognito*. 2. *velut in lumine & in principio*. Priori modo imagines in speculis videmus: posteriori modo colores in lumine (utor veteri illo exemplo), aut in axiomatibus conclusiones. Rogo qua cum notione Malebranchius accipit? Si cum priori; objectum etiam ipsum cognitum exploratumque habeamus oportet; quod nunc tantum abest ut sit verum, ut potius plerique reperiantur, qui aut nullam, aut adeo confusam Dei notionem habent, ut ignorare Deum melius, quam scire dici possint. Deinde quum Deus non sit nisi simplex quædam natura, *totus animus*, *totus animi*, ut Plinii verbis dicam, idest simplex intelligentia, si mentes nostræ in Deo omnia vident, id fieri nulla alia ratione potest, quam intuendo divinam intelligentiam, quæ ideis omnium possibilium æquivalet; atque ita nihil ignorare Mentem humanam oportet. Non omnia, inquit Malebranchius, detegit Deus. At pugnantia videri possunt eùs simplicissimum videre, nec tamen integrum: sed id demus. Si quæ detegit; certe non inutilia, nec noxia, sed quæ maxime in rem nostram sunt, detegit: quod nunc contra est; quum maxima idearum humanarum pars inutiles sint, & pleræque etiam noxiæ. Præterea cur quum omnes mentes æque Deo conjunctæ sint, non omnes tamen æque vident. Cur eadem mens in pueritia, adolescentia, virilitate, senectute non eadem nec ex eodem adspectu? Cur quum promtuarium idearum nostrarum Deus sit semper idem, memoria nostra non eadem semper? Quinimmo miror super eam doctrinam ullam in cerebro Malebranchium memoriam statuere potuisse. Ad hæc, quid est cur quidam diu laborent in continuatione idearum percipienda, quum alii nullo eamdem negotio intelligant? Tum cur morbis notitia rerum amittatur? nec enim quidquam causæ est, cur

Deus ita nobis a morbo aliquo irascatur, ut priores ideas occultet. Cur jam amentes homines sunt? Cur divinarum legum ignari evadunt & contemtores? nam, si quid hominibus Deus patefacit in seipso, eæ profecto sunt divinæ leges, quam tanta cura illis inculcat: non vero fit ut nihil minus hominum magna pars apud se reputent. Accedit eodem quod mentes Deo semper ἀσιωδῶς unitæ nullo modo esse possent miseræ: an eum miserum dices, qui summo ipsi bono perpetuo conjunctus est? Infinitæ sunt hujusmodi conclusiones inter se, cum evidentia, & cum systemate malebranchiano pugnantes; quas qui concoquet, eum nunquam sanum habuero. Videant igitur Malebranchiani, si qui ulli sunt, ne nos, dum intelligentes facere conantur, insanos faciant.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Quod si cum secunda notione *videre omnia in Deo* accipiat, tum tantumdem est, atque ope divini luminis, idest, rationis naturalis, intelligere, quæ intelligimus; quod nemo inficiabitur: at id nec novum est, & tanto rerum apparatu non indigebat.

Quarta pars. Nam quæ opinio cum intima conscientia, experimentis hominum omnium perpetuis & claris, cum divina quoque revelatione pugnat, ea absurda est: est autem talis malebranchiana hypothesis. Primum quo quis conscientiam suam consulit attentius eo clarius intelligit, quavis potius alia ratione res extra positas cognoscere, quam in Deo, a cujus clara & distincta cognitione tam sunt mentes nostræ dissitæ, ut non inscite docuerint scholæ philosophi, *Deum via remotionis cognosci*. Deinde phænomena humanæ scientiæ ignoratio, errores, cognitiones rerum nihili & ridiculæ, concertationes super rebus iisdem, arcta copulatio mentis cum sensibus, phantasia, temperamentum corporis, phœnomena memoriæ, quæ colligi possunt plurima, omnia cum malebranchiana illa sententia pugnant. Tandem, si omnia in Deo videmus 1. omnes natura ipsa sumus prophetæ: nec vero οἰονοπόλοι, *auspices*, aut ὀνειροπόλοι, *somniorum interpretes*, sed μάντεις *vates*, divino furore pleni. Qui ego μάντεις memoro? Quid enim affinis habet μαντικὰ *furor* cum placida illa Dei intuitione? Quin vatem hujusmodi furentem deridet Euripides

Ὃς ὀλίγ' ἀληθῆ, πολλὰ δὲ ψευδῆ λέγει

Τυχὼν

Τυχων. οταν δε μη τυχη, διοιχεται
Qui pauca vera, multa vero falsa dicit
Forte fortuna. Quod si fortuna non arriserit, arte elabitur (a).

Nos vero, quos non adytorum vapores agitant, sed Deus ipse replet docetque, an vaticinari falsa poterimus? Sed illud diviniſſimum nacti ſumus, quod quum nemo unquam prophetarum perpetuo Dei ſpiritu afflaretur, ſed ſubinde, & per vices: nos continenter ac perpetuo prophetæ ſumus.

2. Revelatio externa, & externa legislatio ſunt inutiles. 3. Inſcite monent ſcriptores divini, Deum a rebus *viſibilibus noſci, & per ea quæ facta ſunt*. 3. Fruſtra nobis beatitudinem promittunt aliam, quum non poſſint mentes arctius, quam quod uniuntur in Malebranchiano ſyſtemate, cum Deo uniri. Mitto alia ſexcenta. At illud certe omitti nequit, quod unio hæc ſubſtantialis mentis cum Deo nequeat intelligi, niſi in Spinoziſtico ſyſtemate. Enim vero ſi Deus locus eſt mentium, ut ſpatium corporum, ita mentes cum Deo penetrabuntur, quemadmodum cum ſpatio corpora: at ita ut Dei partes erunt aut modi, aut Deus ipſe. Neque ego unquam alias cenſui, aut cenſere poſſim, ſalva religioſi viri pace, quam Malebranchianum & Spinoziſticum ſyſtema verbo tantum tenus diſtare, revera unum eſſe idemque; quod fautores ignoſcent, ſi paullo confidentius dico: nam veritas potior eſt & antiquior philoſophis. Quamquam quis tam Malebranchii fautor inepte eſt, ut non hoc fateatur? Ignoſcendum interea ſæculo, in quo opera Carteſii, aliorumque Platonicorum quædam placita æquo juſtius provecta erant. Nam certe Malebranchius

Si foret hoc noſtrum fato dilatus in ævum,
Detereret ſibi multa, recideret omne quod ultra

recti fines trahi poteſt, iiſque legendis, quæ in eum ſunt congeſta,

Sæpe caput ſcaberet, vivos & roderet ungues.

SY-

(a) *In Iphig. in Aul. v. 956.*

SYSTEMA IDEARUM INNATARUM.

QUicumque mentium humanarum προϋπάρξιν præexsistentiam philosophi sibi persuaserunt, iidem ideas omnes ingenitas cum mente esse credidere, in primis Platonici. Ideas ii omnium rerum æternas, & subsistentes posuere, quas primum Deus mente sua & intelligentia complecteretur, deinde Diis minoribus, & mentibus participaret. Hinc illud Socratis *scientiam nostram esse reminiscentiam*, nec philosophia discere nos quidpiam, sed excitari, & in veteris scientiæ memoriam revocari (*a*). Sed ea Platonicorum opinio, postquam una regnare cœpit Aristotelis secta, apud paucos custodita. Quum literæ Europææ instaurarentur Renatus Cartesius iterum ideas innatas prædicare occœpit, sed significatu longe a Platonicis diverso: ideas enim innatas vocat non formas aut a Deo menti participatas, aut in animo insculptas, *quæ sint aliquid diversum ab ejus facultate cogitandi*, *sed earum cogitationum formas*, *quæ cogitationes*, *nec ab objectis externis*, *nec a voluntatis determinatione proveniunt*, *sed a sola facultate cogitandi*, quasi nempe necessitate naturæ a mente ipsa manantes, si recte accipio (*b*). Ejus philosophiæ fautores tenuerunt id constantissime, & longius etiam quam Cartesius provexere in primis Henricus Morus (*c*), qui σπέρματα, ut Stoici loqui amabant, *semina* scientiarum cum theoreticarum, tum maxime moralium menti a Deo indita arbitratur. At Sylvanus Regis negat quidem ideas innatas esse menti concreatas, aut insculptas, sed notionem Dei, corporis, animi statim innasci putat in mente atque cum corpore conjuncta est, easque tres notiones ideas innatas appellat (*d*). Leibnitius vero cum idea totius universi creatam mentem opinatur, qua de re superius. Graves philosophi non omnes modo e schola, sed politiores alii Petrus Gassendus, Thomas Hobbesius, Malebranchius, Joannes Lockius, Andreas Rudigerus, ut minores alios omittam, ita omni ex parte adversus hæc invecti sunt,

(a) *Vide Theethetum Platonis*.
(b) *Responf. ad art.* 12. *programmatis Belgici ann.* 1647.
(c) *De immortal. animæ*.
(d) *Usage dela raison*, *& de la foy lib.* 1. *part.* 1. *cap.*7.

sunt, ut vix hodie in Europa reperias, qui sit nominis alicujus, ejus doctrinæ patronum. Nempe negatum humanis stare diu?

Prop. XXXVI. Nequeunt ideæ omnes esse menti concreatæ.

D. Nam aut ideæ hujusmodi idem sunt ac perceptiones, aut formæ a perceptionibus distinctæ. Si primum, omnes, quas unquam habere mens potest, perceptiones simultaneæ sunt, quod conscientiæ adversatur. Si alterum, necesse est tot distinctas ponere in animo insculptas formas, quot ea, quoad est & intelligit, habere potest, idest non modo infinitas, sed infinities infinitas, quod pluribus ostendit Malebranchius: id vero cum finita mentis natura pugnat. Non omnes igitur ideæ ingenitæ esse possunt.

Præterea si hæc sola est idearum origo, & corporum quoque omnium, eorumque qualitatum, quæ nobis tactu, gustu, auribus, oculis percipi videntur, & variarum corporearum rerum terrestrium, aut cœlestium ideæ ingenitæ erunt. At id principio nemo sobrius sanusque dixerit: deinde, si quis dicit, is etiam dicat necesse est, esse eas perpetuo menti præsentes; neque enim quicquam in simplici animi natura inesse potest, quin sit illi semper præsens: quod si præsentes, semper eas percipit: non autem semper percipit; ne ergo præsentes quidem; neque idcirco innatæ.

Tum, si id se ita habet, memoria erit idearum cella penaria & quidem in mente: nullo ergo corporis morbo imminui aut deperdi, nullo remedio juvari poterit; quod nunc contra est.

Prop. XXXVII. Nisi omnes ideæ sint innatæ, hypothesis idearum innatarum inutilis est ad originem idearum explicandam.

D. Nisi omnes sint innatæ, agnoscenda est altera via, qua reliquæ proveniant; ita ambages iterum & incertitudo super origine maximæ idearum partis.

Præterea nisi omnes sint innatæ, erunt quædam adventitiæ: a Deo ne illæ, an a sensu & conjectura? Primum nec ullo modo probare possunt; & si verum est, intelligi nequit, cur non potius simul cum innatis aliis eas in mente procreaverit Deus, quam paullatim, & successione atque per intervalla. Nec id dico, quasi id esse nequeat; sed ut intelligatur, eos, qui ita arbitrantur, nullas habere opinio-

nionis suæ probationes, sed quodcumque venit in mentem effutire divinando. Si dicatur postremum, quum ex eo demonstratu facile sit, eadem via omnes reliquas, quæ non adventitiæ statuuntur, gigni posse; doctrina idearum innatarum inutilis erit & superflua: nec enimvero in rebus naturæ præter eas, quæ necessariæ sunt & sufficientes, nisi inscitissime, causæ aliæ induci a philosopho possunt.

Prop. XXXVIII. Systema idearum innatarum nullius usus esse potest ad idearum originem explicandam.

D. Non omnes ideæ esse possunt innatæ (prop. 36.): & nisi omnes sint innatæ, inutilis ea opinio est ad idearum originem explicandam (prop. 37.); id igitur systema omnino inutile est & supervacaneum.

Prop. XXXIX. Fautores doctrinæ idearum innatarum, nisi omnes ideas ponant ingenitas, rogati ecquænam sint innatæ, nullam proferre possunt, quam non facile sit ostendere via eadem, qua reliquas oriri opinantur, sensu nempe & conjectura, provenire posse.

Enim vero præcipuæ, ad quas appellant, sunt idea Dei, ideæ primorum principiorum cum scientiarum theoreticarum, tum maxime etiam moralium, ideæ abstractæ numerorum, & proportionis, atque ejusmodi aliæ. At earum nulla est, quæ si quidpiam sensu & conjectura percipit mens, non possit ostendi & eam inde originem trahere. Nam Deum velut primam mundi causam effectricem & conservatricem ex exsistentia, qualitatibus, structura, ordine, finibus rerum mundanarum ita posse intelligi, uti ex effectis causæ aliæ, tam perspicue demonstratum est a viris doctis B. Thoma, Lockio, Derham, Niewentitio, Clarkio, aliisque, ut qui id inficiatur non modo impietatis, sed stupiditatis argui possit. Deinde prima scientiarum axiomata, & principia, ut in Geometria, ex simplici collatione idearum nasci, id adeo est exploratum, ut supervacuam existimem operam omnem, quam in ea re demonstranda impendit Lockius. Principia quædam moralia *Deum amandum ac timendum super omnia: omnes homines ut æquales spectandos: nihil alteri faciendum, quod tibi fieri non vis:* hæc, inquam, ex ideis Dei, hominum, naturæ societatis, utilitatis & nascuntur & corroborantur. Quamquam in hoc ego patronos Platonicorum miror, qui dum ideas innatas tueri student, judicia quoque & ratiocinia innata mentibus esse pronunciant. Quod utcumque excu-

excusari in Platonicis possit, quippe quod est eorum doctrinæ de præexsistentia animorum conforme: in his, qui ab illa doctrina descivere, membrum videri potest sine capite, conclusio ex negatis principiis. Jam vero eodem modo ideæ numerorum, proportionis, aliæque abstractæ explicari possunt: nascuntur enim illæ, aut divisione idearum sensibilium, aut meditatione & conjectura; quam rem isti negare ut impossibilem nequeunt, quo usque sensibus & conjectura quidquam percipi fatentur (1).

Schol. Quid igitur, inquit aliquis, ex superiori disputatione conficiemus? nempe esse in humanis disciplinis plurima, quæ ii quidem, qui ad eorum penetralia, atque adita non accessere, sibi satis sapere videntur: at qui naturæ peplum audaci manu amovere tentarunt, ut nudis eam oculis contemplarentur, plerumque ignorant. Quam, ajunt, viam ac rationem inibimus, qua scientias atque artes nobis comparemus, quando incertum est, unde eæ ad animum permeent? Perridiculum hoc ego putaverim, si quis serio roget. Ut nihil adhuc in physicis certi est, qua ratione semina multiplicentur, qua animantia. Unum

(1) Animadvertendum est hoc in loco, esse quasdam inter homines notiones, quædam rationis percepta, scita, comprehensa, quæ homines ipsi per se a nullo edocti habent omnes, seu a sua ipsorum natura in ea advertenda impellantur, seu a natura rerum, quæ æque omnibus subest, excitentur, seu a ratione & intellectu admoneantur. Ita veritates quædam, quæ numerorum computationem, multiplicationem, divisionem spectant, suapte natura ab omnibus intelligi possunt: item principia quædam proportionum quum aritmeticarum, tum geometricarum, quæ operis ipsis omnes scire profitentur. Nam esse 2 : 2 : : 6 : 6, & 6 : 3 : : 8 : 4, & 3 : 9 : : 10 : 30 : & radicum æqualium æquales esse potestates, & sexcenta ejus generis; solam poscunt vocabulorum explicationem, quo communi ratione intelligantur. Tum quædam aut nos ipsos, aut rerum naturas spectantia sunt inter omnes communia, quibus communis natura, eademque rerum universitas oculis objecta, *Innata* hæc vocari possunt, ac vocantur quandoque a viris doctis, suntque hoc sensu innata. Quibus nos minime refragamur, qui qua notione hæc ingenita principia in dubium vocaverimus dilucide explicuimus. Quod si quis ingenitas & communes hominibus omnibus notiones, ea, qua hic accipimus significatione, negare in animum induxerit, is dupliciter peccabit. Nam & imperite communi hominum sensui ac experientiæ adversabitur, & omnem hominum inter se societatem abrumpet, quæ nulla esse potest, ut alibi adnotatum est, ubi nulla inter se communi ratione copulentur. Neque enim ego aliunde clarius deduxerim ad communionem vitæ homines generari, quam hinc, quod ii communis cujusdam rationis sint participes, sine qua ut sese mutuo intelligere nequirent, ita nulla communione sociari.

Unum ne semen infinita complectitur? unum ovum infinita sui generis animantia? An quidquam est aliud, quo ea procreentur? æque incerta. Nec tamen agricultores, pastores, hominesque ceteri minus illi veteres artes excolunt: serunt, sexus jungunt. Nonne amentis esset hominis, physicorum disputatione ab ea, quam natura ipsa pandit viam, abstinere, atque in ea ingredi dumeta, unde regredi non liceat? Memini ego virum satis bonum, nec prorsus litterarum expertem, quum audisset disputari, solis ne motu, an telluris noctes diesque fierent, sollicitum interrogasse, quid igitur faciemus horologiis? Nam actum est de illis, si hæc ita sunt dubia, ut audio: ad quæ adolescens geometra, ut sunt illi omnes irritabiliori diaphragmate, continere se non potuit, quin altos tollerent cachinos. Nemo hucusque vir ulla in arte aut scientia extitit magnus, quin sensus & rationem excoluerit constanter. Ea ire & nos nepotes necesse est. Habeant has disceptationes otiosi philosophi: nos naturam teneamus, sine qua nemo nisi stupidus fuerit: ultra quam, fanaticus. Meminerimus, quæ sunt sæpe dicta, non in hoc fuisse nos a Deo procreatos, ut universi prima stamina causasque interiores in numerato haberemus, sed ut cortice, effectisque uteremur. Præclare Homerus (a)

Ζευ κυδιϛε, μεγιϛε, κελαινεφες, αιθερι ναιων·

Deum & inclitum, & summum, & obscura nube tectum invocat, quo non primam tantum causam in abdito esse significet, sed maxima quoque ex parte id opus, quod illa machinata est, quodque se ac numine suo implet, occultisque atque mirandis viribus legibusque moderatur.

CAP. IV.

De humanæ mentis libertate, ejusque extensione.

Prop. XL. **M**Ens humana est libera, sed intra quosdam fines ea continetur libertas.

D. Libertas est ea mentis facultas, qua ex ratione boni vel mali propria, nec invita, & cum animi voluptate operatur (def. 14.): quæ videlicet appetitiones animi, curiositatem, voluntates, impetus vis concupiscibilis, aut irasci-

(a) *Iliad. B. v. 912.*

scibilis huc, illac flectit, atque nunc inhibet, nunc fræna laxat; moderatur denique: plurima autem ex propria boni vel mali ratione & conscientia, nec inviti & animi cum voluptate perpetuo omnes operantur (ex intima conscientia); appetitus nempe aut excitant sæpe numero, aut excitos impellunt, premunt, flectunt, moderantur; quod ii ignorant, qui eo venere stupiditatis, ut sint, necne, nesciant; est igitur mens humana libera. Quod primum.

Jam quædam sunt, quæ inviti patimur & cum ægritudine, quædam alia quæ imperio animi minime sunt subjecta, non in corpore tantum, verum etiam in ipsa mente; quædam, ad quæ potentia naturæ nostræ non pertingit: nam sæpe appetitus subito erumpunt & vi quadam mechanica, idest irritatione physica instrumenti; sæpe adeo sunt prævalidi ac furentes, ut omnem rationem occupent; sæpe adeo contumaces ut nulli imperio parere ament: sæpe vires nostras excedit aut quo appetitus invitat ire, aut id cavere, quod exhorret: vires plerumque deficiunt irascibili: deficiunt timiditati. Et hæc ejus sunt generis, quæ homines sibi animi & naturæ suæ conscios latere nequeunt. Hæc omnia cum moderamini rationis nostræ non subsint, ne libertati quidem subesse possunt (def. 14.), quæ nulla est sine ratione, minor, ubi minor ratio, perfectissima, ubi perfecta, & sui semper compos, & sibi constans (1).

Schol. Irritavit quosdam, me scripsisse, id quod voluntarium est nec invitum esse, & cum animi fieri lætitia ac volu-

(1) Tota hominis libertatis binis verbis absolvi potest, ac digito, ut ita dicam, demonstrari. Exploratum est, causas necessarias agere semper secundum totas suas vires: lapides totis viribus decidunt: elateres totis viribus objecta obstacula repellunt; ignis, aqua, ceteræ naturales ac necessariæ causæ totis semper suis viribus agunt: quod nunc in nobis non contingit. At vero, nisi vim manifestam conscientiæ facere velimus, ex intima experientia quilibet persentiscit, posse se parte virium agere. Ut ecce, quum abacum hunc primum parva vi digitis premo; mox majori; deinde paullo etiam majori; postremo quanta queo; nemo dixerit, me non potuisse premere totis viribus, quum parte premebam; nam alias ne postremo quidem id potuissem. Qui ergo parte virium agere possum, ac majori, vel minori, prout lubitum fuerit, cogor fateri, me non necessario agere, idest esse liberi arbitrii. Itaque nisi hoc sit perspicuum, non video, quid in ideis humanis clari aut perspicui esse possit.

voluptate. Quos ego primum sibi esse ignotos ajo: alioquin qui ignorare possent, nihil quod agamus libere, molestum esse? In ipsis mixtis actionibus, veluti, quum ne mergamur, bona mergimus, status est animi ex utroque affectu mixtus: nam quod libere volumus, ut vitam servemus, id cum voluptate est: sed turbat hanc voluptatem necessitas, qua quasi vitæ partem projicere cogimur, ut alteram servemus. Deinde non videntur nec in philosophorum libris satis versati, nec in theologorum. Nam Thomas Aquinas non uno loco ait, quod involuntarium est, *cum dolore esse*, ut intelligamus molestia carere quod liberum est & voluntarium. Quin Apostolus ad Corinth. II. cap. IX. v. 7. liberos largitores *hilares* vocat, atque hos ait Deo placere; ιλαρον γαρ δοτην αγαπα ο θεος. Hilarem autem plene liberum dicit: quod ostendit antithesis: dixerat enim μη εκ λυπης, η εξ αναγκης, *non ex tristitia neque ex necessitate*, hilariter igitur, idest cum animi voluptate, & lubentissime. Virtus nempe nec cogi potest, & sui læta est: το γαρ (inquit præclare Aristoteles (*a*)) κατ αρετην ηδυ και αλυπον, ηκιστα δε λυπηρον, idest, *quod cum virtute consentaneum est aut jucundum est, aut molestia vacuum: molestum autem minime.*

Prop. XLI. Motiva, quibus libertas humana se se determinat, sunt perceptiones boni vel mali, *seu bona & mala objectiva*. Nihil manifestius esse potest, si intimam conscientiam consuluerimus. In adjecta appendice copiosius id explico. At vero libertas est facultas appetitiones regens: regimus autem appetitiones animi rationibus: quæ si desunt, non eæ libere regi dicentur, sed mechanice erumpere & vagari.

Prop. XLII. Homines præditi sunt libertate *a coactione*.

D. Quæ operandi potentia nullo fato rapitur libertas est a coactione (Schol. def. 14.): est autem fatum externum Peripateticum, Democriticum, Stoicum, Spinozisticum, Muhammedanum (def. 54. primæ p.), a quibus omnibus immunes sumus, ut ibidem copiose demonstravimus; liberi ergo sumus a *coactione*.

Præterea cujus libertatis motiva proxima suppeditat ratio intima, principio agenti, ea libera *a coactione* externa est (Schol. def. 14.): at libertatis nostræ proxima motiva determinantia sunt motiva rationis) ex intima conscien-

(a) *Ad Nicom. lib.* IV. *cap.* I.

ſcientia ex propoſitione antecedente); eſt ergo ea libertas a *coactione*.

Prop. XLIII. Libertas humana eſt libertas a neceſſitate naturæ.

D. Quæ libertas regitur interna ratione, cujus actio nec mechanica eſt, nec unum in modum determinata, eſt libertas a neceſſitate naturæ; talis eſt libertas humana; nam determinatur *a bonis vel malis repræſentatis* (prop. 41.) ideſt a ratione & conſcientia, quorum activitas nec mechanica eſt, nec neceſſaria, ſi felicitatis & miſeriæ appetitum & averſionem generalem exceperis, nec unum in modum determinata, quippe quod perceptiones bonorum & malorum variæ ſint, mutabiles, vagæ, ut patet; igitur motivis nec mechanicis, nec abſolute neceſſariis, nec unum in modum agentibus determinatur.

Coroll. 1. Ineſt homini libertas indifferentiæ: nam quum libertas humana immunis ſit a coactione (prop. 42.), & a naturæ neceſſitate (prop. 43.), regaturque a motivis rationis nec mechanicis, nec activitate neceſſariis, nec unum in modum determinatis; nequit non eſſe libertas indifferentiæ.

Corol. 2. Eſt quandoque humana libertas *contradictionis, & contrarietatis*. Nam eſt indifferentiæ (corol. 1.), quæ indifferentia a motivis rationis tantum determinatur: ſunt autem rationis motiva bona vel mala repræſentata (prop. 42.), & poteſt eſſe bonum repræſentatum *verum malum*, ut malum repræſentatum *verum bonum*, quod patet: ita non ſolum ex duobus bonis propoſitis unum præ alio eligere poſſumus, ſed idem unum eligere poſſumus, aut reſpuere, & malum bono præferre.

Schol. Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, unam humanæ libertatis radicem eſſe rationem, ſeu potius libertatem humanam, quemadmodum B. Thomas docet, *eſſentialiter eſſe in ratione per appetitum operante*: *nam voluntas eſt in ratione*, inquit alicubi ex Ariſtotele (*a*). Perſpicuum quoque & illud eſt, turpiſſime in ſtatu quæſtionis hallucinari, qui libertatem ita concipiunt, ut omne motivum excludat: talis enim libertas nec ulla eſſe poteſt, & naturæ rationali repugnat (*b*). Sed nec minus erit clarum, ſi liber-

(a) *P.* 2. *q.* 9. *art.* 5. *in corp.*
(b) *Vide eumdem S. Th.* 1. 2. *tota q.* 9. & 10.

tas e fonte rationis manat immediate, non idcirco minus esse libertatem, quod *concausis aliis*, ut vocant, temperamento corporis, irritatione physica, vel morali, actione externorum objectorum, actione Dei, adjuvetur: nam exploratum est causam non idcirco desinere esse causam, quod ab aliis adjuvetur (*a*). Quousque igitur mens humana activitatem suam retinet in moderando appetitu, operaturque ex ratione boni per desiderium, mali per aversationem, etiamsi ab aliis adjuvetur causis, libera esse non desinit. Quocirca inepta sophismata sunt, quæ adversus humanam libertatem ex temperamentis, irritatione, actione rerum externarum, concursu Dei generali, vel peculiari desumuntur argumenta: concausæ tantum eæ esse possunt, quæ *causalitatem* (liceat eo vocabulo uti) mentis, & regendi arbitrium nullo modo evertunt. Sed ut plenius eam rem & accuratius pertractemus, quam dudum ea super re commentati sumus, appendiculam adjiciemus. Quæ si minus sit tironum captui adaptata, differri ejus tantisper lectio potest.

APPENDIX

Ad superius Caput.

De libertatis natura & proprietatibus disseritur accuratius.

§. I. QUum de rerum disseritur natura aut proprietatibus jamdudum monuere philosophi, quod cuique veritatis, non fallaciæ amanti in perspicuis esse potest, eam rerum naturam, eas proprietates & qualitates, eas causas quærendas esse, quæ revera sunt, non quæ esse possunt, aut, ut essent, desideramus. Nam qui quæ esse possunt, nec tamen sunt, summo capitis labore perquisivit, atque beato ita ei esse licuit, ut repererit, non magis in philosophia profecit, quam qui nihil unquam tentavit. Ea regula, quum de libertate disseritur, potissimum recolenda est. Perquirenda enim est ea humanæ naturæ libertas, quæ nobis a natura inest, & quatenus inest, non ea, quam ex libidine vellemus. Nam qui eam sui libertatem

(*a*) *Vide ut idem ibidem egregie hæc explicat.*

tem exquirunt, non quæ est, sed quam vellent, ne eam quidem, qua nos natura præditos fecit, reperiunt. Contenti ergo esse debemus iis dotibus, quibus sumus donati, nec aut alias aut majores exquirere, aut impudentius in Dei consilia inquirere, cur has potius, quam alias, aut cur non majores dederit. Quod tam est ineptum & adrogans, quam si quis exquirat curiosius, cur materiæ soliditas, cur igni calor sit inditus, & cur materia metallica aquam, aut aerem mole sua non exæquet: aut cur cum volent præpetibus pennis aquilæ, nos humi repamus. Factarum quidem rerum omnium fines, ac propterea rationes sint aliquæ necesse est: sed quæ omnia scire nec possumus, & minime necessarium est, impudentissimum vero quum arcana sapientiæ Dei perquisiveris, nec repereris, naturæ tuæ pœnitere, aut adversus Dei providentiam indignari.

§. 2. Sed omnium primum hoc in loco veterum philosophorum causæ efficientis partitiones sunt memorandæ (*a*). Ajunt igitur quum tres sint modi, quibus efficientes causæ quidquam agunt, tria item esse ejuscemodi causarum genera concipienda, aut aliæ sint *synectica*, aliæ *synætia*, aliæ *synerga*. τουτων δε των αιτιων, inquit Sextus Empiricus, οἱ μεν πλεις (dogmaticorum nempe) ἡγουνται, τα μεν συνεκτικα ειναι, τα δε συναιτια, τα δε συνεργα. Ac synecticæ quidem sunt eæ, quæ ipsæ per se, nullis aliis adjumentis, effectum procreant. Synætiæ vero quæ parem cum aliis vim ad efficiendum præstant. Synergæ, quæ vim quidem aliquam auxiliatricem afferunt, sed quæ nec integra effectus causa sunt, nec præcise concausa. Agant ex. g. Romani suis tantum copiis adversus Carthaginienses bellum, debellentque, αιτιος erunt συνεκτικος, *causa ipsa per se sola totum effectum complectens*. Pares vires præstent Latini: uterque αιτιος erit συναιτιος, *concausa*, *æque causa*. Copias tantum auxiliares Latini mittant, non eas tamen Romanis pares, αιτιον dicentur συνεργος *auxiliatrix causa*. Itaque quarum rerum sola nostra libertas causa est, earum est causa synectica: quarum ex medietate est causa, causa est synætia: synerga postremo eorum, in quibus non primas partes agit, sed subsidio tamen venit. Quo in loco animadvertendum est causam synecticam liberam non

O 2 desi-

(a) *Vide Sext. Emp. Hypoth. Pyrr. lib. III. cap. 2.*

desinere esse sui juris, si ei synerga accedat; nam quum hujusmodi auxiliares copias pro suo jure admittere, aut repellere possit, non videtur illæ libertati derogare.

Si quis nunc iis vocabulis de humanis rebus loqui velit, is pro comperto habeat, solum Deum causam esse plene synecticam: nam ceteræ causæ omnes energiam, & vim primæ & universalis in se admittunt, eaque vi & energia efficientes fiunt. Quare eæ actiones, quas secundæ, ut ajunt, agunt, partim Deo, partim ei efficaciæ debentur, quam iis Deus ipse indidit servatque. Sed illud est in animis humanis peculiare, quo corpora, brutæque animantes carent, quod efficacia altera, & a communi illa vi bruta & rebus omnibus insita, differenter sint præditi. Hæc efficacia, quæ mentibus est propria, vim alteram brutam ad lubitum moderatur. Bruta illa efficacia sæpe synætia est: hæc altera moderans αυτοξυσια; Et quidem *synectice*, si sola operetur, veluti quum prave agit: *synætie*, si pari cum Deo vi. Sed si plures ei ex nostri natura, aut ex συμβεβηκοις (*accidentibus, ac una simul concurrentibus*) accedunt, eæ synergæ erunt ut vix unquam sola operetur: nam & rerum notiones, & affectus, & voluptatis atque doloris motus ei aut ad volendum, aut ad nolendum suppetias ferunt.

Postremo animadvertatur, quas Græci συνεργα vocant, & συναιτια, nos simpliciter *concausas* toto hoc loco *dicere*: tam enim existimamus esse concausam quæ majorem, quam quæ minorem vim præstat; modo ne totam. Quibus perspicuitatis gratia definitis, in liberi nostri arbitrii concausas & instrumenta modo inquiramus acute.

§. 3. Quæ omnium hominum animis libertatis notio inest, si ex sensu communi æstimetur, clara est, & naturæ nostræ sufficiens, nisi abutamur. Nempe ex communi hominum sensu is ex libertate agere dicitur, qui sua vi, & conscientia, seu ex propria boni vel mali ratione suos appetitus, affectusque moderatur; is vero ex necessitate, qui contra boni vel mali propriam rationem, ac conscientiam & invitus operatur. Itaque lubenter agere, & invite velut contraria inter homines habentur. Ne aliam quidem homines, quum de læsa libertate queruntur, expostulant. Ea si detur vivendi & operandi optio, tum se plane liberos dicunt. In motiva, & instrumenta hujus potentiæ minime illi vulgo perquirunt: sint ulla,

necne: hæc, aut alia sint: potentiora, aut imbecilliora; hac aut illa ratione nobiscum agant, perinde arbitrantur, & philosophorum, sæpe nimis curiosorum, imbelle pensum habent: quippe certi, quæcumque sunt eæ concausæ, non minus libero se uti arbitrio. Eam vero facultatem per se agendi, modo illæ ne totam præoccupent rationem consultatricem, intimitus persentiscunt; nec ullus est aut tam doctus & perspicax, aut tam stupidus, & pectoris obtusi, qui ullis sophistarum conclusiunculis ab ea persuasione se dimoveri patiatur. Eam quoque humanis rebus sufficientem arbitrantur, si recte ea uti didicerimus; ajuntque philosophos, qui tanta moliuntur, quibus liberum hoc arbitrium penes nos esse dubium faciant, non id agere ut minus simus liberi, sed ut nimis: ab omni enim nos regula abnormes, atque exleges efficere student. Sensum ego hunc hominum communem dici vix potest quanti faciam. Nam ut in iis, quæ extra nos sunt communis aut oculorum aut tactus sensus certos nos efficit corporum proprietatum, ita efficit internus virium ac qualitatum animi. Quo enim alio argumento probabo me vivere, me intelligere, voluptatem aut dolorem sentire? Me esse liberi arbitrii, quod ex meis motionibus me, appetitusque meos moderor, eodem sensu scio, quo me esse; hujus futurus incertus, si sum illius.

§. 4. Ex quibus sequitur, ut eæ actiones quæ ex ratione boni vel mali propria, idest ex conscientia, & cum animi aliqua voluptate a nobis fiunt, *liberæ* sint: quæ vero nec a ratione & electione nostra proveniunt, & vel nobis invitis, esse, aut fieri pergunt, *necessariæ*. Loquor, manum jacto, sto, aut sedeo, quia id ex mea ratione volo, liberum est. At cor, ac arteriæ velim nolim pulsant. Quum nemo sit, qui posteriores has motiones non habuerit mechanicas & *necessarias*; nemo esse potest, nisi qui insanire velit, cui primæ non sint *liberæ*.

§. 5. *Voluntas actio* est ultima *facultatis electivæ* actio, quum aliquid eligimus, aut aversamur ex interna ratione boni, vel mali proficiscens: igitur *voluntas actio* idem est atque electio, cessatio, aversatio: non igitur consistere potest sine ratione. Ergo ratio sufficiens, qua facultas hujusmodi *electionum*, *cessationum*, *aversationum* liberarum sese regit ratio est boni vel mali. Nam tota ratio sufficiens cur aliquid eligamus ratio est boni, seu potius *bonum ipsum re-*

præsentatum, & *objectivum*: & tota ratio, cur aliquid aversamur, est ratio mali, seu *malum ipsum repræsentatum*. Ac prior quidem ratio voluptate operatur: posterior dolore. Ut id etiam intelligatur, proxima operationum nostrarum liberarum motiva excitantia, quibus ratio & *facultas electiva* utitur, esse voluptatem, & dolorem, nec animum alio modo eligere, nec aversari quidquam, nisi voluptatis & doloris alicujus vi, idest irritatione excitatus. Iis instrumentis tota regitur facultas electiva (1). His jure suo utitur libertas seu sequens ac intendens, seu cohibens.

§. 6. Plures sunt hominis actiones, quæ ex voluntate manant, seu quæ, posita voluntate (4) exsistunt. Ejus rei intime conscii sumus. Ex. gr. posita voluntate movendi oculos, manus, linguam, &c. actiones istæ statim exsistunt, nisi quum organa sunt impedita. Plures quoque sunt cessationes ab agendo, quæ a voluntate pendent, veluti quum cesso a movendis oculis, manibus, lingua, &c. Idem observatur etiam in animi plerisque cogitationibus ac motionibus, seu appetitibus, eorumque usu.

§. 7. Quum dico actiones quasdam, aut cessationes pendere a voluntate, immediatam causam actionum aut cessationum synecticam specto. Nulla enim est alia immediata causa actionum aut cessationum hujusmodi, nisi voluntas, idest ultima facultatis electivæ ex ratione boni vel mali determinatio (§. 5.): sed quum voluntatis immediatum excitans motivum sit voluptas, vel dolor (*ibidem*); voluptatis autem & doloris causa procreatrix perceptio boni vel mali; & hujus irritatio physica, vel moralis; omnes concausæ sunt *παρασκευάζοντες actionum*, aut *cessationum*, *aut repulsionum*, ad quæ genera omnes actiones liberas confero. Et sunt quidem causæ aliæ, aut potius *concausæ* perceptionum boni vel mali externæ, ignis, aer, aqua, loca, personæ, occasiones, ac sexcentæ aliæ; sed utcumque ab iis mens dependeat in suis perceptionibus, seu excipiendo ab iis ideas, seu subsidium quodcumque ad agendum, quod nunc scire parum refert;

quum

(1) Hoc quum dicimus, non id intelligimus, rationes boni vel mali vim quoque ipsam eligendi efficere, quæ nisi in natura ipsa sit, nullo pacto inde procreari potest. Determinationum ergo tantum hujus potentiæ ac vis activæ sunt motiva. Quod qua ratione ac quanta vi efficiant, mox dicemus.

quum ejusmodi concausæ, nec præstent menti facultatem eligendi, nec cohibeant, nec vim inferant necessariam, ut velimus, nolimus nos impellant; quia sunt necessariæ *ortu*, non *efficacia*, imperite faciunt ii, qui inde tantum actionum nostrarum principia accersunt, quasi homo non nisi pura sit machina mechanica, nullo ipse activo agendi principio præditus. At mens humana principium est activum energiæ & operationum vitæ, saltem rationalis (nolo enim hic litigare), eaque nec corpus est, aut corporea qualitas, nec anima mundana, nec Deus (ex demonstratis); ea ergo tantum, & ex ea principium immediatum actionum & cessationum liberarum petendum est: aliæ vero causæ spectandæ veluti motiva quædam activi hujus principii. Ita cimex mordet, aut lumen ferit oculos. Sunt irritationes *ortu* necessariæ: *efficacia* finitæ. Quum igitur muto situm, integrum facultatis electivæ est.

§. 8. Homo in pluribus est liber. Scilicet libertas est insita facultas animi appetitiones ex propria ratione lubenter moderandi (§. 3.); in plurimis vi interna ac insita agimus aut cessamus ex propria ratione lubentesque (ex §. 6.); in pluribus ergo liberi sumus. Dico autem in pluribus, quod libertas nostra *actu* infinita non est: suis continetur terminis. Nec tamen idcirco minus libertas est. Quo modo non quod infinita non sit hominis intelligentia, minus est illa intelligentia; minor licet sit. Porro statuta in homine libertate, eaque generatim, ejusque natura & vi paucis explicata, in ejus concausas excitantes & modificationes inquirendum est; eaque refellenda quæ adversus philosophi plurimi æquo justius, ut mihi quidem videtur, curiosi sunt moliti; in primis Hobbes (*a*), & Antonius Collinus (*b*).

§. 9. Principio, libertas nostra in naturalem appetitum, aut impetum & vim naturæ nostræ erga *ipsum bonum* & *aversationem* ab *ipso malo* κατα γενη, tale non habet imperium, ut pro habitu excitare possit, vel comprimere: quamquam regere potest, pluribusque modis modificare: sunt enim ea naturæ hominis insitæ, & naturales: *naturalia vero* libertati κατα ποιιν subesse nequeunt (1). Præterea

(a) *In quæst. de libert. & necess.*

(b) *Recherches sur la liberté in Collect. Leibn. Newt. &c. tom.* 1.

(1) Id significat, effici non posse libertate, ut irascibilis vel concupiscibilis vim nullo modo sentiamus.

t-rea eæ perpetuo & perenni conatu in nos agunt, omnemque consultationis, adeoque libertatis usum prævertunt. Inde fit, ut apud philosophos actiones, quæ ex iis viribus inconsulta ratione emergunt, in censum actionum moralium non veniant. Nam ea demum a philosophis voluntas libera habetur, quæ proeresi, seu consilio determinatur, quod ab Aristotele adnotatum omnes retinuerunt Scholæ doctores (a): ratio scilicet liberos efficit. Modificare ergo potest; evellere nequit. Porro quum modificat, ex inadæquatis summi boni vel mali ideis modificat.

§. 10. Earum inclinationum, aut declinationum, de quibus superiore §. dictum est, originis *ratio sufficiens* in Dei voluntate & hominis essentia est posita. At sunt inclinationes aliæ aut declinationes peculiares, quæ etsi generalium illarum moderatione & determinatione in objecta particularia exsistunt, earum tamen exsistentiæ *ratio sufficiens* sunt ideæ bonorum vel malorum peculiarium voluptate aut dolore naturam nostram percientes, ac flectentes. In his patiendis libertas mixta cum necessitate quadam nobis inest. Et quidem liberi sumus in *utendo*: possumus sæpe earum causas, ideas nempe bonorum, vel malorum peculiarium avertere, in consultationem rationis revocare, perpendere accuratius: quandoque etiam exhibere nobis alias, aut eas investigare, atque interim a prioribus animum tantisper abducere: erumpentes interdum in potestate nostra habemus, & aut coercemus, aut, ne laxatis frænis ultra prosiliant, regimus. At positis semel fixisque notionibus boni vel mali, indeque genita irritatione instrumenti; & ob arctam connexionem *rationis*, & *appetitus*, excitatis animi commotionibus, invita mens eas patitur, ut nequeat subita voluntate compescere: qui interdum adeo illæ omnem rationem occupant, eliduntque, ut animus mechanismo quodam rapiatur. Quod scholæ aliis efferunt verbis, *non potest mens bonum qua bonum aversari, malum qua malum sectari*: &, *primi motus non sunt in nostra potestate*. Hæc necessitas *hypothetica* dicitur & *consequens*.

§. 11. Inclinationes animi & declinationes particulares, seu peculiares appetitus, non omnes sunt æque vehementes: habent ergo suas *intensitates*, quæ commode per gra-

(a) *Vide S. Thom.* 1. 2. *q.* 9. *art.* 4. *in corp.*

gradus distingui possunt. Earum nunc intensitatum causæ physicæ investigandæ sunt, ut quatenus in eas possit facultas electiva, quo vero consistat, intelligatur clarius. Est autem id faciendum accurate, quandoquidem actionum plerarumque vitæ humanæ fontes in hujusmodi inclinationibus, aut declinationibus, seu si mavis, appetitionibus, aut aversationibus, ac habitibus continentur.

§. 12. Exploratum est, ut illas generales (§. 9.), ita has peculiares inclinationes bonum, vel malum habere pro objectis. Sed oportet philosophum distinguere inter *bona* & *mala-objectiva*, ac *bona* & *mala realia*. Bonum & malum objectivum voco quantitatem boni vel mali, quæ in idea boni vel mali apparet: *reale vero*, quæ in rebus ipsis, velut bonæ, vel malæ percipiuntur, inest. Non semper æqualia sunt objectivum & reale bonum, objectivum & reale malum. Nam possunt reale bonum, ac malum minora, aut majora apparere: possunt diversa: potest malum apparere bonum, bonum vero malum. Nihil frequentius in vita humana accidit, nec quidquam efficacius hominum miseriam progignit (1).

§. 13. Inclinationes, aut declinationes animi peculiares non oriuntur nisi a bonis, vel malis objectivis: nam oriuntur ab ideis bonorum vel malorum peculiarium, quæ generales inclinationes voluptate & dolore moderantur, & determinant (§. 10.). Ex quo consequitur, ut earum inclinationum & declinationum gradus intensitatis sint in ratione bonorum, vel malorum objectivorum. Ut si ex. g. quantitas boni objectivi sit = 6. & inclinationis erga illud intensitas erit = 6. Porro si mali objectivi quantitas sit = 4, erit declinationis intensitas = 4. Ea quum sunt manifesta, non admodum perfecte, ut solebat, Renatus Cartesius (2) voluptatem ex magnitudine perfectionis realis illam producentis esse metiendam scripsit; nihil enim exploratius est, quam voluptatem & dolorem oriri ex bono aut malo objectivo telam nervosam irritante (3) non reali.

§. 14.

---

(1) *Intellectus non percipit res per modum rerum ipsarum, sed per modum sui*, inquit cogitate S. Th.

(2) Ad principem Elizabetham Plat. ep. 6. prim. part.

(3) Qui naturam humanam secum ipse pensitaverit, modo ne fuerit physiologiæ plane ignarus, intelliget nullum in nobis appetitum gigni nisi a molesta irritatione mecha.

§. 14. Nec minus illud verum est, posse plerumque bonum reale producere in animo nostro declinationem, malum vero reale inclinationem; quum illud pro malo, hoc pro bono traduci possit (§. 12.). Cui simile & illud est, posse majus bonum reale inclinationem minorem facere, minus majorem; ut minus malum declinationem progignere majorem, quam majus, quod postremum tum potissimum contingit, quum *majus* bonum, aut *malum* distantius est, *minus* vero propinquius. Scilicet quemadmodum corpora in ratione distantiæ ab oculo majora aut minora videntur, & attractiones corporum decrescunt in ratione duplicata distantiarum, ita appetitus nostri, aut aversationis objecta crescunt aut decrescunt in ratione distantiarum; quia in ea ratione decrescit claritas & evidentia perceptionum, ac vis sensationis.

§. 15. Duo *bona objectiva æqualia*, sed opposita, inclinationem quidem *generalem* & vagam progignere possunt, *particularem* vero nullam. Nempe inclinatio generalis nascitur ex opinione boni ut boni: quum autem duo bona objectiva A, B utcumque diversa unum sint in ratione boni; perstat integra eorum activitas ut bonorum; progignunt ergo inclinationem generalem & vagam, seu innatam apetendi constitutionem excitant, agitant, fovent. Quod erat primum. Jam quum inclinationes animi peculiares sint animi erga peculiaria objecta determinationes seu inflexiones, nec possit simul in oppositas partes animi appetitus ipse per se flecti, ob æqualitatem vero bonorum ne in alterutram quidem; efficitur, ut quousque bona illa objectiva sunt æqualia, nullam peculiarem inclinationem producant. Quare si in alterutro mens se se determinat, id quod ob finitam horum appetituum efficaciam, & libertatem potest, non inde determinatur, sed alias rationes sectetur necesse est. Quam rem Aristoteles exemplo capilli æqualis ubique vis explicat: hunc capillum nulla in parte rumpi posse, quacumque adhibita vi, arbitratus

chanica, ex qua altera, quam moralem diximus, exsistit. Nam nemo appetit, nisi id, quo caret: id autem, quod nobis deest, aut ipsum per se mechanicam gignit irritationem, ut in fame, siti: aut postquam ab animo perceptum comprehensumque est, primum animum ipsum phantasia inflat, unde exsistit irritatio cerebri, deinde cor, nervos, totumque ferme corpus, ut in venere, ira, ambitione, avaritia.

tus est: quod utcumque falsum, clare tamen demonstrat, quod ille voluit, quodque Scholastici magna consensione sectati sunt.

§. 16. Si idem objectum A duas in nobis producat ideas unam boni D, alteram mali C intensitate æquales, sed contrarias, nullus inde sequi potest peculiaris animi appetitus. Sit D = 4, C itidem = 4, erunt inclinatio & declinatio æquales: ergo erit inclinatio erga D = 4, declinatio a C = 4. Quocirca erit inclinatio = 4 — 4, idest nulla; & declinatio = 4 — 4, idest nulla.

Scholion. Id vero contingere posse hinc fiet manifestum, quod nulla pene res sit, quæ non ex pluribus velut adspectibus & faciebus nobis offerri possit. Quin hinc fit, ut eadem res uni quidem amabilis, alteri odiosa videatur: huic honesta, alteri turpis; magis huic pulchra aut deformis, alteri minus. Qui si adspectus adeo exiles in nobis perceptiones, ac veluti fugientes progenuerit, ut statim elabantur, eæ res videbuntur nobis ἀδιάφοροι indifferentes, quæ aliis gravissimæ.

§. 17. Intensitates bonorum vel malorum objectivorum sunt ipsæ idearum bonorum vel malorum intensitates. Intensitatem vero idearum bonorum vel malorum voco earum *claritatem*, *distinctionem*, *plenitudinem*, *durationem*, aut obscuritatem, confusionem, imperfectionem.

§. 18. Si ideæ sunt innatæ, bonorum vel malorum intensitates sunt & ipsæ innatæ (ex §. 17.). At quum experientia doceat in majori hominum parte realia mala esse *bona objectiva*, & contra realia bona esse *mala objectiva*, si ideæ sunt innatæ, idest menti a Deo communicatæ, sequitur Deum hominibus illudere, quod intolerabile est absurdum. Idem dici potest, si Deus sigillatim in nobis ideas producat, prout nobis sunt illæ ad munera nostra perficienda necessariæ: aut si in sua essentia manifestet. Quod argumentum invictum est contra tria illa *deliria metaphysica*.

§. 19. Postulo igitur ut omnes ideæ nostræ statuantur *sensus* esse, & *meditationis* atque *conjecturæ*. Nam quamquam ea opinio valde sit controversa, est tamen & naturæ humanæ consentanea, & phænomenis cogitationis humanæ explicandis accommodatior, & a præsentibus philosophis probatissima. Itaque ipse Wolfius, alias *præstabilitæ* harmoniæ patronus, ita in moralibus disciplinis philoso-

pha-

diverso certe modo agitabuntur. Ex eodem insolente phænomeno non eodem modo commovebuntur vulgus, & philosophi. Eodem sermone pio non eodem modo agitabitur muliercula, idiota, politicus, impius. Audito viri cujusdam famosi nomine, commotiones & judicia varia excitantur in diversis pro professionis, sectæ, affectionis alterius partis, ætatis, sexus diversitate.

§. 25. Ex quibus sequitur intensitatem impressionum ab objectis externis in nobis factarum a tribus pendere causis. 1. ab intensitate actionis externæ. 2. a temperamento corporis. 3. ab animi constitutione. Ut si ea omnia, eorumque consensio, aut repugnantia possent exacte dimetiri, possent quoque intensitates appetitionum exactis calculis subjici, indeque deliberationes omnes, & determinationes animi magna probabilitate pervideri.

§. 26. Porro quum de his disseritur, non solum ad examen conferenda sunt, quæ irritationes faciliores efficiunt, verum etiam quæ remorantur, quominus irritationes illæ nascuntur, aut quæ de earum quantitate quidpiam detrahunt, conferendæque & agentes causæ, & resistentes. Ex. gr. dum disceptatur quanta cum vi Julius Cæsar se determinaverit ad sibi Romanam rempublicam submittendam, in censum cum primis venire debent causæ impellentes. 1. externi boni consequutio. 2. corporis temperamentum. 3. animi affectus, præcipue ambitio regni, aut gloriæ, invidentia nominis Pompejani. 4. externa auxilia, unde magnos animos homines facere solent, &c.. Tum vero etiam disterrentes. 1. amor libertatis patriæ, si qui in eo ullus superfuit. 2. notiones honesti & justi. 3. rei difficultas. 4. vires adversæ. 5. pericula quæ id facinus consequi poterant, &c. Quibus omnibus inter se collatis, quum appareat majores fuisse impellentes causas; intelligitur, qui his homo adversus removentes agere voluerit. Infinita sunt similia facta, quorum similes sunt causæ.

§. 27. *Boni, vel mali objectivi* intensitas est in ratione intensitatis irritationum: nam bonum vel malum objectivum sunt ipsæ ideæ boni, vel mali (§. 17.): ponantur ideæ istæ adventitiæ (§. 19.) eæ erunt irritationes ab objectis externis in nobis factæ: ab illis igitur objectis pende-

pendebunt; in ratione igitur intensitatum earum impressionum erunt ideæ, atque idcirco bona, vel mala objectiva. Quod si jam ponantur esse ideæ factitiæ, eæ proculdubio erunt in ratione constitutionis animi, temperiei corporis, & actionum externarum: cum autem intensitas impressionum sit in ratione horum omnium (§. 25.), idearum quoque factitiarum intensitas erit in ratione impressionum.

§. 28. Inclinationes, & declinationes peculiares exsistunt ab irritationibus, suntque in ratione earum irritationum. Nempe pendent a bonis aut malis objectivis (§. 13.), bona autem & mala objectiva ab irritationibus (§. 27.); inde ergo inclinationes & declinationes: sunt igitur in ratione bonorum, vel malorum objectivorum; bona vero & mala objectiva in ratione irritationum (§. 27.).

§. 29. Voluntates *actu* pendent a libertate, quam regit ratio quæcumque ope irritationum, seu *ope appetitus*, ut loquuntur Scholastici. Scilicet voluntates *actu* sunt ultimæ mentis determinationes erga bona objectiva, aut a malis objectivis: eæ quum nulla vi mechanica determinentur (§. 5.), nequeunt determinari nisi ab arbitrio: at arbitrium ratio aliqua regit (§. 4.), & appetitus excitat (§. 5.); ergo voluntates actu sunt actiones plene liberæ, quas ratio vi appetitionis elicit. Quum dico *voluntates actu*, id efficio, ut voluntates, quæ appetitus sunt (vide def. 13.) excipiam: quippe quæ non semper sunt in nostra potestate: sæpe enim aut ab interna irritatione necessario erumpunt, ut famis, vis veneris; sæpe ab inevitabili phantasia, ut ira ab accepta injuria, metus a sensu terræmotus: sæpe ab involuntariis animi cogitationibus.

§. 30. Quæ hucusque dixi, ea ex contemplatione peculiaris naturæ meæ mihi videor deduxisse; sed quum fieri possit ut fallar, nemini quidpiam pertinacius obtrudere velim. Si autem sunt vera, constat jam & de libertate, & de motivis voluntatum liberarum: nam illa in regendis appetitionibus vim suam exserit: appetitiones motiva sunt libertatem cientia. Appetitus aut a natura sunt, aut ab ideis: ideas sæpe exquirimus, quibus illi excitentur, aut excitati regantur, qua ratione electioni subsunt. Ac

quam-

quamquam sæpe appetitus ad nutum excitare nobis videamur, aut comprimere; quilibet tamen sui compos intelligit id non fieri immediate, sed iis *liberis notionibus*, *quibus aut novæ ideæ irritantes* in nobis excitentur, aut veteres deleantur. Ac vero nulli mortalium liberum est amorem, odium, lætitiam, mœrorem, timorem, spem ex solo imperio voluntatis in se progignendi: sed id quum agimus *ideas irritantes* nobis exhibemus, rerum videlicet amabilium, aut odiosarum: bonarum, aut malarum. Nam quis tam inepte stultus est, qui quo amet, aut odio habeat, lætetur aut tristetur, satis esse arbitratur sibi pro imperio edicere, *ama*, *odio habe*, *lætare*, *tristare*? Atque hoc est radicem libertatis esse in *ratione*. Sunt interim qui hunc in modum fortassis adversus libertatem concludunt (*a*).

§. 31. Voluntates *actu* excitantur ab appetitionibus; hæ ab irritationibus naturæ, adeoque sunt ut irritationes: irritationes vero naturæ aut ab actione objectorum externorum, aut ab ideis irritantibus; necessariæ ergo sunt irritationes, adeoque appetitus, atque hinc voluntates. Eo agumento triumphat Collinus. Plures scio fuisse philosophos, qui ad hunc scopulum illisere, nec ulterius progredi potuerunt, dumque libertatem studiose quærerent, amisisse repente, quasi ex oculis subductam. Me autem vide quam perfidentem faciat veritas, ut merum hoc esse sophisma plane confidam demonstraturum. Nempe voluntas aut appetitus est, aut actio probantis, aut actio imperantis (def. 13.). Quum est appetitus aut ab irritatione corporis est, aut ab ideis irritantibus. Quum approbatio est, aut actio imperantis, *facultatis* est *electivæ*. Prior voluntas sæpe necessaria est: hæc facultas semper libera; quia prioris in hanc actio infinita non est. Sed nec omnes appetitus sunt necessarii. I. Pleræque irritationes animi, ac corporis accidant, necne, in nostra potestate positum est; ergo inde erumpentes appetitus in nostra sunt potestate. II. Probare quod sentimus, item aut mechanicum est, aut *actio electivæ facultatis*. Primum non

(a) *Collins* récherches sur la liberté *loc. sup. cit.*

non differt a voluptate, vel dolore, quæ quum a solis mechanicis causis excitentur ad quæstionem nostram non pertinent, alterum electionis, facultatis ab appetitu differentis: siquidem nobis conscii sumus nullum esse tam vehementem appetitum, nullam tam ingentem voluptatem, nullum tam acrem dolorem, adversus quem animum obfirmare nequeamus. Id tota docet historia, nisi dicere velimus nullo dolore Scævolam percitum fuisse quum manum igne fortiter torreret: nihil sensisse futuræ calamitatis Attilium Regulum dum ultro Carthaginem remearet: nihil nec corpore nec animo commotos tot viros magnos, dum amore virtutis tyrannorum tormenta magna constantia tolerarent. Electiones, inquiunt, seu *voluntates actu* appetitus sequuntur. Sequuntur enim vero; nihil enim agimus, quod nullo modo appetimus: sed ut excitantes causas, non ut imperantes. Appetitus, pergunt, aut a corporis exsistunt irritatione, aut ideis irritantibus. Quid autem? Ergo, ajunt, necessariæ sunt electiones, seu voluntates actu. Falso. Sunt enim electio & appetitus facultates diversæ; non ergo fit, ut si necessario sæpe oritur appetitus, necessaria sit electio. Cur ita? Quia nempe peculiares appetitus finitæ sunt activitatis. Lapis vesicam urit: necessaria irritatio; necessarius dolor, ac ægritudo: secari patiar, necne, electio est, & arbitrii. Delata hereditas lætitiam gignit necessariam: at adeam, an ei renunciem, electio, & libera. Sed repetamus altius.

§. 32. Quum mens humana sit ad beatitudinem facta, ab ejus amore necessario rapitur, adeoque necessario ab eo tantum bono objectivo determinari potest, quod summum est, quodque clare vivideque animo præsens est: quippe quod id tantum bonum, ac ita cognitum, desiderium illud beatitudinis plene explere potest. At cetera omnia bona objectiva, quæ finitæ sunt intensitatis, aut si infinitæ, non tamen clare adæquateque cognita, nec rapere in se unice eam possunt, nec necessario determinare, sed relinquunt ei facultatem super iis consultandi, atque idcirco eligendi. In ea enim facultate consultandi super natura finitorum bonorum, aut infiniti obscure cogniti, quæ sarta tecta homini inest, dum heic inter bona finita versatur, libertas indifferentiæ posita est, quemadmodum præclare BB. Augustinus, & Thomas docuere. Atque inde intelligitur cur in amando Deo beatæ mentes liberæ non sint; quum tamen

hic simus; quod nempe tale illud bonum est, ac tam clare cognitum, ut super ejus electione illæ nec consulere possint, nisi vim naturæ inferendo, nec cunctari: at hic plura efficiunt, quominus tantum bonum sine ulla obscuritate cognoscamus.

§. 33. Ex quibus intelligitur fontem libertatis a *coactione* esse, quod motiva immediata quibus se determinat facultas electiva, sint non impetus mechanici, sed notiones boni vel mali: iis enim positis appetitus quidem exsistit, sed rationi & facultati electivæ subjectus. Fontem vero indifferentiæ libertatis esse imperfectionem seu realem seu idealem bonorum, aut malorum mediorum, super cujus electione aut fuga consulere integrum est, quorumque electio necessaria esse non potest.

§. 34. Qua ex re & illud sequitur, ut quæcumque media rationem nostram perficiunt, ea & magis nos liberos a coactione faciant, & minus cunctantes atque irresolutos. Nam quo rationis nostræ imperium dilatatur, eo plura ratione efficimus, quam aut naturæ impetu, aut affectibus: & quo ratio auctior est & perspicacior, minus cunctabundi sumus minusque indeterminati. Itaque & philosophia, & legislatio, & gratia, quæ omnes rationem perficiunt, libertatem quoque perficiunt: ut idcirco tantum absit ut quidquam libertati humanæ deroget legislatio & gratia, ut potius nihil plenius eam augeat atque provehat, in primis, quæ naturam quoque mansuefacit, quod accuratissime a beato Augustino pertractatum est in iis libris, quos de libertate arbitrii inscripsit.

§. 35. Observatum est in scholio prop. 41. argumenta omnia, quæ adversus libertatem produci solent, nihil aliud probare, nisi libertatem nostram sua habere *motiva* quibus sese determinat, aut *concausas* quasdam, *συνεργα*, quæ quum ei nec activitatem suam auferre nequeant, nec vim appetitiones regendi pro lubitu, quippe quæ finitæ internæ actionis, nihil ei derogant, tectamque atque sartam, ut dicunt, relinquunt esse. Sed quando gravi ea philosophorum magni nominis contentione agitata sunt, exigitur a me profecto hoc in loco, ut hujusmodi argumenta retractem atque refellam. Nec ab interna naturæ nostræ necessitate vindicanda nunc est libertas, quod superius præstitum est: externa tantum persequar. Ea ad tria potissimum referri solent. Quorum primum Dei providentia &

præ-

prædeterminatio suppeditat: alterum Dei præscientia: tertium vero naturæ totius aut astrorum influxus. Nam quod addunt quidam, peccato Adæ amisisse homines arbitrii libertatem, quod argumentum theologia subministrat, id Scripturæ ipsius auctoritate confutatur; quæ ut docet, nos omnes in peccato nasci, ita apud nos arbitrii nostri consilium esse. Eo igitur nihil moveri possumus, quamquam Calvinus eo potissimum nitatur.

§. 36. Est autem primum hujusmodi (a). Eæ causæ dicti & esse possunt liberæ, quæ sese ipsæ determinant in operationibus suis, non vero quæ determinantur ab aliis, quæque ipsæ se determinare nequeunt. Sunt autem omnes causæ creatæ hujusmodi, quæ nec se ipsæ ullo modo determinare ad operandum possunt, & a solo Deo determinantur. 1. Quemadmodum intelligi nequit corpus, quod se ipsum a quiete ad motum impellat, ita nulla alia creata & finita res, quæ ab *inactione* ad *actionem* se determinet: par enim utrobique ratio est. Scilicet & ex nihilo nihil est, & nemo, quod non continet, præstare potest. 2. Quum constet inter omnes qui sanam habent Dei notionem, a Deo omnia conservari, sitque vetus philosophorum & verum adagium, *conservationem esse perpetuam creationem*; non magis possunt creatæ res se ad agendum determinare, quam se conservare. Quemadmodum horologii pendulum idcirco quod externa causa moveatur, & ab eadem in motu conservetur, dici nequit ullo modo se in oscillationes agere, desiperetque & pugnantia aperte doceret qui quum ab externis causis in motu conservari pendulum dixisset, adjiceret, esse tamen oscillationes quasdam, quas ipsum sibi faceret, aut gradum esse motionis, quem ipsum externæ actioni adderet; nempe qui ita differit, ponat gradus ejus motionis esse = 4. quorum 2. debeantur externæ causæ, 2. penduli ipsius activitati, tum dicat etiam necesse est, pendulum suapte natura, sine ulla externæ causæ ope, agitare se posse duabus viribus. Quæ doctrina superiorem omnem evertit, moveri pendulum ab externa causa, atque ab eadem in motu conservari.

(a) *Nimis illud adornat Pomponatius in 11. de Fato, &c. Hinc sæpe Spinoza.*

§. 37. Diffiteri non possumus, graviter eo argumento premi, & *physicæ prædeterminationis* auctores, & Malebranchianos, qui omnia *αμεσως* a Deo repetunt, nulla in natura activitate posita, & auctorem præcipue gallici operis, *actiones Dei in creaturis*, alias a nobis laudatum. Nam respondere, iis principiis positis, liberos nos esse *in sensu diviso*, si non *in sensu composito*, id est fucum imperitis facere, quod est perspecte a viris doctis observatum. Enim vero si verba *in sensu diviso* ita intelliguntur, ut quum non operamur, *potentia* retineat libertatem, & *in sensu composito*, ut quum nos actu determinamus, non habeamus; nescio utrum id libertatem vindicet potius, an evellat. At id certum est, eam libertatem *potentia*, quæ sit necessitas *actu*, nullius esse homini usus. Itaque ea responsio adhibenda est argumento, quam B. Thomas, divinitus, ut solet, pluries adhibet. Nempe quum Deus sit infinite potens, & sapiens, dubitari non potest, quin tales facere potuerit res, quæ causæ essent & ipsæ, idest activitatem sui generis haberent & exercerent. Ejus generis est humana mens. Activitatem illa sui generis & habet & exercet. Sed quum quæ intensitate sunt finita, ut esse per se nequeunt, ita a se conservari non possunt, conservari ea a Deo debent. Est igitur Dei actio quædam universalis, qua hujusmodi activitates *causarum*, ut vocant, secundarum, conservatur, eaque constans & perennis. Porro ea actione Deus rerum naturas non evertere, sed continere & conservare vult: esse autem id non potest, nisi naturis illis adaptetur: Sunt porro causarum secundarum activitates non unius speciei; quædam brutæ sunt, ut vires materiæ *attractrix*, *gravitas*, *plastica*, similes: quædam vero *rationales*. Illæ legibus mechanicis regi possunt, & reguntur: quocirca libertate destituuntur. Istæ insita ratione ducuntur, ut idcirco una iis sint agendi motiva, perceptiones. Hæ mechanicis subjici nequeunt legibus: rationis via conservari debent. Adaptatur prioribus Dei actio ut insita vi bruta rapiat: his ut insita ratione ducat. Ita mentibus etiam cum actione Dei sua semper constat libertas. Quinimmo quum libertas *essentialiter* sit in *ratione*, & quæ rationem emendant & perficiunt, libertatem quoque perficiant (§. 31.); & Dei actio naturæ mentium adaptata non possit non illarum intelligentiam emendare & perficere; conficitur actione providentiæ divi-

hæ perfici potius humanam libertatem quam suffocari. Quæ omnia & Augustinus summa perspicacitate prædixerat. Ita concidit tota illa spinozistica moles. Quid, inquit aliquis: hæc nostra activitas, hoc arbitrium, potest ne rationi adversari? Rationi generatim non potest: nam ut sine ulla ratione nullus est appetitus, nulla aversio, ita nulla voluntas. At singulis potest: non potest tamen sine altera ratione. Voluntas scilicet sine ulla ratione non voluntas est, sed appetitus mechanicus.

§. 38. Alterum argumentum ita conformatur. *Si omnia futura præscita sunt a Deo, hoc ordine eveniunt, quo ventura præscita sunt, quum ei nec voluntas deesse possit efficiendi quæ præscit, nec potentia, qua efficiat: si autem hoc ordine eveniunt, certus erit ordo rerum præscientiæ & voluntati Dei, adeoque certus ordo causarum: si vero certus ordo causarum, quo fiat omne quod fit, fato fiunt omnia quæ fiunt: neque enim aliud est fatum, quam certa & constans atque immutabilis causarum & effectuum series: at si fato omnia fiunt, nulla est libertas. Jam sunt omnia a Deo præscita; ergo & volita; ergo certus ordo causarum; fato igitur fiunt quæcumque fiunt, nec ulla est libertas* (a).

§. 39. Eo argumento ita perturbatus olim fuit Cicero, ut ne negaret libertatem, præscientiam Dei sustulit (b), atque *ut nos faceret liberos, fecit sacrilegos*, ut eleganter scribit Augustinus. Fabulantur Armachanum acutissimum scholæ theologum viginti annos laborasse, ut eum nodum solveret, nec potuisse tamen. Cardinalis Cajetanus vir in metaphysicis contemplationibus attritus, eam quæstionem in alterum sæculum distulit. Augustinus tamen paucis, quasi compendio, & confidenter, sed peracute respondit: *Non est, inquit, consequens, ut si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio: & ipsæ quippe* NOSTRÆ VOLUNTATES IN CAUSARUM ORDINE SUNT. Quæ hoc redeunt, præscientiam Dei non commutare rerum naturas, sed necessarias quidem sinere esse necessarias, liberas vero liberas: quod scilicet præ-

 scien-

(a) *Vide B. Aug. lib. v. de civ. cap. 9. & Cic. de fato.*
(b) *Lib. 2. de divinat.*

ſcientia Dei, ſi a divina voluntate & providentia abſtracta ſpectetur, in rerum naturas phyſice non influant. Non ſecus atque qui me quidquam operantem inſpicit, non adigit ad operandum. Et quemadmodum *memoria tua*, inquit idem alibi, *non cogit facta eſſe quæ præterierunt; ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt* (*a*). Scilicet nihil vetat eſſe aliquid certum, quod ſit liberum, ſi ex eo, cui id certum eſt, nulla inferatur operanti vis. Quæ adeo ſunt perſpicua, ut mirer eſſe potuiſſe viros doctos, quibus argumentum iſtud quidpiam imponere potuerit.

§. 40. Sed ajunt, ut præſcientia nullam inferat libertati vim, quia in res ipſas non meat, inferet tamen Dei voluntas, quæ vis eſt omnipotens, qua res ſingulæ continentur, diſponuntur, aguntur. Quæ enim eſſe poteſt creata ac finita natura, quæ tantæ cauſæ adverſetur? Cui argumento ut ſatisfaciamus, recolamus hic oportet, quæ alias dicta ſunt, tria eſſe in iis rebus, quæ ipſæ per ſe activæ ſunt, *eſſentiam*, *virtutem agendi*, *hujus virtutis applicationes*, & *determinationes*. In rebus quidem inanimis, ſenſuque ac ratione carentibus ita hæc tria ſunt a Deo, ut ille præſens & unica ſit cauſa cur ſint, cur id ſint quod ſunt, cur agere poſſint, cur poſtremo hoc aut illud agant. In hominibus vero, in quibus rationis conſilium dominatur, poſtremum illud *applicatio nempe immediata virtutis* ab eorum eſt arbitrio. Nam ut Thomas ait Aquinas (*b*) *ex hoc homo dicitur præ ceteris animalibus liberum arbitrium habere, quod ad volendum judicio rationis inclinatur, non impetu naturæ, ſicut bruta*. Sed agit Deus in creatis rebus. Agit hercle vero: ſed *immediatione virtutis*, *non ſuppoſiti*, ut ſcholæ loqui amant. Nihil eſt medii inter Deum vim noſtram agendi procreantem ſervantemque, atque hanc activam noſtri virtutem: ſed hæc virtus media eſt inter Deum & actionem (*c*) ſeu effectum.

§. 41. Quæ ratio, inquit aliquis, hanc libertatis theoriam cum gratia divina in concordiam adducendi? ſi quidem

(a) *Lib.* 3. *de lib. arb. cap.* 4.
(b) *Lib.* 1. *c. gent. cap.* 88.
(c) *Vide Franc. Ferrarienſem in III. c. gent. cap.* 70.

dem ea non virtutem tantum præstat; sed actum, applicationem, modificationem virtutis: dat enim Deus ut *velle*, ita *perficere*, ut divini ajunt vates. Non me latet, quam non solum contentiose, sed etiam invidiose, hæc disputentur a plerisque. Me ut plura lateant, quæ divinæ gratiæ largitionem spectant; hoc certe, quod de ejus cum libero arbitrio concordia contenditur, non admodum conturbat. In iis rebus, quæ ad alteram æternamque beatitatem spectant, nihil nos habere juris, idque propter primorum mortalium perduellionem, docent divini vates: sed ne vires quoque nobis suppetere, quibus viam & rationem teneamus, qua illam adipiscamur, iidem sciscunt. Has vires Deus sola sua benignitate largitur quibuscumque largitur. His viribus fit ut & rite credamus, & rite recteque amemus agamusque. Sed ita tamen iis viribus informamur, ut το credere, amare, operari & *nostrum sit propter arbitrium voluntatis*, & *tamen datum propter* SPIRITUM *fidei & caritatis*, ut disserit Augustinus (*a*). Nemo quidquam nec credit, nec amat, nisi id sibi & credibile & amabile persuaserit. Hoc ut cum divinis bonis agamus το τȣ θεȣ πνευμα, *spiritum Dei* efficere, ajunt divini scriptores: quia nempe ille spiritus animum intimitus afflat. Ea aura rationis judicium nec opprimitur, nec turbatur, sed erigitur potius latiusque dominatur. Ita fit ut & ad credendum, & ad amandum, & ad agendum nullo mechanico impulsu, sed rationis nostræ judicio & hinc genita voluptate inclinemur, utcumque illud judicium illamque voluptatem synergæ causæ & exciverint & servaverint. Quo modo (si quidquam est in humanis rebus, quo hæc explicari possint) terentianus Pamphilus & ipse per se Glicerium sibi & amandam persuadet, & amat: sed Glicerium tamen efficit, quo se amet: illa vel absens ejus tamen animo perpetuo præsens est: sui pulchritudine ejusque nescio qua aura animum Pamphili irritat: inde ille ardet. Sed ipse tamen vidensque prudensque amat.

§. 42. Tertium vero argumentum est hujusmodi. Corporis nostri constitutionem, temperiem, mutationes pendere ex aeris constitutione, gravitatione, mutatione notius

(a) *Retract. lib.* 1. *cap.* 23.

eſt, quam ut demonſtratione egeat. Hinc vero manare inclinationes quaſdam & mores, atque ad effectus propenſiones perſpicuum eſt. Certe non alia potiſſimum eſt ratio cur climatum diverſorum nationes diverſis ſint temperamentis præditæ, diverſis moribus, affectibus. Quum vero aſtra aut lumine, aut motu, aut effuſione alterius ſubtiliſſimi fluidi, aut mutua gravitatione, vel actione alia quacumque conſtitutionem aeris commutent, in eumque agant vi maxima, certe & in nos influunt, aguntque. Pendet vero a corpore mens ita, ut ne cogitetur quidem a nobis quidquam niſi ex commotionibus ſenſuum atque cerebri. Ergo & in mentem aſtra influunt: influunt autem vi maxima; obniti ergo contra non poſſumus. Quod ſi videamur plerumque obniti contra hujuſmodi impreſſiones, id fit quia validioribus concedimus: quo modo ſi quis a duabus cauſis ex oppoſitis partibus prematur ab A viribus $=$ *6*, a C viribus $=$ *3*, dum repellit C facile putabit ſua vi repellere, quum ſi animadvertat, id fit, quia ab A validius impellitur. Nec refert, eam vim nos non animadvertere: nam quum conſtet cordis, pulmonumque motus neceſſarios eſſe, non liberos, ne eos quidem in nobis vi fieri perſentiſcimus, nec eos ſpectamus, niſi velut quos ipſi lubentiſſime efficiamus, quos lubenter tantum patimur. Addunt, niſi id eſſet, qui poſſet intelligi futura libera ab aſtrologis, qui *judiciarii* dicuntur, prævideri poſſe & confidenter prædici? Nunc autem hujuſmodi prædictionum plenæ omnes ſunt hiſtoriæ, ut qui velit eas narrationes omnes velut fabulas traducere, ei neceſſe ſit omnem pudorem exuere. Atque hunc ferme in modum *tertiani*, quos ego fanaticos appello.

§. 43. Cui argumentationi nihil eſſet ut pluribus reſponderemus, quando in prima parte explicita ea omnis eſt res, demonſtratumque ſuperius, corporis impreſſiones inter motiva rationis, adeoque libertatis referenda eſſe, aut, ſi mavis *concauſas determinantes*, non vim inferentes neceſſariam; niſi quædam eſſent, quæ hoc in loco expediri paucis oporteret. Atque primum non negamus (neque enim hic ea de re ſumus ſoliciti) temperiem noſtram ab aſtris quoque plurimum pendere, quum pendeat ab aere, in quem illa quocumque tandem modo agunt. Interea id non magis libertati officit, quam propenſiones temperamentorum. Nempe quum ea omnia rationem conſultricem ſuper bonis aut malis obje-

ctivis non auferant, efficere quidem possunt ut vim quamdam sentiamus, quæ nos, illiciat, atque permoveat, cogere vero, & rapere electiones nequeunt. Intima id persentiscimus conscientia: nullus est enim tam vehemens appetitus, cui non aliquando adversemur. Decipimur, inquit, quod proximas tantum causas electionum nostrarum, aut aversationum consideramus, remotiores minime prospicimus. At principio, si in iis, quæ omnes homines vivide & clare sentiunt, hallucinantur, commutabuntur tantum humana vocabula, & quæ ignoratio dicitur appellabitur scientia, scientia vero ignoratio; ac res ipsæ permanebunt eædem. Deinde rogamus, remotiores illæ causæ libertatem flectunt ope rationis, & appetitus, an immediate? nemo posterius dixerit; nam quæ a nobis actiones sine ratione fiunt, liberæ non dicuntur: super his non disceptamus. Si prius, erunt ergo *libertatis* fortasse motiva, non causæ vim inferentes. Scilicet, quotiescumque motiva proxima appetitus nostros determinantia in ratione sunt, homini semper sua constat libertas, ut demonstratum est.

§. 44. Jam vero proferuntur in medium astrologi judiciarii, *genus hominum*, ut eleganter Tacitus vocat, *potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra vetabitur semper, & retinebitur*. Eorum prædictionibus plenas esse historias fati astronomici assertores prædicant. At id argumentum vulgi potius fraudum ignari approbationem, quam philosophorum, mereri potest. Non quod propensiones quasdam hominum generatim non pernoscant plerumque, non isti de trivio astrologi, sed prudentes & perspicaces omnes, atque inde probabilibus conjecturis proventuras actiones non pervideant; sed quod magna illa confidentia singulares electiones prædicandi perridicula sit, & eventis ipsis refellatur. Profecto ubi cetera desint manifestæ fraudis argumenta, at illud non leve certe est, quod scite Ennius protulit,

Qui aliis monstrant viam sibi semitas ignorant.

Referendæ essent in tabellas circulatorum hujusmodi prædictiones, ut quæ mentiantur, quæ certa pronuncient, dimetiri posset. At nunc apud popellum, ut solet, plus potest vera una opere completa prædictio, quam miriades mendaciorum. Inde alienorum bonorum insidiatoribus, & captatoribus præfidentia & temeritas. Nec deterrentur,

quum

quum deteguntur: se quilibet animat Tiresiæ horatiani verbis (a),

. . . . nec si vafer unus, & alter
Insidiatorem præroso fugerit hamo,
Aut spem deponas, aut artem illusus omittas,
Persta atque obdura, seu rubra canicula findet,
Infantes statuas, seu pingui tentus omaso
Furius hybernas cana nive conspuet Alpes.

In quo isti egregie divinant ..... *perraro hæc alea fallit*. Sed tam docte & accurate est, ea res a Cicerone (b) pertractata, ut orationem nostram non exigat.

C A P. V.

De animi propensionibus, deque irritationibus naturæ humanæ.

Prop. XLIV. PRopensiones ad *bonum*, & *verum* generatim naturales sunt animo humano, legesque mechanicæ naturæ nostræ, quibus illa ad consentaneos sibi fines fertur.

D. Quæ propensiones & in omnibus reperiuntur hominibus, & in omni hominum ætate, quæque neque intenduntur umquam, neque remittuntur, eæ profecto haberi debent pro naturalibus totius generis humani propensionibus; quo modo quæ qualitates & insunt in omnibus corporibus, quæ observari potuere, & neque remittuntur, neque intenduntur, qualitates habentur naturales omnium corporum (c): ejus autem generis sunt propensiones erga bonum & verum generatim. Nam prima adeo est omnium hominum, omniumque ætatum, ut communis sit etiam brutarum animantium; ut dubitari non possit, quin naturalis sit & insita *naturæ animali*. Altera vero tam est mentium humanarum naturalis & communis, quam curiositas, quæ nihil aliud est, nisi propensio ad verum. Ex quo manifeste sequitur, esse illas naturæ animorum leges mechanicas. Nimirum non alia est philosophis *lex naturæ*

(a) *Horat. lib. 2. satyra 5.*
(b) *In libris de divinat. Adde Picum adversus astrologos.*
(c) *Lex est New. probata ceteris.*

turæ mechanica, nisi ea naturæ constitutio, cujus, ut inquit Wolfius, in sola Dei voluntate sit ratio sufficiens, quales sunt vires *attractrix*, *gravitationis* planetarum, aliæque in inanimis rebus. Quum ergo propensiones illæ sint naturales animis humanis; *naturalium vero causa Deus;* leges animorum mechanicæ sunt habendæ. Quod vero quidam ajunt ex *usu rerum* eas nasci propensiones, ii non advertunt, usum esse non posse sine illis naturæ constitutionibus, adeoque usum omnem ab illis præverti; nisi enim ita creati formatique essent animi humani, ut appetere bona possent, & vera velle scire, ac bono & vero delectari, nec sequerentur ea umquam, nec curarent.

Ceterum non sine magna supremi numinis providentia id fieri intelligendum est, ut homo non sola ratione (per se ipsa sine ullo affectu frigida) ac libertate ad suum finem, eique adaptata media ducatur, sed vi etiam ipsius naturæ ac irritatione quadam impellatur; ut scilicet ubi ratione & libertate sit facile abuti, non possit non iis naturæ legibus obsequi, quibus irritatur, quæque, ut ille ait, urunt, ac excoquunt sub pectore. Qua ex re illud etiam intelligitur quâ ratione fiat, ut hominum mores, atque humanæ res, quæ in quibusdam hominum cœtibus videntur sæpe naturæ proprietatibus tam longe discessisse, recurrant, circulumque quemdam perficiant. Quod nempe, quemadmodum elateres vi compressi a naturali sua figura inflectuntur, quam induunt statim atque vis concesserit; ita distrahi vi, aut ratione & disciplina naturalia possunt, huc illuc flecti, convelli funditus nequeunt: itaque cedunt tantisper mox reditura. Intelligitur & illud, cur quum ceteræ peculiares propensiones aut adversationes neque eædem in omnibus sint, & ætatibus, temporibusque aliæ atque aliæ: naturales vero illæ sint immutabiles; nam *naturalia*, ut inquiunt, sunt *immutabilia*. Illæ nempe naturæ constitutione constant: hæ inflexione. Atque hæc, quum sint, perfecte Aristoteles vir in primis acutus & accuratus *scientiæ* quidem *moralis*, qua formatur homo ad beatitudinem, initium fecit ab hoc beatitudinis, idest summi boni naturali desiderio: *metaphysicæ* vero, idest *universalis sapientiæ*, ab ingenito desiderio veri. Quod nempe ut natura omnes cupiunt esse beati, ducendique sint ad veram beatitudinem *recta* directione & conformatione ingenitæ illius propensionis: ita natura ipsa omnes scire

cu-

cupiunt, pertrahendique sunt ad veram sapientiam accurata & industria curiositatis propagatione ad utilia & egregia. Nec aliter ego censeo systemata moralia, & theoreticæ sapientiæ diducenda & contexenda, quam moderatione quoad fieri potest naturaliori & simpliciori duarum illarum naturæ humanæ propensionum. Quomodo naturali fluminis impetu, paullo in rem suam flexo cursu, sata industrius agricultor irrigat. Quæ qui observant attente, ii profecto animadvertunt, in plurimis emendari posse præsentia disciplinarum systemata, ut sint magis naturæ humanæ consentanea. Nam naturam non cohærente disciplina velle perficere quid est aliud, quam evertere? Nemo in eo diu stare potest, quod cum natura pugnat; quod philosophi omnes intellexere, qui docuerunt, *nullum violentum durabile*: sed ab ea ratione longe sæpe aberrarunt, dum eo homines abstracta philosophia pertrahere studuerunt, quo nec trahi potest, nec stare, si trahatur.

Sed ecce, ajunt, hanc propositionem natura ipsa & humani generis experientia refelli. I. Primus humanæ naturæ sensus dolor est: eo infantes incitari occipiunt; primum igitur bonum, quod natura nostra sequitur, est carere dolore. *Bonum* istud *genericum* intelligentia suppeditat, non naturæ sensus. II. Homines non prius curiositate perciuntur, quam bonum aliquod, aut malum *perpessi* sunt: itaque ii minus curiosi sunt, qui minus vixere, ut infantes, agrestes homines; qui nihil ferme aliud scire avent, quam ne quid noceat, aut præsentibus voluptatibus adversetur. Quibus binis verbis respondebo. Eam naturæ constitutionem, qua seu a rebus, seu ab animi notionibus dolori aut voluptati sumus subjecti, naturalis est; eaque ab omni abhorret dolore, cum omni voluptate bene se habet. Id ego voco naturæ propensionem in ipsum bonum, quodcumque scilicet id sit, quod voluptatem creat. Sed & ita natura formati sumus, ut dolorum & voluptatum causas, scire tam appetimus, quam dolorem oderimus. Hoc veri appetitum appello. Quum hujusmodi naturæ constitutiones omnem rationis usum præveniant, leges mechanicas dico.

Prop. XLV. Propensio se conservandi, tum veneris stimulus generatim, propensiones sunt & ipsæ naturales, atque duæ alteræ animorum humanorum mechanicæ leges.

D. Nam

D. Nam æque & in omnibus sunt naturæ constitutione, & immutabiles sunt, & ante omnem usum, quum ex iis potius omnis usus proficiscatur.

Scholion. Ita quatuor habemus præcipuas humanæ naturæ mechanicas leges, quibus homines vel imprudentes ad se suumque genus conservandum, atque perficiendum feruntur. Quanta autem earum sit in vita humana necessitas & utilitas inde intelligere possumus, quod earum nulla sit, qua sublata, non tota hominum vita funditus perturbetur. Nam sublata propensione in ipsum bonum, efficitur ut ne quæratur quidem quidpiam boni: quumque homines non sint entia sibi *sufficientissima*; consequitur ut sint semper misera. Tum propensio in bonum inutilis esset, aut nullo modo esse posset sine propensione in verum; hac enim bona perquiruntur, quibus illa fruitur. Deinde amor nostri ipsorum nisi esset naturalis & necessarius, quum infinitæ sint vitæ perdendæ rationes, brevi hominibus deserta esset tellus. Tandem veneris stimulo extirpato a natura animali non ultra hominis ætatem habitaretur tellus. Quæ si Athei cogitent, non possunt non clare intelligere, quanta divinæ alicujus mentis cura natura humana sit conformata, ut nihil in illa sit naturale, quod non hominis fini apte respondeat. Non igitur theologia tantum physica, sed ipsa in primis metaphysica, supremæ divinitatis cura omnia in universo geri perspicue demonstrat. Jam (ut ad institutum redeamus) attente philosophus has leges recolere debet, qui operationum humanarum principia determinantia, fundamenta, primas quasdam in humana natura causas (*ressorts* Galli vocant) sit accurate explicaturus (1); quandoqui-

(1) Sed & iis in primis hujusmodi rerum cognitio necessaria est, qui ad res humanas gubernandas accedunt. Nam adversante natura imperium nec stabile esse potest, nec pacatum: hominesque, quorum est ingenium elasticum, perpetuo aut resilire, aut irrumpere conantes, maxima vi & molestia sunt cohibendi, quæ si tantisper remittat, itidem uti liberi elateres, perrumpunt atque evertunt omnia. In id potius danda est opera, ut primigenias illas propensiones, quibus homines duci & amant & volunt, sic in publicam rem flectant, ut omnes intelligant, se ire, non trahi, rem suam ac utilitatem agi, subdi omnes legi, ut liberi sint, vim nemini inferri. Pueros ego, in quibus natura adhuc integra est & sola, expertus sum pluries, invitos ac coactos, fere nihil, lubentes & blanditiis captos ea efficere, quæ supra vires eorum videri potuissent. Adeo ingenium nobis coactionis impatiens natura dedit!

quidem nihil demonstratu facilius est, quam omnes humanas actiones provenire ex varia modificatione quatuor illarum legum naturalium: scilicet modificatæ illæ ratione, & conversatione, in peculiares evadunt inclinationes, aut declinationes, quibus, ut in superiori appendice demonstratum est, homines regi solent. Neque tamen concludi quidquam ex ea re potest adversus utilitatem aut necessitatem legum naturæ moralium; constat enim sua illis necessitas, & utilitas in eo, quod peculiares inclinationes, atque hinc proficiscentes actiones emendant & formant, emendata, & formata ratione, cujus illæ velut supplementum sunt, tum sanctione pœnali plurimum & ipsæ voluntatem permovent.

Prop.

Habent autem primæ illæ duæ propensiones *in bonum*, & *in verum* magnum illud inter se discrimen, ut prior vi languescat, altera intendatur. Artes humanæ vitæ necessarias extirpaverit quisquis homines invitos ad eas adegerit; si sua cuique libertas relinquatur nec cogatur, sed regatur tamen, si earum magnæ utilitates ob oculos ponantur, tum alacres omnes incumbent, ac nihil est tam incredibile, quod non efficiant. Efficiunt idem si a naturæ suæ necessitatibus impellantur: voluptatem nempe suam & ingenium sequitur quisque alacer; naturæ paret libenter, idem qui imperii vis in rebus alienis fastidiosus est. Inde fit ut gloriæ amor, voluptas, luxus plures artes, aut artium ornamenta invexerint, quam leges omnes, aut minæ. Contra autem propensio *in verum* vi ac minis, tum quacumque re, quæ violentiæ sit persimilis, velut arcanis atque enigmatibus, mirum in modum intenditur: curiositas prima est, quæ sequitur, & cerebri fibræ irritantur; inde vis major; quæ quoniam nos angit, & infelicitat usque dum rem ipsi digito non contigerimus, in vetita impellit. Opinor si quis severa sanctione prohibuerit inquiri ab hominibus in magneticæ attractionis causam, brevi eam detectum iri. Sunt qui scripsere, philosophos præmio excitandos: nec nego posse plurimum in animis nostris præmii spem. Sed voluptatis ea est natura, ut facillime quis possit illam repudiare: dolori & inquietudini nemo unus concesserit. Ita fit ut acrius hinc exagitemur, quam a voluptate permoveamur. Ac vero vim hominis actuosam vehementius inquietudo vellicat & excitat, lenius voluptas. Est igitur ad hanc rem quod pertinet curiosum hominis ingenium flammæ persimile, quæ quo violentius comprimitur, eo vehementior ac voracior evadit. Atque hæc quum per se sunt perspicua, tum tota historia literaria confirmantur: nulli enim errores quantumvis monstrosi tam publice grassati umquam sunt, quam qui severius vetiti, ut si blande ac palam expositi omnium fuissent oculis, brevi viluissent ac fuissent irrisi. Itaque probo ego illos, qui docuere, *Ridiculum acri plerumque fortius ac melius secat rem*. Nam iidem homines qui tam curiose in occulta & vetita nituntur, nihil tamen magis verentur, quam ne publice rideantur, efficitque publica irrisio, quod nulla vis, ut vires naturæ humanæ omnes quasi dissipet, & alio convertat.

Prop. XLVI. Præcipuæ partes corporis, ideſt ejus animæ inſtrumenti, quo illa, dum hic vivimus, perpetuo utitur, irritabilitate mechanica præditæ ſunt.

D. Irritabilitas mechanica eſt ea vis, qua quædam corporis animalis partes perſtrictæ quaſi oſcillant (def. 16.): ea autem vi præditos eſſe nervos, arterias, fibras muſculares, ac ejuſdem generis partes alias, perpetua docent experimenta.

Prop. XLVII. Hæc irritabilitas mechanica eſt inſtrumentum omnis ſenſationis quum externæ, tum internæ.

D. Nam eadem experimenta docent nullam nec in brutis, nec in hominibus excitari ſenſationem, niſi irritatis nervis, aut iis corporis partibus, quæ ſunt irritabiles. Viſio, auditio, olfactus, guſtus irritatione nervorum oculorum, aurium, narium, linguæ & œſophagi perficiuntur; qui nervi ſi obſtruantur, aut debilitentur, aut diffluant, eæ ſenſationes aut omnino ceſſant, aut plurimum debilitantur. Idem fit in tactu: nam aut nervi reſoluti, aut obſtructa cute, omnis tactus ſenſatio perit. Superioribus annis in hoc noſtro Noſocomio vidimus feminam, cujus tota cutis quaſi marmorea evaſerat, ac omnis omnino ſenſationis erat expers (1). Sed ne ulla quidem interna ſenſatio niſi ab ea eſt irritatione cordis, diaphragmatis, membranarum pectoris, cerebri, oſſium, muſculorum, nervorum, arteriarumque, &c. nam his irritatis ſtatim illa exſiſtit: quam iis partibus, quæ irritabiles non ſunt, exuſtis, laceratis, ſpiritu vitrioli percitis, tam ſentiamus, quam qui nihil.

Corollar. Irritatio ergo animalis (def. 17.) a mechanica eſt.

Scholion. Videtur huic corollario id adverſari, quod quædam animales irritationes, ſeu voluptatis aut doloris ſenſus, iræ, amoris, timoris, &c. ab ideis ſint: ſunt enim quædam cogitationes, quæ nos vehemente affectu concutiunt, quin ulla aut externa cauſa corpus perſtringat, aut interna irritet. Sed hoc ipſum ſatis aperte oſtendit, irritationem illam animalem non ſentiri, niſi mechanica præcedat. Videlicet iis cogitationibus fit ut primum mechanica in cerebro & corde excitetur irritatio; quam mox ſequa-

---

(1) Vide ut eam rem deſcripſit Carolus Curtius medicæ rei diligentiſſimus profeſſor.

sequatur totus ille affectuum sensus. Non ergo affectus mechanicæ irritationis causa est, sed hæc illius; quamquam individuus ille hanc comitatur. Id experimenta quoque demonstrant. Nam quum constet inter omnes cerebrum esse organum memoriæ & cogitationum; eo læso, parte præcipue superiori, quam proprie *cerebrum* vocant, ut a *cerebello* distinguant, & memoria, & omnis pene cogitatio evanescit ut stupidi evadamus. Id & paralysis ostendit, & pressio ejus cerebri partis cutanea, & abscissio, & serosa quædam fluida, quæ copiosius per illam sæpe diffluunt, & somnus, qui quasi brevis paralysis est. Ergo ideæ hanc primum cerebri partem irritant, ex qua & cordis exsistit irritatio: nam cerebrum, ut ostendit Ruyschius, quasi cordis propago est: constat enim infinita pene ramusculorum arteriarum carotidum, & vertebralium compagine: arteriæ vero ab aorta propagantur omnes: & hæc fibrarum cordis, primi scilicet corporis animalis musculi, propagatio est. Quum a cerebro primam nervi originem ducant; inde quoque fit, ut ideis illo concusso, tota nerveologia irritetur, quod & magni tremores, & lætitiæ gestientes, & vehemens iræ furor ipsa per se manifestant. Hoc igitur fœdere est humana mens juncta corpori, ut nihil, dum ei adest, nec agere possit, nec pati, nisi eo veluti instrumento utens. Ac vero nisi ita futurum fuisset, quid attinebat tam molestum ei *comitem* præbere?

Prop. XLVIII. Irritatio animalis est proportionalis irritabilitati mechanicæ.

D. Id & ratio demonstrat, & experimenta. Principium animalis irritatio est a mechanica (coroll. prop. ant.) intensitas vero effectus est in ratione intensitatis causæ. Deinde id acu experiri possumus, qua cutem pungamus: sensus enim doloris magnitudinem & durationem irritationis mechanicæ sequitur. Idem bonorum aut malorum ideæ, idest ideæ irritantes demonstrant: nam inde erumpentes affectus magis aut minus sunt validi, prout magis aut minus idearum illarum fuerit meditatio, & vis, ex qua major aut minor exsistit in cerebro mechanica irritatio.

Scholion. Constat ex historia naturali, hominum temperamenta infinitam pene inter se varietatem habere. Hanc varietatem quum aliæ causæ plures, tum climata efficiunt. Septemtrionales homines tardi sunt & lenti cum

corpo-

corpore, tum ingenio. Id fit quod mechanica in iis irritabilitas difficilior sit; unde propter duarum substantiarum harmoniam, difficilior animalis. Meridionales contra, quorum corporum nervi, fibræque minus sunt humidis ac glutinosis partibus involutæ, ingenio sunt prompti, magisque affectibus obnoxii: delicatiores igitur in iis sunt irritabiles partes, faciliusque oscillant. Ægyptios, Arabes, Persas, Indos, Sinenses & ingenio plurimum præpollere, & artium, quibus nunc Europa luxuriat, primos fuisse auctores, & omnium esse hominum astutissimos, & versipelles, suspiciosos, magnos amatores, zelotypos, iracundos, vetus atque recens historia docet: quum contraria omnia in Tartaris, Svecis, ceterisque frigidis populis videre liceat. Medii sumus inter eos Itali, Græci Hispani, meridionales Galli: ergo æquabiliori ingenio, pacatioribusque affectibus pollemus. Sed & illud physica docet, ea animantia, in quibus cor minus est, quam corporis moles poscit, irritabiliora esse & ferociora. Nam ab irritatione cordis exsistunt affectus; minusque cor vehementiori irritationi obnoxium est, quam præquam oportet majus.

Prop. IL. Nulla in nobis propensio *actu* excitatur, ut sibi prospiciat homo, nisi irritatione mechanica.

D. Hujusmodi propensiones tum excitari dicuntur, quum in id nos bonum incitant, quod spectant: nec vero in bonum aut verum nos impellunt, nisi quum conscii sumus, illa nobis deesse. Sed sensationes, vel ideæ (nam utrimque agitamur) quibus conscii sumus bonum aliquod nobis necessarium deesse, sunt sensationes & ideæ irritantes, irritationemque animalem continent; ergo irritatione animali, appetitu, puta, metu, ira, amore, spe propensiones excitantur, atque moventur. At nulla est animalis irritatio nisi a mechanica (coroll. prop. 47.); ab irritatione igitur mechanica propensiones illæ naturæ excitantur, quibus fit ut nobis libere prospiciamus.

Scholion. Id tota confirmat vita humana. Nam primum qui nullo modo nec persentiscunt nec animadvertunt quidquam sibi deesse, aut aliquid sibi imminere periculi, nec amore ullo, nec timore incitantur. Quin si quisquam sit, qui nec naturam ulla interna aut externa causa premi sentiat, nec quidquam animo concipiat, quo melius esse posse putet, is non magis movetur, quam rupes. Tum sæpe fit ut magna bona aut mala nos cir-

cumſtent; quæ quoniam aut mentis quadam ſtupiditate, aut animi diſtractione non animadvertimus, nullo nos affectu concitant. Animantia igitur & homines primum interna irritatio ad paſtum, & potum incitat impellitque. Eadem efficit ut ſitum eum corporis ſeligant, quo bene ſint. Deinde notiones per organa ſenſuum ad animam meantes monent quid aut ſequendum ſit, aut fugiendum; quod nempe eæ in cerebro, corde, artubus moleſtam procreent irritationem. Quum homines ſupra bruta ratione ſint præditi, qua antecedentia cum præſentibus conferunt, futura proſpiciunt, & ad vitæ uſum referunt: qua poſſibilia ſibi confingunt: inde fit ut majores, frequentiores, aut magis variæ ſint in nobis animi affectiones, quam in brutis. Inde quoque eſt ut omnium animantium nihil ſit nobis tam formidoloſum, quam homo, ac ii præcipue, qui magis ratione & ingenio valent. Quod omnes nationes agnoverunt, quæ nullum animal tot ingenii corporiſque vinculis, nullum ſeveriori diſciplina coercendum eſſe exiſtimaverunt. Quo minus ii ſunt ferendi, qui neſcio cujus ſtultæ ingenuitatis amore iis homines vinculis exſolvere ſtudent, ſine quibus non ſolum boni eſſe nequeant, ſed ne eſſe quidem.

CAP. VI.

De habitibus, ubi de memoria.

Prop. L. OMnes habitus, dum corpori unitur anima, ſunt faciliores irritabilitates naturæ humanæ, ac flexibilitates, quæ exercitatione acquiruntur, & intenduntur, deſuetudine remittuntur, aut delentur: delentur etiam, aut obtunduntur contrariis habitibus.

D. Habitus ſunt facilitates agendi, aut patiendi (def. 51.); nihil autem facile agimus, aut patimur niſi facili naturæ irritatione ac flexibilitate (ex demonſtratis in ſuperiori capite); nec ea facilitas acquiritur aut amittitur, niſi exercitatione, aut deſuetudine, ut experimenta demonſtrant; ergo habitus exercitatione acquiruntur, deſuetudine amittuntur. Jam vero facilitas agendi aut patiendi directionem ac terminum habet, in quem tendit, a quo removetur: ergo contraria facilitate ſeu habitu vel debilitatur, vel perimitur.

Scho-

Scholion. Et quidem tum de habitibus mentis seu theoreticarum disciplinarum, seu naturalium virtutum, tum de mechanicis corporis juxta id affirmo; observationes enim perpetuæ super utrisque abunde id demonstrant. Nec ullus habitus in medium proferri potest, in quo id non obtineat. Quamquam quoniam morales virtutes & a naturæ temperie plurimum quoque pendeant, minus vero theoretici disciplinarum habitus, aut habitus artium; facilius isti, quam illæ desuetudine amittuntur. Jam facilitatem irritationis, ac flexibilitatem, quæ a natura est, propensionem constituit: quæ ab exercitio, habitum. Cave autem ne vires cum habitibus misceas: illæ sunt solius animi: hæc totius naturæ.

Propositio LI. Habituum igitur nullus est nobis congenitus. Nempe habitus omnes intenduntur & remittuntur, exercitatione acquiruntur, desuetudine delentur (prop. sup.); quæ autem talia sunt, naturalia & ingenita nobis esse nequeunt. Vide ut eam rem præclare Aristoteles sub initium Ethicorum Nicomachiorum persequitur.

Prop. LII. Omnes habitus animi simul & corporis vi exercentur, sed præcipua eorum sedes in rationalibus est animus, in mechanicis corpus.

D. Habitus sunt facultates actuum exercitatione acquisitæ (def. 15.); in iis ergo subjectis exercentur, quorum actuum exercitatione acquiruntur; acquiruntur exercitatione actuum mentis simul & corporis; quandoquidem nullæ esse possunt actiones animi quibus totidem non respondeant in corpore; in utroque igitur sunt, seu potius in eo homine qui ex unione mentis & corporis exsistit. Sed quum mechanici irritabilitate instrumenti præcipue constent; potissima eorum sedes corpus est.

Scholion. Inde intelligitur, cur habitus, qui animi dicuntur, aut debilitentur, aut evanescant omnino, fracto morbis aut ætate corpore: & item cur qui habitus dici solent corporis, torpescant paullatim, animo ab iis abducto, aliisque rebus intento. Ceterum in perspicuis est, esse habitus quosdam, qui mente magis exercentur, quam corpore; alios, qui e contrario magis corpore quam mente: esseque alios vitæ sensitivæ, qui ab habitibus mentis theoreticis discernuntur manifesto. Ex. gr. habitus scientiarum theoreticarum mente plus, corpore minus constant:

habitus artium mechanicarum corpore magis, quam mente: habitus virtutum moralium voluntate & temperamento magis, quam ratione. Quod dico non quod totidem habituum subjecta sint distinguenda, in quo laborarunt Scholastici, sed ut quid potissimum in singulis habitibus dominetur indicem. Habitus autem dico, non vires.

Prop. LIII. Quæ actiones aut majori animi attentione exercentur, aut intensiori aliquo affectu, aut voluptate & dolore, eæ irritationem in nobis faciunt altiorem, & diuturniorem. Exploratum est ratione & experientia. Itaque qui habitus actionibus ejusmodi acquiruntur, & facilius acquiruntur, & sunt diuturniores. Non secus atque *vestigia*, quæ majori vi in tenellis plantis imprimuntur, & altiora sunt, & diuturniora.

Prop. LIV. Habitus humani quo plures fuerint, eo debiliores evadunt. Appello ad experimenta. Sed ejus rei ratio in vi naturæ humanæ finita continetur. Scilicet habitus conservari nequeunt sine vi exercente: quo minor hæc vis evadit, eo minus facultatem habituum exercitio possumus conservare. At ea decrescit divisa: ergo in plures habitus distracta, minor ejus pars singulis inhæret; ex quo fit ut debiliores evadant. Qua ex re moniti esse debent, qui egregii & excellentes in facultate aliqua esse cupiunt, ut ne pluribus animum intendant: nullo enim *modo finita* naturæ nostræ vis omnibus esse par potest. Et quemadmodum si eidem solo plura quam ferre possit semina commiseris, detrahes omnibus alimentum; ita pluribus intentus animus mediocris quidem esse in illis potest, summus non potest.

Coroll. Eadem est ratio, cur habitus contrariis enerventur, & paullatim evanescant.

Prop. LV. Memoria ab irritabilitate cerebri est, cujus idcirco præcipua sedes est in cerebro, eaque habitu perficitur.

D. Utrumque demonstrant phænomena. Primum cerebra parum irritabilia omni ferme carent memoria. Deinde magna cerebra ceteris paribus capaciori ac firmiori memoria sunt prædita. Tum in hominibus cerebrum proportione majus, quam in ceteris animantibus: hinc omnium animantium capacissima hominum memoria. Præterea in ipsis animantibus ea capacioris sunt memoriæ, quorum *majus* cerebrum. In avibus exiguum cerebrum, & mi-

nima

nima memoria: majus in quadrupedibus, ac capacior memoria.

Sed & habitu perfici memoriam eadem ostendunt phænomena. 1. nullius rei memoria ingenita est. 2. exercitatione acquiritur; eaque tenacius memoriæ hærent, quæ pluries, & frequentius animo recursant. 3. & quidem iis actionibus, quæ aut majori attentione, aut cum voluptate & dolore, aut cum affectibus paullo vehementioribus fiunt, facilius, & est diuturnior. 4. desuetudine debilitatur, & evanescit. 5. rerum numero & varietate laborat, & hebescit. 6. iis omnibus, quibus vis humanæ naturæ corroboratur, aut frangitur, & memoria corroboratur, aut debilitatur, velut aere, cibis, medicamentis; tum senecta, morbis, &c. 7. minus fatigata & post parva otia major. Quæ omnia ita sunt habituum propria, ut perspicuum sit memoriam esse habitum (1), cujus præcipua sedes sit in irritabilitate cerebri.

Scholion. Quod spectat ad memoriam, fuere, qui putarunt, eam considerari debere velut idearum penu: eas ideas dixere vestigia in cerebro ab objectis externis facta: itaque in cerebro hoc penu posuere. Protulere eam in rem Cartesii auctoritatem. Sed nec ea doctrina intelligi ullo modo potest, & a Cartesii mente longe aberrat. Nam nec ullo modo intelligi potest vestigia in cerebro ab objectis externis facta haberi posse pro eorum objectorum imaginibus; nec, si id tantisper detur, sibi quisquam persuadebit, tot rerum myriades posse distincte in cerebro, parva illa & molli materia, habere vestigia. Cartesius vero vestigiorum quidem vocabulo utitur, sed nihil aliud eo intelligit, nisi facilitatem cerebri, seu habitum actionibus repetitis acquisitum. *Nam illa vestigia*, inquit; *nihil aliud sunt, quam quod pori cerebri, per quos spiritus antea cœperunt suum cursum, acquisiverint eo pacto* FACILITATEM *majorem, quam alii, sese tursus aperiendi eodem modo spiritibus, qui ad se veniunt* (a), quo pacto ille reminiscentiam explicat. Eodem modo Malebranchius memoriam explicuit, posuitque illam in habitu cerebri

 bri

(a) *De pass. animæ par.* 1. *art.* 42.

(1) Copiosius hæc prosequitur Lockius de intellectu humano lib. 2. cap. x.

bri seu in flexibilitate ejus fibrillarum actibus repetitis acquisita (a). Nec alio modo se rem habere suadent phænomena. Scilicet quemadmodum in ceteris habitibus actus ita se excipiunt, ut primo posito quasi natura sua sequantur ceteri, quod in habitibus saltandi, canendi, pulsandi instrumenta musica observatur: ita in memoria excitata idea quavis, aliæ, quas cum illa didicimus consociare, subinde excitantur, ut altera alteram excipiat expeditius & distinctius, aut minus expedite, minusque distincte, pro perfectione & intensitate habitus majori aut minori. Ceterum quacumque tandem via reminiscentia in nobis fieri contingat, id certum est, nullam esse in rerum natura rem admiratione nostra digniorem, & ex qua promtius in supremæ Dei sapientiæ & potentiæ contemplationem provehi debeamus, quam memoriam (1).

Prop. LVI. Omnes habitus constant memoria & reminiscentia.

D. Omnes habitus sunt facilitates actus continuata & harmonica serie producendi, suntque animi simul & corporis (prop. 52.); ergo in omnibus habitibus conjunctæ sunt irritationibus seu motionibus corporeis totidem animi actiones, perceptiones nempe & voluntates incredibili celeritate percurrentes; quum id sit memoria, omnes habitus memoria constant. Inde est ut qui exercere *habitum* aliquem corporeum cœpit, si alio mens abstrahatur, perturbatis illum actibus exercere pergit.

Prop. LVII. Facultas ratiocinandi habitus est, isque varius prout in variis objectis exercitus, etsi vis ipsa ratiocinandi innata sit menti. Nam facultas ratiocinandi exercitatione acquiritur, desuetudine amittitur, habetque ceteras omnes habituum qualitates.

Prop. LVIII. Tota humana eruditio duobus generatim habitibus continetur, qui interea relatione ad objecta velut multiplices & varii spectari solent.

D. Tota eruditio, scientia, sapientia humana continetur numero quodam idearum, idest memoria, & facultate super iis ratiocinandi, idest eas contexendi, antecedentia,

con-

(a) *Lib. 2. de inq. ver. cap. 5. §. 3.*

(1) V. de quæ ea super re scribit vir doctus & mihi amicissimus Antonius Muratorius sub initium *philosophiæ moralis*.

consequentia, connexa pervidendi; at & memoria habitus est (prop. 55.), & habitus facultas ratiocinandi (prop. 57.); duobus ergo continetur habitibus.

Scholion. Hinc fit, ut qui parum memoria valent, ne disciplinis quidem sint apti. Quum memoria in irritabilitate cerebri posita sit, qui cerebro sunt aut exiguo aut obtuso aut nimis aquoso, difficili aut labili sunt memoria. Omnia vasa in senescentibus obstrui incipiunt: ergo & cerebrum; inde labilis memoria senum. Paralysi irritabilitas cerebri perimitur; hinc paralysin comitatur stupiditas. Qui capitis dolore vehementer & diu laborant, paullatim obstupescunt: quia is dolor aut pressione membranarum cerebri, aut vasorum turgescentia quadam cerebri impedit irritationem. Gravis ictus capitis, quod M. Messallæ contigisse narrat Plinius, totam extinguere potest memoriam, atque profligare disciplinas. Antonius de Dura neapolitanus patritius vir æque & generis nobilitate, & ingenio, & animi candore magnus narrare mihi solebat, se quum in calidum balneum descendisset, omni statim memoria fuisse destitutum, ut illud suo testari exemplo videretur, quod Apollonium Tyanensem aliquando dixisse scribit Philostratus, τα βαλανρια γηρας ανθρωπων, *balnea calida esse hominum senectutem* (a). Hæc phænomena ostendunt non animi ullo vitio aut defectu hæc in nobis fieri, sed instrumento. Quo modo qui lippitudine oculorum laborare occepere, necesse est ut parum acute videant; visuque omni priventur, quibus optici nervi obstructi sunt, vel extabefacti. Postremo eadem de causa fit ut non omnes mentis disciplinis nascantur apti, defectu nimirum cerebri, instrumenti memoriæ & scientiarum: ut videantur iniqui quidam & parentes & doctores, qui minus hujus rei memores, idem ab omnibus aut liberis, aut discipulis pensum severe exigunt. Scilicet, *non omnis fert omnia tellus*.

Q 4 CAP.

(a) *Philostrat. de vita Apoll. lib.* I. *cap.* XVI. *extr.*

CAP. VII.

De caussis physicis, voluptatis, & doloris, tum de affectibus.

PErsequamur jam cetera, quæ mentis & corporis unionem consequuntur, ac naturam humanam explicemus uberius. Sed erunt fortassis, qui mirabuntur, me geometrica methodo ea comprehensum ire, quæ nulla ratione constant, sed ex quadam potius naturæ perturbatione exsistunt. Esse cum ratione insanire, ut ille dicebat, affectus, qui omnes ex neglecto rationis imperio emergunt, ad rationem exigere. Addent affectus *vitia* esse & *morbos* naturæ humanæ, omnesque ex veteri illo Adami peccato defluxisse, curandumque magis esse ut in ordinem tumultuantes redigantur, quam ut ullo systemate explicentur. At mea quidem sententia semper fuit, nihil in rerum fieri natura, quod non certis statutisque caussis, summaque ratione fiat; adeoque omnia esse in universo connexa & copulata; multaque idcirco haberi minime intelligibilia, quæque minus possint demonstrari, aut quod ea majores nostri velut desperatæ habuere indaginis, aut quod nos ea, qua par est, diligentia & labore numquam pervestigaverimus. Qui vero putant morbos esse humanæ naturæ affectus *etiam ubi* minus tumultuant, eique propterea noxios, næ ii magnum operæ pretium facturi sunt, si aut hujusmodi res peritioribus derelinquant, aut in rem paullo attentius inquirant. Quod si qui molestius rogitent, ecquid ad rem metaphysicam hæc spectent; respondemus eadem ratione hæc sibi metaphysicam usurpare posse, qua ad se revocat tractationem de mente & natura hominis: ejus nempe naturæ hæc consectaria sunt, ut demonstravimus. Naturam vero humanam quum dico, eam intelligo quæ ex mentis & corporis unione nunc est, non quæ aut umquam extitit, aut quæ olim erit. Hanc philosophum contemplari debere censeo, si humano generi esse velit utilis: nam qui hominem non in Adæ fæce spectant natum, sed velut in republica Platonis positum, ii ingenium quidem in philosophando præseferre possunt acutum expromtumque, utiles nullo modo esse possunt. Philosophum ergo, qui æternitati scribere velit, *naturam exprimere* oportere arbi-

arbitror, non *eam abstrahere*. Quo propius naturæ accesserit, eo sua dogmata diuturniora habeat: quo ab ea abscesserit remotius, eo sciat sua esse brevi peritura, quia vera minus: veri enim mensura in natura est, non in phantasia: itaque is vero accessisse proximus existimari debet, qui naturam rerum verius expresserit. Cetera ingeniorum sunt lusus, indigni in quibus viri graves tempus terant. Nec sane video, quum philosophia experimentalis tantopere probetur, ac jure quidem & merito probetur, cur ea a nobis exordiri non debeat: nam & est experimentalis ethica, & politica, & œconomica, ac omnes morum & vitæ artes.

Prop. LIX. Voluptatum & dolorum omnium causæ physicæ sunt irritationes in corpore excitatæ, quibus corporis harmonia aut conservatur, aut turbatur, aut turbata restituitur (1).

D. Causas hoc in loco physicas dicimus eas, quibus positis semper exsistit effectus, ablatis evanescit, parum nunc curiosi utrum influxione id fiat, necne; at hujusmodi sunt irritationes corporis, nempe iis positis, irritatio animalis idest sensus doloris aut voluptatis repente exsistit; sublatis, cedit evanescitque; & ita quidem ut nullus sit dolor cujuscumque generis, nulla voluptas, idest nulla irritatio animalis, quæ non eas corporis irritationes & motiones consequatur; causæ ergo physicæ hujus sensus non aliæ sunt, quam irritationes & commotiones illæ.

Scholion 1. Ejus argumentationis assumtionem liceat hic paullo copiosius expedire. Ac primum quod ad hanc rem spectat quatuor omnino statuo hominis status. 1. voluptatis æquabilis, seu lætitiæ minime gestientis, sed pacatæ tranquillitatis. 2. Voluptatis gestientis quum animi, tum corporis, ut vocari solent. 3. Æquabilis doloris, seu ægritudinis per modum habitus perdurantis, minime tamen dilacerantis. 4. Doloris impetuosi, & dilacerantis. Scio disputatum acerrime esse ea super re a veteribus Græciæ philosophis (2); sed eorum argumentationes nihil moror.

2. Jam

(1) Ea Platonis est doctrina in Philebo communi philosophorum reliquorum consensione probata.

(2) Plato, Aristoteles, Plutarchus sæpe eam quæstionem memorant. Vide & Ciceronem lib. 1. de finibus.

2. Jam experimur continenter eorum statuum nullum esse, cujus physica & immediata causa non sit irritabilitas mechanica telæ nervosæ & muscularis, qua constat energia vitæ sensitivæ. Hæc seu perturbata, seu restituta, seu leniter & instar amnis placide fluens eos, de quibus dictum est, efficit animi status. Atque ut a priori statu exordiar, observatum est Santorio (a), tunc nos hilariores esse & magis ex animo, quum corporis perspiratio nec nimia est nec deficit; tristiores vero, ubi minor, quam par sit, aut etiam minima. Quum bilis magnum sit omnium ferme humani corporis functionum instrumentum, nihil sæpius contingit, quam ut ea aut vitiata, aut canalium obstructione alio diffluente, magna animi ægritudo procreetur, ac varii gravesque corporis morbi: quæ si & copia, & vi, & circulatione munus suum plene peragit, lenes animo sumus, pacati, hilares, corpore perpulchre nutriti, vegeto vivoque colore. Cujus status animi corporisque manifesta causa est, posterioris quidem justa energiæ vitalis harmonia; prioris vero excessu, vel defectu perturbata. Idem ceteris evacuationibus confirmatur: enim vero perpetuo experior, perspiratione, aliisque evacuationibus paullo retardatis, obtundi mentem, corpus fieri gravius, atque molestam studiis melancholiam dominari: magna perspiratione, aut purgatione quacumque reparari statim hæc omnia. Sunt quidem status lætitiæ, aut tristitiæ ex perceptionibus rerum pulchrarum, aut tristium provenientes, sed non proxime. Cogitatio rerum bonarum & pulchrarum primum cerebri fibras convellit. Quumque cerebrum veluti propago quædam sit cordis, ab ipso vero propagentur nervi, majorem deinde in nervis, arteriis, venis excitat motum; ex quo fit ut liberius fluida fluant: inde perspiratio justa, aliique motus expediti: hinc vero lætitia, quæ semper est in ratione harum motionum, & vasorum dilatationis, ac fluidorum expediti cursus. Inde reddenda ratio cur lacrymis hilarescant melancholici: cur lætior mens post lacrymas. Rerum contra noxiarum & tristium cogitatio coarctat fluidorum vasa, motum sanguinis retardat adeo ut sæpe gelu denset; hinc turbatio & tristitia. Hinc quoque tristes illi perpetuo, qui

(a) *Santorius in statica humani corporis medica.*

qui durioribus & adustioribus sunt compacti fibris, lentiorique fluidorum motu, rara perspiratione, impedita evacuatione.

3. Exploratum est affectus omnes esse conjunctos cum motione quadam præternaturali fluidorum, aliarumque corporis partium. Esse autem potest ea motio. 1. aut æqualis & lenis. 2. aut æqualis in toto corpore, sed paullo intensior. 3. aut minime æqualis in toto corpore, sed quæ naturales corporis actiones præpediat. 4. aut quæ magnopere perturbat. Prima æquabilem voluptatem gignit, & lætitiam, qualis amor sub sui initium, & quum, ut inquiunt, platonicus est. Altera paullo intensiorem voluptatem. At quum quo intensior motus evadit, eo est vicinior turbationi, inde intensissimam lætitiam mœror comitatur seu statim infra naturalem eo motu compresso, seu paullatim. Tertia levem tristitiam progignit, & inquietudinem, veluti paullo ferventior amor. Quarta intensum animi dolorem. Atque ea generalis est ratio expediendi, cur omnes affectus, qui ex boni opinione nascuntur, lætitiam, qui ex mali perceptione, tristitiam secum adnexam habeant: & cur quidam fiat, qui aut mixtam cum lætitia tristitiam, aut *falsa gaudia* creent.

4. Eodem modo atque ab iisdem causis excitantur voluptates & dolores corporis gestientes. Ex. gr. defectu cibi vel potionis, sublato objecto, in quo ventriculi actio exseratur, necesse est ut ventriculi atque œsophagi fibræ vehementer irritentur, ac harmonia vitæ perturbetur: inde dolor famis, aut sitis. Cibo aut potione quum sedatur irritatio, atque harmonia restituitur, voluptas oritur, quæ semper est in ratione decedentium graduum doloris sitis aut famis. Idem contingit in usu aliorum sensuum, ut facile quivis per se intelligere potest.

5. Quum ergo hæc clare & continenter experiantur homines, ratione abutuntur, qui alias dolorum & voluptatum causas physicas in medium proferunt. Causas autem dico physicas, quæ scilicet sunt in animæ instrumento; quod quid menti ipsi, dum dolore aut voluptate afficitur, contingat, id me ignorare ingenue fateor. Nec raro subit animum esse dolores omnes, & voluptates, quibus hic subjecti sumus, animæ cujusdam mediæ & corporeæ: nam phænomena dolorum & voluptatum sæpe mihi locum non habere posse videntur in sola substantia incorporea.

1. Tran-

1. Transitus a statu doloris ad statum voluptatis intelligi nequit sine pressione & dilatatione quadam subjecti, cui hæc accidunt: in animo vero incorporeo nec ulla hujusmodi pressio intelligi potest, & sola operationum intellectus, aut voluntatis vicissitudo hunc sensum efficere nequit, ut perpetua experientia comprobatur. 2. Sunt in voluptate & dolore quidam gradus: intelligi autem nequit, qui substantia incorporea intendi & remitti possit. Sed quum sciam, non idcirco aliquod esse non posse, quod non intelligam, agnoscamque eam opinionem non satis a divina religione probari, præstat rationi diffidere, quam de obsequio in divinos vates quicquam demere.

Coroll. 1. Voluptates & dolores necessario eam consequuntur naturam humanam, qua præditi sumus, ut illa scilicet nequeat esse, quæ non sit iis subjecta. Nimirum nascuntur ex iis physicis causis, quæ, ea exsistente natura humana, quæ est, nequeunt non in illa locum habere. Præterea sunt hæ affectiones naturæ animalis, idcirco animantibus omnibus communes. Quum autem tota insit in homine natura animalis, & necessario eam naturam affectiones doloris & voluptatis consequantur; necessario quoque sequuntur naturam humanam, seu, si scholæ formulis loqui licet, sunt naturæ humanæ *propria in primo*. Ex quo sequitur, ut quum Adam integram habuerit naturam humanam, fuerit natura sua voluptatis & doloris capax, etiamsi in statu innocentiæ, ut in beatitudine quadam naturali, sine ullo dolore victurus fuisset; quod nempe partim ratione divinitus hausta, partim imperio animi majore in res corporeas (1), partim quoque peculiari Dei ipsius cura & subsidio, causas omnes physicas doloris & miseriæ cavisset. Et quo modo Adam *gratia*, non natura fuisset immortalis, quod theologi magna consensione docent, ita *gratia*, non *natura*, dolores omnes evasisset.

Sci-

(1) Quid si ante peccatum tellus ipsa fœcundior & hominum integrorum felicitati faciendæ accommodatior fuisse dicatur? Nam divinæ Scripturæ aperte dicunt, tellurem a Deo post primorum mortalium peccatum maledictam spinas & *tribulos* germinasse. Quod si *Woodwardi* opinio vera est, diluvii tempore totam dissolutam ac renatam inde corruptis hominibus puniendis accommodatam, intelligitur facilius, qui tot inde in nos mala imperium habere potuerint, quibus homines integri caruissent. Vide ut ea de re is disserat in *Geographia physica*.

Scilicet ut in Adamo connexa erant immortalitas & beatitudo illa naturalis: ita mortalitas & miseria. Jam id Moses aperte indicat, qui & cibo usos primos homines etiam innocentes docet, cujus usus intelligi nequit, sine titillatione aliqua famis; & Evam salivam fecisse adspectu pomi *pulchri visu, & suavis ad vescendum*. Naturā ergo fuere primi homines voluptatis & doloris capaces, quia natura animantes; a dolore immunes rationis, majoris libertatis, & gratiæ dono: nec doloris nisi imperium ex peccato profluit, inducta mortalitate, quæ B. Augustini doctrina est.

Qua ex re etiam intelligitur, quid respondendum sit iis, qui rogant, cum ex peccato Adæ dolores in vitam humanam inundaverint, ecquid peccavere bruta, quæ doloribus & ipsa afflictantur? quam quæstionem pluribus in locis agitavit Augustinus. Nempe ejus naturæ creatori suo facere placuit, quæ ut voluptatis, ita doloris essent capacia, atque altera alter compensaretur. Non ergo probari possunt, qui idcirco aut negant bruta dolorem & voluptatem sentire, aut opinantur devolutas in brutorum corpora sontes mentes; quorum illud cum ratione, hoc cum theologia pugnat. Sed *sub Deo justo*, inquiunt, *nemo miser, nisi mereatur*. Nempe id obtinet in iis creaturis, quæ & Dei, & rationis atque juris, & legum divinarum intelligentes factæ sunt: nec ulla suadet in naturis brutis locum habere, quæ ut pro voluptatibus nullas agunt gratias, ita pro doloribus conqueri nequeunt. Quid si natura animalis incapax doloris, ne voluptatis quidem capax sit? Nam quum utrumque ab irritatione mechanica sit, non potest ille auferri, quin hæc auferatur. Sed ea de re alibi; est enim paullo implicatior, quam ut paucis explicetur.

Coroll. 2. Voluptatis & doloris intensitas est in ratione intensitatis perturbatæ aut restitutæ harmoniæ irritationis. Nam intensitas affectus est in ratione intensitatis actionis causæ physicæ. Est autem perturbata, aut restituta harmonia irritationis doloris & voluptatis causa physica (prop. 59.); ergo, &c.

Prop. LX. Affectus omnes nascuntur ex perceptione *boni*, quæ agit *voluptate*; & *mali*, quæ impellit *dolore* (ex intima conscientia); suntque naturæ impetus intensiores, quibus ea persequitur bona externa, aut mala externa aversetur.

Scho-

Scholion. Propter arctissimam mentis & cerebri unionem fit ut reciprocentur utrisque substantiae actiones. Nam & cerebri oscillationes varias ideas ac voluntates in animo procreant: & vicissim ideae ac appetitus animi magnas diversasque in cerebro, atque hinc in corde & toto corpore commotiones. Rei jucundae oblata species efficit ut lätius liberiusque fluida fluant; inde laetitia. Terribilis rei conspectus arctat sistitque fluidorum motum. Hinc aegritudo. Irritatio, quam oblata bona progignunt, appetitus excitat ei irritationi proportionales. Ea vero, quam mala concitant, aversionem item mechanicae irritationi aequalem.

Coroll. I. Si igitur ea irritatio nullas habeat reales caussas, sed solum phantasticas, affectus sunt falsi. Hinc delirium, amentia, furor: atque haec magnitudini irritationis cerebri proportionalia. Ex eadem causa est fanatismus, enthusiasmus, &c.

II. Sed si habeat quidem extra nos causas, minoresque tamen, ut reliquam vim ab internis mutuetur vectibus, falsas item concitat perturbationes, phantasticosque nos efficit.

III. Postremo si ea irritatio minor est caussis progignentibus ob cerebri nempe quamdam crassitiem & tarditatem, falsi quoque sunt affectus, defectu videlicet, efficiuntque stupidos.

Prop. LXI. Omnes affectus sunt argumentum manifestum. 1. naturae mutabilis. 2. nec infinite perfectae. Nam sunt commotiones naturae, quae iis afficitur (def. 15.), & quidem irritationes, quae suas habent intensitates, quaeque cum voluptate, aut dolore sunt conjunctae; quae omnia, nisi in natura mutabili, intelligi nequeunt.

Deinde affectus sunt naturae impetus intensiores, quibus persequitur bonum externum velut naturae nostrae complementum, aut externum malum velut a quo destrui possimus aversatur (propp. sup.), quod pugnat cum natura perfectissima, quae nec bonorum externorum indiget, ut plena sit, absoluta, sibi sufficiens: nec malis ullo modo affici potest.

Prop. LXII. Affectus necessario consequuntur naturas rationales atque animales non infinite perfectas.

D. Naturae rationales atque animales non infinite perfe-

perfectæ necessario ferri debent in bonum ipsum generatim, quod in se non habent; adeoque & necessario aversari malum quodcumque, quod timere possunt: nequeunt ergo non affici atque irritari ex cujusque externi boni vel mali perceptione; qui sunt affectus, idest naturæ impetus irritationesque intensiores, quibus bona externa prosequitur, aversatur mala.

Prop. LXIII. Affectus naturam humanam necessario consequuntur.

D. Primum affectus necessario comitantur naturas rationales atque animales finitas (prop. 62.); quum sit talis natura humana, necessario eam consequuntur. Præterea affectus omnes sunt impetus atque irritationes intensiores, quibus rationalis & animalis natura persequitur bonum, aversatur malum (prop. 60.); qui impetus necessario sequuntur intensitatem voluptatis, aut doloris, quibus natura humana determinatur: quum autem voluptas & dolor necessario sequantur naturam humanam (coroll. 1. prop. 59.), sequuntur & affectus.

Schol. Est hoc in loco nobis non cum philosophis modo quibusdam, sed & cum theologis etiam plerisque acerrima concertatio. Nam Stoici *morbos* vocant affectus, eosque *præternaturales motiones* definiebant (*a*), aut *aversas a recta ratione contra naturam animi commotiones* (*b*). Jam affectus in sapientem numquam cadere pertinaciter docuere Stoici, alias negarunt esse sapientem: agunt nempe sapientes voluntate, idest constante ratione, non affectu, perturbato scilicet & incitatiori appetitu (*c*). Porro sunt theologi inter Christianos quidam, qui non dubitant affectus omnes inter peccata censere, quod scilicet originem cœperint ab Adæ peccato. Ita Lutherani ferme omnes & Calviniani (1). Non desunt qui eamdem B. Augustino senten-

(a) *Zeno apud Laer. lib.* VII. *sect.* 110.
(b) *Cic. lib.* IV. *Tuscul. cap.* 6. *& lib.* III. *de finibus*.
(c) *Cic. Ibid. Laert. lib.* VI.

(1) Vide Campegium Vitringa observat. sacrar. lib. 3. cap. 11. Buddæum theol. mor. part. 1. cap. 1. sect. 6. §. 2. Et revera Lutherus & Calvinus non aliter loquuti passim esse videntur.

sententiam tribuunt, in quo profecto aberrant: quippe qui passim scribit, imperium tantum affectuum inde expisse (*a*). At B. Thomas (*b*), cujus ego hominis subtiliorem hanc philosophiam in plurimis admirari soleo, rem ita composuit ut tribueret naturæ integre affectus ex opinione boni manantes, quos perpetuo voluptas comitatur, negaret vero eos, qui ex mali opinione progigni solent, quod ea natura ut a dolore fuit immunis, ita ab affectibus tristitiam & dolorem comitantibus. Mea non refert exquirere qui affectus fuissent in hominibus integris: nam disserere non admodum soleo de rebus, quas nostra scire non refert, nec *possibilia* inutiliter persequi. Id affirmo, affectus consequi necessario naturam rationalem & animalem: atqui non dubito, Adamum, ut erat immortalis, ita affectuum libidini minime ante peccatum fuisse obnoxium: sed id pronuncio audacter, tali fuisse creatum natura, quæ ut dolore & voluptate, ita affectibus affici posset: alias nulla in eo naturam humanam intelligere possum. Et quemadmodum in JESU CHRISTO servatore nostro integerrima fuit natura, sed voluptatis & doloris, eorumque, qui voluptatem & dolorem comitari solent, affectuum capax, quod aperte in Evangeliis positum est; ita esse potuit in Adamo licet innocente. Nam ego imperium in affectus illi relinquo: naturam affectuum impatientem nego. Stoicorum vero hoc dogma non possum non deridere: tantumdem enim est homini idest animanti rationali affectus demere, atque circulo rotunditatem; aut si mavis, triangulo æqualitatem quum tribus angulis, cujus est illa *necessaria proprietas*. Sunt præterea affectus instar *vectium* quarumdam, quibus mirifica in homine excitatur aliturque magnarum rerum effectrix vis, nec sine magnis affectibus quidquam egregium & præclarum legas umquam ab hominibus factum. Ratio in nobis recta nullo impetuosiori affectu concitante constantius operatur, & æquabilius, sed eximium quidquam & distinctum ipsa per se sola efficiet numquam. Eadem, ubi natura vehementissime affecta est, velut erigitur, ac, licet paullo turbulentius, efficit tamen quæ mira videri possent naturæ humanæ vires omnes ignorantibus. Itaque Plato sæpe scri-

(a) *Vid. lib.* 14. *de civit. cap.* 10.
(b) *Prim. p. q.* 95. *art.* 2.

scribit, magnorum virorum fuisse neminem sine enthusiasmo quodam, idest vehementiori affectu. Quibus accedit, quod ne virtus quidem ulla in homine locum sit habitura, qui impatiens sit affectuum. Deme enim affectus, & voluptatem atque ægritudinem auferas necesse est: ita nullum erit reliquum virtutis subjectum. Ολως τι ὐκ ἐςι λαβειν αρετην ϗ κακιαν (inquit Aristoteles) (*a*) ανευ λυπης ϗ ηδονης,, *in summa nec virtus, nec vitium locum in nobis habere potest citra ægritudinem & voluptatem.*

Prop. LXIV. Affectus, nisi quum ad extrema vergunt, falsique evadunt, sunt homini necessarii seu solitarium illum spectes, seu in societate constitutum.

D. Nempe conservari homo nequit nisi bonorum fruitione, declinatione malorum; ac bonis nemo perfruitur, iisque frui studet, nisi incitatus appetitu voluptatis: nec quisquam aversatur mala, nisi affectu doloris disterreatur: necessarii ergo homini conservando sunt affectus.

Scholion. Ut hujus propositionis veritas intelligatur plenius, operæ pretium erit præcipuorum humanæ naturæ affectuum paucis historiolam contexere, eorumque physicas expedire causas, tum fines & effecta demonstrare. Quumque nemo sit qui ea de re præclarius Renato Cartesio disputaverit, in tractatione *de passionibus animæ*, pauca inde depromam in rem nostram, nec tamen sine auctario, aut judicio.

1. Sex Cartesius statuit primarios affectus, admirationem, amorem, odium, cupiditatem, lætitiam, & mœrorem; ceteros esse putavit horum modificationes. Sed & motu spirituum & glandulæ pinealis eos produci omnes augeri conservari existimavit. Nostra hoc in loco non refert systema illud accurate expendere, qui non id nunc ex instituto agimus (1). Præcipuorum affectuum causas physicas ita ex illo mutuabimur, ut non obliviscemur dolabra sæpe totum opus indigere: eorum præterea necessitatem atque utilitatem perpendemus, ut sint exemplorum loco.

(a) *Lib. 1. M. moral. cap. 6.*

(1) Mentem is in glandula pineali sitam censuit: inde ope spirituum animalium solo voluntatis nutu corpus moderari arbitratus est. Hanc glandulam in medio cerebelli ita suspensam esse statuit, ut minimo spirituum animalium motu huc illuc impellatur. Addidit hinc glandulam tot variis modis in ea cerebri parte suspendi, quot variis modis spiritus animales in eamdem impingunt: præterea tot varia

2. Affectuum ordine primus, sed intensitate, & vi infimus, est admiratio. *Est ea*, inquit, *subitanea animæ occupatio, qua fertur in considerationem attentam objectorum, quæ ipsi videntur rara & extraordinaria*. Neque in ea animi affectione mutationem ullam sensibilem in corde aut sanguine, quod in ceteris contingit affectibus, provenire putat: ex nova tantum & insolente cerebri concussione nascitur. Sunt qui alia ex causa nasci admirationem putant. Admiratio, inquiunt, est quum mens uni imagini contemplandæ defixa hæret. Id evenit, quum ea imago connexa cum aliis non est, idest quum insolita & rara est: nam ea fit, ut reliquarum idearum vestigia seu irritationes cerebri omni ferme vi sua destituantur. Itaque in magna admiratione & sensationes cessare videntur, & reliquæ animi functiones. Is affectus, dum excedit, *stupor est*, qui, ut in ceteris vitium (*a*) est, & magnum imbecillitatis cerebri argumentum, si sæpe & vehementer recurrat. Dubitari non potest, quin admiratio ex fibrarum cerebri contractione quadam nascatur. Ea contractione fit ut curiosius in rem, quam admiramur, intendamus animum ac inquiramus diligentius, nec inquirendi faciamus finem, nisi re cognita. Quod scilicet ea est, non admirationis tantum, sed omnium affectuum natura, ut nos de naturali statu paullatim demoveant, ac propterea naturæ hominis eam faciant commotionem, qua, nisi pacata inquieti simus necesse est. Eam ob rem cavendum est iis, qui res humanas gerunt, publicis aut factis aut legibus hominum curiositatem erga ea excitare, quæ præstat esse occulta. Omnia po-

(a) *De pass. animæ part.* 2. *art.* 70. 71. 72. 73.

varia vestigia in eadem imprimi, quot variis objectis externis spiritus animales in eamdem impelluntur. Hæc, quæ late ille in prima parte ejus tractationis exsequitur, principia sunt, quibus ortum, & compositionem affectuum explicat. Nimium in his genio suo indulsit Cartesius. Ac profecto mirari satis non possumus, summum philosophum, qui firmissime statuerat, nihil affirmare, nisi quod clare & distincte perciperet, nihilque nisi ex evidentibus & claris concludere, & *qui idcirco* toties in scholasticos invectus erat, occultarum qualitatum prædicatores egregios, hypothesin proferre omni occulta qualitate occultiorem; quod est viri acris, ac cartesianarum partium judicium. Quod hic meminerimus velim, est, quum totum cerebrum, tum superiorem præsertim partem organum esse idearum, easque oscillatione fibrarum potius, quam spirituum animalium motu in animo progigni. Ab hac oscillatione affectus pendent: hæc enim & ad cor propagatur, & ad diaphragma, & ad reliquum corpus.

potius adhibenda esse remedia censeo quam ea, quæ vim quamcumque ingeniis inferendo, cerebri humani fibras contrahunt, & curiositatem vehementissimum concitant; quum ut in rebus pulchris ac utilibus, ita in pravis numquam, ut dixi, conquiescat, nisi re, qua impellitur, penitus explorata.

3. Utilitatem ejus affectus persentiscimus magnam, ut *& discamus, retineamus in memoria nostra ea, quæ antea ignoravimus* (a). Nam ex gravi illa cerebri irritatione altiora memoriæ vestigia proveniunt. Quæ utilitas est in affectibus omnibus: nam quum affectus omnes sint vehementiores commotiones, gravius, quam ex ullis aliis caussis, inde afficimur, memoriaque expeditius acquiritur, & est diuturnior (prop. 55.). Sed est altera hujus affectus utilitas: nempe inde pulcherrimarum & utilium rerum inquisitio exorditur: ut accurate prorsus Plato & Aristoteles scripserint, *totius philosophiæ principium fuisse admirationem*. Itaque esset hic affectus in pueris & adolescentibus, non, ut quidam faciunt, suffocandus, sed blande & prudenter alendus, ac ad præclara sensim investiganda flectendus. Dici vix potest quantam hæc naturæ humanæ vectis vim habeat, ac quantopere hominibus esse possit utilis, si iis applicetur, unde quidpiam præclari & utilis in genus humanum derivari potest. Accedit, quæ in alios ex admirantis situ & adspectu redundat, ut scilicet ii una excitentur ad eamdem rem attentius contemplandam. Nam longe præstantissima est hæc affectuum omnium utilitas; ut scilicet externis eorum signis & characteribus una agitemur, nobisque, aut aliis caveamus, ut nihil sit tam facile homini, qui adspectu aliquo vehementissimo agitatur, quam eos omnes, qui adstant, nec satis firmam rationem habent ad cavendum, velut, magica quadam virtute corripere, & excantare. Qua ex re intelligi potest, qui fiat, ut enthusiasmus, quod Aristoteles adnotavit, velut flamma quædam plurimos corripere possit: est enim enthusiasmus plurium affectuum vehementissimorum velut complicatio, qui dum oris enthusiastæ intuita ad spectatorum cerebrum pervenere, singulos quemque pro sui modo facile afficiunt. Nam & eodem modo qui frequentius oscitant alios ad oscitandum incitant: & epileptici sæpe epilepticos fa-

(a) *Ibid. art.* 75.

faciunt spectatores. Ita irati vultus ad iram invitat; ridentis ad risum: trementis ad timorem. Scilicet in ipsis instrumentis musicis, pulsata chorda, unisonæ resonant. Jam admiratio necessarium consectarium est & *mentis* & finitæ *mentis*; nihil enim admirari aut Deus potest, aut truncus.

4. Admirationem sequuntur *æstimatio*, aut *contemtus*: ex quibus porro magnanimitas, aut humilitas, & *abjectio*: *veneratio*, aut *despectus*; qui affectus omnino sunt necessarii, ut nempe nos ex ratione circumpositorum objectorum componamus in statibus naturæ nostræ necessariis, & externis rebus adaptatis. Scilicet non eodem modo agere debemus erga exilia & nullius pretii objecta, quo erga præstantia & nobilia. Ad eos situs, atque agendi habitus illi nos facilius expeditiusque componunt affectus. Id vero quantopere vitæ humanæ præclare & sapienter gerendæ conducat, hinc intelligere possumus, quod, ut stoici perspectissime docuere, tota nostri tranquillitas, & quæ hic haberi potest, beatitudo, hinc tantum fieri possit, ut *congruenter naturæ vivamus*. Vivere autem congruenter naturæ non possumus, nisi eas, quas cum rebus, a quibus aut agimur, aut circumdamur, relationes & animadvertamus, & sectemur. Ad eas vero relationes sentiendas satis a natura facultatibus instructi nascimur: sed affectibus, idest ipso naturæ nostræ sensu, iis aptamur; ut proinde nihil in his debeat philosophus cavere, nisi perturbationes, idest, ut dictum est, excessus, & falsitates, quibus fit, ut a naturæ ordine desciscamus. Atque hac in re valde ego mirari soleo Stoicos, &, qui eos perpetuo se affectari assimulat, M. Tullium Ciceronem, qui quum illud intellexerint *oportere secundum naturam vivere*, nihilque eo esse in vita præclarius & jucundius, in affectibus non compescendis modo, sed extirpandis giganteum conatum converterint, atque naturam humanam eum in locum adigere studuerunt, in quo nullo modo nec præclare, nec jucunde vivere possit, sed nec illud quidem possit, quod est secundum naturam. Contingit id enim quum ita vivitur, ut cum rebus naturæ ceteris harmonice & simus & vivamus; nec vero hoc fieri ullo pacto potest, nisi eam habeamus naturam, qua iis adaptemur; quod fieri porro nequit, nisi varie pro rerum varietate ac adspectibus componi & modificari possimus; neque tandem hoc, nisi simus affectuum patientes. Ita ea stoica doctrina non cum natura modo tota, sed secum quoque mirifice pugnat.

5. Amor

5. Amor a Cartesio definitur commotio animæ, qua illa impellitur ad se voluntate jungendum objectis, quæ ipsi convenientia videntur: odium commotio, quæ animam ad id incitat, ut velit separari se ab objectis, quæ illi videntur noxia (1). Amore cor leviter crispatur, oscillatque velocius, unde fluidorum vasa similiter agitantur, ac sanguis acceleratur, ac rarefit paulatim. Hinc perspiratio major, & hilaritas, nisi quum modum excedit pervertiturque ægritudine & suspicione, difficultate adipiscendi objectum, aliisque causis. Odio arctantur fluidorum vasa, motus sanguinis fit tardior, impeditur perspiratio: inde tristitia. In amore floridus vultus & subridens: macies & squallor in odio. Amoris necessitas atque utilitas est manifesta, seu privatam hominis vitam, seu publicam spectes. Noxius esse potest quum modum excesserit, falsusque evaserit, quod illi cum ceteris affectibus commune est. Et quidem non morali tantum vitæ, sed animali etiam est utilis, quum eo affectu harmonia vitæ humanæ & contineatur; & exerceatur expeditius. Sed & necessarium est odium, ut a noxiis caveamus; nec est noxium, nisi cum perturbata ratione ea odio prosequimur, quæ bona sunt & utilia (2).

 6. Me-

(1) Ibid. Art. 79. Eam definitionem *secundum effectus* esse, non secundum essentiam putavit B. S Is definit, *amor est lætitia concomitante idea causæ externæ*, idest boni: odium tristitia *concomitante idea causæ externæ*, idest mali.

(2) Inter omnes animi affectus nullus est aptior ad præclara facinora gerenda, ac virtutes heroicas gignendas & alendas, præterquam unus amor. Is & verecundos nos efficit, & honestatis studiosos, nobisque perniciffimas alas addit ad virtutes ferme omnes, id quod quum est ex natura ipsa amoris perspicuum, tum perpetua docet historia. Quare Plato scribit in convivio, si civitas coire, aut exercitus legi posset omnis ex amatis & amantibus, supra quam dici potest fore illam quidem beatam, omniaque generose & sancte administraturam: hunc vero fortissime & magnanime gesturum omnia. Nam & se mutuo verentes singuli ab omni injustitia & turpitudine exhorrent omnes, & se mutuo amore complectentes, communi omnium æmulatione ad nobilissimas incitarentur virtutes. Dici hæc posset civitas heroica, atque heroïcus exercitus. Ac sunt hæc quidem longe difficillima inter Adæ filios, &, ut nunc sunt mores a naturæ simplicitate immane quantum dissiti, admodum rara: sed nec vacant exemplo, & in ipsa amoris natura rationem habent. Nam egregia sunt & illustria amantium facta in historiis relata, ut de hac doctrina ab eo tantum dubitari possit,

6. Metum Stoici definiebant, opinionem impendentis mali, quod intolerabile esse videatur (*a*). Et is naturam ratio-

(a) *Cic. 4. tusc. cap. 7.*

posuit, qui res humanas numquam attigit; & prima Christianorum civitas ita mente & moribus composita fuit, ut viderentur unum habere cor: ex quo factum est, ut nulla a Patrum memoria fuerit ætas tam ferax earum virtutum, quæ hominum magis intersunt, seu ad adversa fortiter toleranda, seu ad vitiorum conquisitas illecebras fortissime repellendas, seu ad ea inter sese exercenda officia, ex quibus utilitas, commoditas, postremo felicitas humani generis proficisci potest. Sed & est ejus rei causa physica in ipsa, ut dixi, amoris & hominis natura. Amor enim paullatim & leniter sanguinem rarefacit, ac fluidorum vasa dilatat: novam quoque vim fibris, idest humani corporis vectibus, tribuit, aut expeditiores illas efficit. Illa fit ut mens humana augustius se domicilium & nobilius incolere tum sentiat, quum amat. Sibi suarum virium magis conscia evadit; itaque in magna & nobilissima nititur, turpia velut humilia & se suapte natura indigna despectat. Ac animadverti sæpe ergo, nationes, quæ sub ipsis ferme mundi polis vitam degunt, geluque perpetuo obdurantur, amicitia, & misericordia, iisque affectibus, in quibus nonnihil inest amoris, gloria, ambitione, & hujusmodi aliis, aut nihil omnino, aut vix tangi, esseque feroces, truculentas, denique inhumanas, eumque ipsum, quo agitantur, in alterum sexum amorem, & caritatem quam erga partus suos præseferunt, nescio quid belluini habere, & naturalis potius esse impetus, quam delectus & amicitiæ: contra qui circa tropicos habitant naturam habere molliorem, æquabilius inesium amore & misericordia , ac nisi aut vetera vitia obstent, aut metus vel suspicio animent, illustrium virtutum esse capaces. Adeo naturam emollit, & ad honesta & pulcra hic unus agit affectus! Quamobrem sic habeo, nulla ex re licere clarius conjicere interiorem animi humani habitum & constitutionem, quam ex amore; qui quo facile capiuntur, amabiles ii sunt, ingenio æquabiles, sociales, honestatis studiosi, & ad virtutem facti: qui minus, truces, subdoli, fallaces, cives aut inepti, aut perditissimi, ad scelera quævis suscipienda promti. Interea animadvertendum est, amorem quum dicimus, eum nos intelligere, qui amicitiæ similior sit, aut habeat ejus plurimum, non eum animalem tantum impetum, quo velut mechanica lege sexus in se mutuo feruntur. Illum, non hunc, nos amorem architectum habemus civitatum, artium, literatum: eum virtutum omnium quum socialium, tum divinarum stimulum. Atque utinam ii, qui infantes & pueros educant, in hoc operam præsertim locent suam, ut in iis nobilem hanc amicitiæ flammam, cujus scintillas a natura ipsa haurimus omnes, alant, & ad egregia quæque impellant! Est enim hoc dolendum, ut puerorum institutores mentem excolant attentissime, vitiosam philautiam foveant, falsi honoris, ambitionis, superbiæ semina virtutis prætextu in teneris animis indant, amicitiæ vero illius germanæ vim aut ignorent ipsi, aut excitare & fovere negligant. Qui videntur ignorare, quantopere in vita jucundum sit.

Σποιρειν τε καρπον Χαριτος ἡδιςης θειων

Gratiæ Dearum suavissimæ fructum serere, *ut apud Athenæum* (lib. 1.) *ait Antiphanes*.

rationalem animalem consequitur necessario: non secus atque lætitia, & ægritudo: nempe natura ita sumus comparati, ut ex perceptione boni, quod quocumque modo nos spectet, lætemur; ex perceptione mali, quod quacumque ratione ad nos pertinere possit, tristemur. Est *lætitia* perpensio boni præsentis: *spes* futuri, ut spes sit *minor lætitia*. At persensio mali præsentis *tristitia* est; futuri *metus*, seu minus vehemens tristitia; qui cum sine ulla spe est impendentis mali evadendi, est desperatio. Ut lætitia ejusque species omnes in primis amor, vasa fluidorum dilatant, sanguinem leniter rarefaciunt atque agitant, ita ægritudo, & qui ei sunt subjecti affectus, coarctant atque præpediunt adeo ut aliquando magno pavore sanguis congelatus sit, hominesque extincti (*a*). Inde ex timore pallor, tremor, pavor. Hujus affectus utilitas insignis est, ut nos adversus mala tueamur fuga, quum ad defensionem vires deficiunt. Est is affectus in imbecillis vice armorum. Et, quod magna providentiæ divinæ cura contingere judico, brutarum animantium, quæ satis in se virium ad defensionem habent, in prospectu periculorum ira incenduntur, qua naturalia arma validius adhibere possint venenum, cornua, ungues, ungulas, rostrum, dentes: quæ vero inermes sunt, ut pisces, lepores, avium quædam, damæ, capræ, &c. subitaneo terrore in fugam aguntur. Ex quo intelligi potest quanta supremæ mentis cura natura animalis affectibus obnoxia sit creata (1).

 7. Ira

(a) *Vide Haller Physiologiæ tom.* 2.

(1) Non singulorum tantum vitæ tutandæ necessarius est hic affectus, sed societati in primis conservandæ. Nec enim sine harmonia quadam partium civitates coire & stare possunt, nec ea harmonia sine amore aut metu nasci. Quum autem nec sociali amicitia tangantur omnes, & de immodico sui ipsorum amore quidquam concedere assuescant pauci, nihil aliud superest, quo difflire promptæ partes contineantur, præterquam metus. Ita fit ut civitas sine poenarum sanctione esse inter Adæ nepotes nequeat, faciliusque quis conceperit civitatem sine mutuo civium amore conservari, quam sine poenis & metu. Quocirca civitates omnes dissipare repente posset quisquis naturam humanam metus impatientem redderet. Atque hoc in loco illud mihi cogitanti occurrit, esse civitates elatorum in eodem plano insitorum fornicibus persimiles: quemadmodum enim flecti illi & curvari nequeunt sine suprema quadam vi, ita, nisi majoris potentiæ metu, in idem consentient homines, fere numquam coetum ullum efficient. Eodemque prorsus modo, ut elaterum fornices statim dissiliunt, si comprimens vis cesserit; ita homines natura sua elastici idest libertatis naturalis amantes, desinunt ejusdem esse urbis cives,

7. Ira est libido puniendi ejus, qui læsisse videatur injuria. Cujus species, ex iræ excessu natæ sunt *odium*, *ira* inveterata: *amaritudo* ira confestim prorumpens: *bilis* ira intumescens: *inimicitia* ira ulciscendi tempus observans: *discordia* ira acerbior intimo odio & corde concepta (1). Ira non sensim, ut amor, sed statim & vehementer cerebrum & cor contrahendo irritat, ac sanguinem impellit, accelerat, rarefacit: unde excandescentia, & rubor: nam iræ momentaneæ est necessitas; amor in longum tempus spatiari potest. Sunt tamen qui in ira pallescant, alii qui illacrimantur, quæ Cartesius (*a*) aliter explicat, ego ex conjunctione cum aliis affectibus oriri censeo. Pallere in ira solent, qui temperamento sunt flegma-

(1) *De pass. part.* 3. *art.* 200. *&c.*

ves, atque in mutua armantur perniciem, ubi vis legum & imperii concedat paullulum. Inde fit, ut in publicis quibusdam calamitatibus, ubi nullus esse potest legibus, & supremo imperio locus, veluti peste publice grassante, aut ingente belli metu rempublicam perturbante, incredibilia scelera regnare soleant, audentibus singulis in legum cessatione id, ad qaod vix plures in imperio essent aggressi. Molucas insulas quum deseruissent Sinenses, nostri ubi primum invasere, in statu naturali, sine legibus, sine imperio, sine republica repererunt: sed adeo alios in alios audentes & invadentes, ut nihil clarius ostendere possit, quam difficile sit homines in naturæ statu societatem ullam servare posse, nisi aliter educentur. Contigit idem in Palæstinæ regno, quod europæi Christiani undecimo a Christo nato seculo incredibili & labore & impendio constabiliverant: nam postquam, debilitata avorum virtute, nepotes in partes imperium dilacerare cœperunt, nullo communi metu perciti, *ambitu dominandi* in se se mutuo sævierunt tanta immanitate, ut non modo non christiani, sed ne homines quidem sæpe viderentur. Quo factum est ut brevi *regnum* illud exscinderetur (*Vide Hertot* Histoire des Chevaliers hospitaliers de Jérusalem tom. 1.)

Quod si quis quærat quid caussæ fuerit, quamobrem homines metus capaces creati fuerunt, quum potuerint ita esse natura comparati, ut solo amore & voluptate efficerent, quæ societati sunt consentanea: respondeo, eadem ratione quæri posse cur doloris capaces sint creati, est enim metus doloris velut consequens. Quod si quis est, qui & dolori subjectos homines indignetur, renunciare is voluptatibus debet; quandoquidem fieri non potest, ut natura animalis voluptate tangi possit, quin & doloris sit patiens. Scio ego hæc ex ideis rerum nostrarum disputari: sed his philosophandum nobis est, quando aliæ non suppetunt.

(1) Perelegantes Stoicorum definitiones apud Laert. lib. III. Cicer. IV. tusc. Stobæum eclog. eth. cap. 4.

matico, quod scilicet, antequam sanguis ebulliat, totas vindictæ vias excogitant; hinc odium, timor, & defixa cogitatio; ex quibus pallor; qui idcirco magis sunt timendi, quam subito excandescentes, non secus, atque qui excandescunt, & dissimulant, cujus erat Tiberius naturæ (*a*). At plorant animæ imbecilles tum, quum iræ admixtus est amor, ut pueri, fœminæ, iisque alii similes.

8. Nullus affectus est, qui dum excedit, ira sit perniciallor: itaque sapienter veteribus dicta est, *brevis furor*. Sed & naturam humanam necessario consequitur, &, nisi extra virgulam evagetur, utilissima. Nempe nos atque nostra necessario amamus, nec sine eo amore conservari possumus: porro ira nihil est aliud nisi nostri, nostrorumque amor sanguinis agitatione in nostri defensionem excitatus & injuriæ tristitia mixtus. Ut idcirco stipites sint oportet, qui ira tangi nequeunt. Tum vero ira & memoriæ fovendæ, & intellectui acuendo est utilissima: ita veteres *ingenii cotem* dixere. Adversus pericula vires auget, qui intendit elasticitatem fibrarum: bellorum nervus est. Argumentum certe generosorum hominum. Sed nisi ratione & usu cohiberi assuescat, *ruinis simillima est*, *quæ super id*, *quod oppressere*, *franguntur* (*b*).

9. Commiseratio Stoicis definitur ægritudo super eo, qui indigne est miser. Affectus est ex temperatione quadam *amoris* & *tristitiæ*. Atque hinc ex eo præsertim affectu facile illacrymamur. Nam quemadmodum elati calore terrestres vapores superioris aeris frigore coeunt in guttas, unde exsistit pluvia; ita agitatus amore sanguis, dum tristitiæ occursu frigescit, lacrymas procreat (*c*). Est autem hic affectus, si quis alius, homini in societate degenti necessarius: nam ita in opem mutuam impelluntur homines. Hinc nullus est hominibus, qui ira, aut aliis effectibus non agitentur, æque familiaris, eoque frequentior & facilior, quo natura simplicior, ut in pueris, & fæminis. Familiarissimus est iis gentibus, qui pastoralem, & agrestem vitam, sine luxu, sine bello, ac sine iis vitiis quæ luxum & bellum comitari solent, agere sunt repertæ.

Ut

(a) *Vide Taciti præclara super eo observata in primis annal. libris.*

(b) *Vide Senec. ad Novat.*

(c) *Vide Cart. ib. art.* 128. *& seqq.*

Ut intelligere possimus hominem aptissimum societati natum, prava educatione in mutuam instrui miseriam.

10. Pauca hæc exempla, satis, opinor, demonstrant, affectus omnes & naturam sequi humanam, quum, si recte observetur, sint variæ modificationes *inclinationis naturalis in ipsum bonum*, & *aversationis ab ipso malo*, sine quibus natura humana nullo modo concipi potest (a): & esse utilissimos non homini tantum solitario, idque seu memoriam seu intellectum, seu ipsum corpus spectes; verum etiam in societate agenti, seu ut sese mutuo defendant, seu ut ab aliis caveant. Quanto ergo in errore versantur ii, qui morbos semper eos habent, quique extirpatos illos a natura humana optant? Sed est, ut dixi, in quo & menti simul, & corpori, & societati noceant, quum nempe omne rationis jugum excutiunt, atque ad extremum vergunt, quod nunc explicare locus non est.

11. Illud observatu dignum est, affectuum nullum esse, qui non vultu manifestetur. Quod quamquam videri potest necessitate quadam naturæ fieri; non fit tamen sine sapientissimo Dei consilio; nam & ita facile homines aliis sui animi sensa, & agitationes etiam sine voce, idque vehementius & sincerius patefaciunt, atque una aut incenduntur in idem, aut ab eodem cavent, quod societati conservandæ adprime est necessarium: & certis (neque enim mentiri vultus potest) indiciis intelligunt quo sint loco apud alios, id quod scire omnium, quorum vita socialis est, interest maxime.

Prop. LXV. Aversatio rationalis ipsius mali, quæ naturalis est humanæ naturæ, consequitur rationalem amorem. 1. ipsius boni. 2. nostri; totaque ejus *ratio sufficiens* posita est in amore illo. 1. ipsius boni. 2. nostri ipsorum. Atque idcirco non lex naturæ mechanica, sed legum naturæ mechanicarum phænomenon est. Est ea propositio evidens, nisi vehementer fallor: enim vero nemo quidquam aversatur, nisi quia naturæ suæ, aut iis, ex quibus naturæ suæ perfectio & conservatio pendet, contrarium est; neque quæ contraria sunt naturæ humanæ, iisque, quibus ea perficitur & conservatur, idest bonis aversari quisquam potest, nisi quia se, & bona amat. Quumque necessario se amat, & ipsum bonum, necessario his contraria

(a) *Consule propp. supp.*

traria averſatur. Ex quibus patet, averſationem malorum conſectarium eſſe neceſſarium amoris noſtri & boni (1).

Scholion. Ait aliquis. Voluptas natura poſterior eſt, quam dolor: neque enim voluptas exſiſtit, niſi ſedando naturæ irritationem, ex qua eſt dolor. Voluptatem ſequitur amor: nam amare conſuevimus ea, unde voluptas in nobis gignitur. E contrario dolorem conſequitur averſatio. Quare ſi dolor & averſatio natura ſunt priores, eos conſequitur amor, non hi amorem. Reſpondeo hæc ita mechanice gigni in natura; ſed poſtquam ſemel natus ita eſt *amor rationalis ipſius boni*, formatuſque in humanis mentibus, tum is regula generica evadit *averſationem rationalium*.

Prop. LXVI. Omnes rationales affectus ſunt reactiones amoris, 1. ipſius boni, 2. noſtri ex peculiaribus objectis natæ.

D. Affectus rationales ſunt commotiones naturæ humanæ ex opinione boni vel mali natæ (def. 20.), ideſt modificationes variæ rationalis erga bonum amoris, & rationalis a malo declinationis. Quum vero averſationes & declinationes conſectaria ſint amoris (ex prop. ſup.) affectus omnes ſunt modificationes variæ & inflexiones amoris illius a variis natæ objectis bonis vel malis. Jam eæ modificationes & agitationes tum demum naſcuntur ex actione bonorum, aut malorum objectivorum, ſeu bonorum aut malorum realium perceptionibus, ſi eas natura noſtra aut ſequatur, aut averſetur, quod reactione fit naturæ in objectorum actionem; atque inde affectus ſunt proportionati actioni bonorum aut malorum objectivorum: reactione ergo amoris illius naturalis varia & diverſa progignuntur affectus omnes. Memini alicubi Auguſtinum eam propoſitionem pluribus & acutiſſime explicuiſſe. Ex ea vero & illud etiam confirmatur, affectus & naturam humanam ſequi neceſſario, velut ejus proprietates, & eſſe non poſſe morbos, niſi quum ita exceſſerint, ut ſint amoris illius naturalis perturbatæ modificationes, quod ego potiſſimum ex adamitico peccato natum arbitror.

Prop. LXVII. Falſi affectus progignuntur aut ab ignorantia, aut ab errore, aut a naturæ conſtitutione.

D. Falſi

---

(1) Vide ut eam rem pluribus exſequitur Malebranch. lib. 5. de inq. verit.

D. Falsi sunt affectus qui aut in nullum conveniens objectum feruntur sed in chimericum, aut intensitate objecto non sunt æquales (def. 21.): at id fieri non potest nisi ob aliquam ex tribus illis causis ignorantia, errore, machinæ vitio. Machinæ vitio sæpe fit ut falsis imaginibus concitemur, somniemusque vigilantes, aut deliremus, aut furore corripiamur. Ignorantia vero & error efficiunt ut aut nullas, aut non justas habeamus bonorum & malorum notiones, unde falsi gignuntur affectus.

Scholion. Nulla res est, quæ ut pluribus & diversis qualitatibus prædita non sit, ita nequeat a nobis ex variis adspectibus cerni. Earum qualitatum, ac proinde adspectuum quidam naturæ & felicitati nostræ consentanei sunt: alii adversi. Hinc eadem res diversos, sæpeque contrarios affectus gignere potest. Sed quum & temperamentum nostrum, & animi constitutio, loco, tempore, occasione commutentur, efficitur, ut nobis adversa evadant, quæ alias erant consentanea, ac vicissim. Inde quæ res amorem in nobis gignere solebant, procreant odium.

Prop. LXVIII. Affectus aucta atque emendata ratione intra terminos suos plurimum contineri possunt.

D. Affectus in vitium abeunt, aut quia excitantur, quum iis natura non indiget; aut quia justam intensitatem excedunt; utrumque defectu rationis præcipue fit. Primum deceptione circa ea, quæ nobis offeruntur objecta, velut quum bona phantastica amamus, mala timemus quumque aut nullis, nisi apparentibus, aut levissimis de causis agitamur. Alterum deceptione circa intensitatem bonorum aut malorum: nam quum affectus sint proportionati actioni bonorum aut malorum objectivorum in cerebro, & corde excitæ si hæc sint falsa, justo plus intenduntur affectus. Ergo emendata, atque aucta ratione intra suos terminos magna vi contineri possunt.

Corol. Affectus quum in vitia abeunt, nisi organi vitio fiat, argumentum sunt manifestum aut brevis, aut corruptæ rationis. Atque hoc fortassis est quod Stoici in sapientem non cadere dicere volebant.

Prop. LXIX. Quodcumque naturæ nostræ conservandæ aut perficiendæ aptum est, bonum & dicitur, & est: malum, quodcumque destruere potest, aut deteriorem reddere.

Prop. LXX. Bona & mala voluptate & dolore cogno-

scere

ſcere primum incipimus, ideſt adfectu: provecti ratione. Scilicet ea dicimus bona, quæ naturam noſtram conſervant & perficiunt; mala quæ deſtruunt, & deteriorem efficiunt (ex ſup.); at quæ conſervant & perficiunt voluptate primum animadvertuntur; quæ deſtruunt dolore; voluptate ergo & dolore bona & mala primum cognoſcuntur. Quum vero voluptas & dolor aut ipſi ſint affectus, aut cum affectibus conjunctiſſima; de bonis & malis nonniſi affectu primum judicare didicimus, Et extendimus quidem eam cognitionem *analogia* ad ſimilia, in quo ſæpe decipimur; ſed primæ boni aut mali notiones voluptate & dolore ingenerantur. Scilicet ante uſum omnem cum naturæ rebus, neque bonas eas, neque malas habemus, quod infantium, & idiotarum exempla docent aperte; experimentis inde, quas illæ cum natura noſtra relationes habeant, animadvertimus. Jam provecti præterita cum præſentibus jungimus, ac utraque cum futuris, ac cum fine contendimus: rerum naturæ cauſas inveſtigamus: poſſibilia ad calculum adducimus; atque ita abſtracta ratione de bonis & malis judicare aſſueſcimus. Sed ut facilius eſt in his calculis decipi, quam in naturæ ſenſationibus; ita quoque facilius a genuinis bonis phantaſtica ratione deſciſcere, quam naturæ ſenſu; quod perpetua melancholicorum hiſtoria phyſica docet. Ex quo illud licet intelligere, quod veteres perſpecte docuere, externa in bonis non eſſe numeranda; quum eorum bonitas, aut malitia ex uſu tantum naſcatur.

Prop. LXXI. Externarum rerum bonitas, aut malitia; & hinc amor, aut odium, ſympathia, vel antipathia plurimum a conſtitutione naturæ noſtræ pendet.

D. Bona & mala voluptate & dolore, adeoque affectu judicamus (ex ſup.); ab externis autem afficimur in ratione conſtitutionis noſtræ (ex ſup. append.), adeoque dolore, aut voluptate agitamur in eadem ratione; ergo a conſtitutione noſtra externorum bonitas, aut malitia plurimum pendent. Jam bonum & voluptatem amor ſequitur & ſympathia: malum & dolorem odium & antipathia: ex conſtitutione ergo noſtra, præſertim cerebri, amor plerumque & odium, ſympathia & antipathia emergit.

Scholion. Hinc intelligimus qui fieri poteſt ut quædam amemus, aut odio habeamus ſine ulla cauſa nobis cognita. Scilicet ex eo ſolo, quod rem aliquam, dum lætitia

aut

aut tristitia aliunde afficimur, contemplemur, bonam illam, aut noxiam habemus, totiusque amoris, aut odii causa in natura & constitutione nostra posita est. Inde etiam petenda ratio cur amemus quæcumque sunt similia rei amatæ, odio habeamus quæ similitudinem quamdam habent ei objecto, quod nos tristitia afficit.

Prop. LXXII. In constitutione naturæ nostræ ratio inest cur amemus eos, qui iisdem atque nos affectibus moribusque agitantur, aversemur, qui diversis.

D. Nempe quæcumque naturæ nostræ judicamus consentanea idest bona amamus, contraria aversamur idest mala (prop. superioribus): sunt autem naturæ nostræ consentanei & conformes, qui iisdem afficiuntur affectibus moribusque; contrarii qui contrariis; ergo, &c.

Scholion. Egregie id didicere parasiti; qui ad eorum se formam, & ingenium componunt, quos aucupantur. Gnato Terrentianus, qui si potis esset, tamquam philosophorum habent disciplinæ ex ipsis vocabula, parasiti itidem ut Gnatonici vocarentur, efficere gestiebat, artes sic explicat suas.

. . . . hisce ego non paro me ut rideant,
Sed eis ultro arrideo, & eorum ingenia admiror simul.
Quidquid dicunt, laudo; id rursum si negant, laudo id quoque.
Negat quis, nego: ait, ajo. Postremo imperavi egomet mihi,
Omnia assentari: is quæstus est nunc multo uberrimus.

Hinc Neroni Otho potius libidinum incitator, quam Seneca severus stoicus perplacere debuit. Quumque affectus moresque oris & oculorum aspectu ac physionomia persentiantur; inde est, ut primi statim congressus amicos parent, aut inimicos.

Prop. LXXIII. Miseriæ ejus, qua in hac vita agitamur, idest dolorum & ægritudinum necessariæ insunt in natura nostra causæ, eæque tres 1. intellectus brevitas & imbecillitas, 2. appetitus naturali potentia major, idest majus opus, quam vires, 3. natura mutabilis ac sibi ad beatitatem non sufficientissima.

D. Natura humana ita comparata est, ut intellectus brevitate ac imbecillitate affectibus agitetur a falsis bonis, a falsisque malis, ex quibus perturbationes, dolores, ac postremo miseria exsistunt (ex superioribus); igitur prima

& ma-

& maxima humanæ miseriæ causa brevitas est & imbecillitas intellectus, & quidem in ipsa natura nostra insita & necessaria, talis nempe, quæ nulla nostra industria, nulla ope convelli penitus queat.

Deinde quæcumque percipimus, nobis vel consentanea, vel contraria repræsentamus, adeoque bona vel mala (*superius*), necessariisque inde agitamur inclinationibus, aut declinationibus, idest *appetitu*; qui nos torquet quousque quod concupiscimus bonum non sumus adepti, quod timemus malum non evasimus. At quoniam potentia naturæ nostræ intellectu & appetitu longe minor est, ut nec concupita omnia adipisci, nec quæ timemus & aversamur omnia cavere possimus, uti est perspicuum, efficitur ut appetitus intellectui quidem par, major tamen potentia, perpetuo nos torqueat, & misere miseros faciat. Quum vero id natura ipsa nostra & necessario ita sit comparatum, est & hæc alia in natura nostra necessaria miseriæ nostræ causa.

Tandem natura nostra & mutabilis est, & externorum plurimorum indiga ut conservetur, idest sibi non est sufficientissima ad beatitudinem. Ergo necessario fertur in usum externorum: in eo autem & errare potest, indeque esse misera in eo, in quo sui beatitudinem maxime consistere judicavit: & non semper ita sibi felix esse potest, ut concupita consequatur, caveat quæ timet: ex quo iterum misera: ergo quod mutabilis & sibi sufficientissima ad beatitudinem non sit, natura sua est misera. Tres ergo necessariæ dolorum & ægritudinum causæ in natura insunt nostra, atque individuæ perpetuo nos comitantur.

Scholion. Si accurata inductione res pendatur, totius humanæ miseriæ, quacumque ea patet, non aliæ profecto proximæ causæ detegi possunt. Nam primo quod mutabilis sit natura nostra nec sibi sufficientissima, quodque ab externis plurimis pendeat, morbi omnes, quibus continenter agitamur, proveniunt. His non minimam partem addit intellectus atque appetitus libido & petulantia. Tum brevitate & imbecillitate intellectus quotidie fit, ut aut nullibi exsistentia velut bona vel mala imaginemur, unde aut *falsa gaudia*, aut panici timores, aut quæ sunt, ex aliis adspectibus nobis repræsentemus, vel majora aut minora percipiamus, ex quo violentissimi progignuntur falsi item affectus, quibuscum continenter sit decertandum.

Tan-

Tandem vagus inconſtans & propemodum infinitus appetitus eorum bonorum deſiderio nos torquet, quæ athmoſphæram omnem potentiæ noſtræ excedunt quam longiſſime; aut eorum malorum adſpectu turbat, quæ nulla ope cavere poſſumus. Quocumque libuerit oculos torquere per latiſſima humanæ vitæ ſpatia, nullas tot miſeriarum alias cauſas *proximas* reperire eſt (1).

Coroll.

(1) 1. Nolo ego hic quiſquam ſuſpicetur, me præſentis vitæ mala ita exaggerare, ut multo illa bonis plura & majora habeam, hominumque aut perditorum, aut triſtium & querulorum in naturam humanam indignationem exacuam. Nam contra nihil ego exploratius habeo, quam bona & voluptates, quibus, dum vivimus, fruimur, generatim & plura eſſe, & majora, etiam dum minus ex recta ratione vivimus, quod plerique omnes facimus; ut ſi viveremus omnes ſecundum naturam & rationi rectæ congruenter, ſola naturæ mala, quæ dicuntur, in tanto ac tali bonorum cumulo aut evaneſcerent, aut eſſent quod in opiparis menſis herboſa moreta, aut certe minus illa perſentirentur, tantumque quantum nos ad virtutem revocandos ſatis eſſent. Itaque illud mihi in ea propoſitione propoſitum eſt demonſtrare, perfectam beatitudinem nemini in hac vita contingere poſſe, id quod ego *relative* miſeriam voco; non hoc etiam, nos ad miſeram vitam a natura generari, quamquam ad laborioſam generemur. Nam idem non eſt laborare ut ſis tranquillus ac felix, atque eſſe miſerum. Sed retractemus hæc paullo pluribus, quo moroſorum hominum & turbulentorum ſtultas voces comprimamus.

2. Primum ergo argumentum, vitæ humanæ bona longe eſſe plura & majora, quam mala hic duco, quod nemo eſt quantumvis ſenex, aut malis obrutus, qui non vivere etiam aliquantulum velit, quique etiam inopem miſeramque vitam non morti præferat. Hic in omnibus naturæ ſenſus conſtantiſſimus, magnum eſt, ut dixi, argumentum, nos vehementer falli in nobis & malis dijudicandis, eaque judicia non ex natura naſci, ſed ex libidine, eſſeque hominis aut ægritudine vel dolore agitati, aut ex abſtracta ratione declamantis, quam *naturalis* & ſe ſuaque accurate pendentis. Ac vero hujuſmodi ſeditioſas & injurias in Dei bonitatem voces ab iis audias, qui aut dolore premuntur, aut animi intemperie agitantur, aut cum adverſa fortuna colluctantur, & tum, quum mala ſentiunt. Qui ſi ad naturæ æquabilitatem redeant, ſerioque & recte integram humanam vitam reputent, haud dubito quin illi æquius de ſe exiſtiment.

3. Alterum argumentum deſumo ex eo, quod bona vitæ ſint perennia, mala per vices *recurrant*. Conſcientia exſiſtentiæ, *libertatis* naturalis, mentis, ſenſuum perennis eſt quoad vivimus, eaque cum æquabili voluptate conjuncta. Eſt hoc bonorum omnium vitæ humanæ maximum, quod quoniam perenne & perpetuum minus animadvertimus, nec in cenſum bonorum referimus: qua in re ſtulti & in nos ipſos ingrati ſumus. Equidem quum ſolutus omni cura cogito, me eſſe, me mentis & libertatis eſſe compotem, me oculis, auribus, manibus eſſe inſtructum, eſſeque in immenſo hoc naturæ templo velut in pulcherrimo theatro poſitum, nullam ego voluptatem huic anteponendam ſentio. Itaque ut hoc bonorum omnium maximum cenſeo, ita mirari eos non deſino, qui extra ſe perpetuo evagantur, ac veluti ſi ſibi infeſti nati ſint, in ſe animumque ſuum redire exhorreſcunt.

Coroll. 1. Natura ipsa monemur exquirere sit ne ratio

rescunt. Qui si ita pergunt, vere quidem ii malorum cumulum prædicant; non recte tamen, neque jure de natura conqueruntur.

4. Sed est, inquit aliquis, perennis hæc voluptas minus intensa quam vel mediocris dolor, vel animi ægritudo, ut nullo modo compensare posse videatur luctus, ærumnas, calamitates, orbitates, corporis contusiones, fracturas, lanienas, pressuras, dolores articulares, morbos capitis, pectoris, laterum, febrium inflammationes, famem, sitim, æstus, rigores, & trecenta alia, quibus, licet per vices, frequentissime tamen omnes affligimur. Ego contra longe superare censeo. Primum capiamus vitam humanam annorum *60.* sunt in ea dies 22000. circiter. Si serio homines unius civitatis, qui ad annum *60.* devenerunt, ad quæstionem adigas omnes, vix reperias in miserrimis, idest paucissimis, dimidiam cujusque anni partem ægritudine & dolore conflictatos, in aliis quartam, sextam in aliis; est ubi reperies octavam, decimam, duodecimam, in paucissimis nullam. Eximamus extrema, ac accipiamus partem sextam. Erit bonum illud æquabile cujusque anni ad mala omnia ut *6.* ad 1. in tota vita ferme ut 22000. ad 3670. Accedunt nunc ad bonum illud æquabile voluptates gestientes, gustus, tactus, aurium, oculorum, narium; tum somni, inambulationes, gesticulationes: jam plurimæ animi, præsertim in iis, qui philosophantur, veritatum pulcherrimarum contemplationes, confabulationes & conversationes amicorum, amicitiæ & caritatis ipsius vis, & sexcentæ aliæ. Hæc ego omnia, quæ quotidie incidunt, quartam saltem cujusque diei partem efficere opinor, idest fere quartam cujusque anni partem, ut quasi adæquent & numero, & intensitate mala illa, de quibus conquerimur. Itaque etiam ubi hæc omnia mala sint a sola natura, ea non compensantur, modo bonis, sed longissime superantur.

5. Jam demamus de illo malorum calculo sic negligenter facto omnia, quæ ipsi nobis consciscimus; neque enim æquum est, ut illa in naturam referamus. Me nunc tota hæc ratio mirifice exhilarat & beat: nam certum est naturæ mala, quæ invitus patior, pene ab oculis evanescere, ubi ego illa demere velim, quæ sunt homini ab homine: itaque pene beatus esse possim, si ad rationem rectam vivere velim. Principio plurima esse reperio, quæ aut meæ ignorantiæ, aut defectui attentionis, aut vitiis & pravis habitibus originem suam debent, quæ vitare possum si, qua par est, diligentia mentem excolam. Quot sunt quæ negligentia, aut pigritia, aut ignavia, aut cupiditas, aut avaritia, aut superbia, aut levitas, aut ingluvies, aut veneris abusus, aut ceterorum sensuum incontinentia & gignit & alit? Quot affectuum excessus, quos libenter fovere solemus, amoris, iræ, odii, inimicitiæ, metus? Nullum est vitium, quod non malum aliquod secum deferat. Animi ægritudines, quæ malorum omnia sunt gravissima, maxima ex parte a vitiis progignuntur. Plerumque ex ignorantia proficiscuntur, ut panici timores, gaudia falsa, inanes amores, leves iræ, odia, spes. Non raro stolida consideratione intenduntur eæ ægritudines, quæ si naturam sequeremur, longe essent minores. Naturale est homini interitu filii acerbe dolere, quia naturalis in liberos amor; nec id malum, quia humanæ vitæ fini consentaneum, ad societatem ineundam & continendam necessarium: sed necesse non est naturæ malum considerando augere velle. Perpetuo in memoriam revocare, vivide depingere, omniaque agere, quæ dolorem vehementissimum

exci-

ulla & via, qua possimus miseriæ hujus causis mederi. Nam natura ipsa impellimur ad beatitudinem, & sumus miseri: monemur ergo, ut viam & rationem perquiramus, quia miseria liberemur, simus vero beati.

Coroll. 2. Natura ipsa monemur ut perquiramus exsistat ne talis extra nos causa, qua possimus plene esse beati. Nam-

---

excitare possint, id nec natura exigit, & pravæ rationis malum est. Ac peccamus sæpe similiter in ceteris animi morbis: videntes & prudentes illos intendimus, dum fovemus. Ita ex levissimis causis excandescit ira, fervet cupido, alitur vegetaturque ambitio, nutritur aut excitatur timor, quibus misere torquemur. Hæc qui in naturam refert næ is impudentissime calumniatur; quippe quæ evadere potest, si ex recta ratione vivere instituat.

6. Deinde infinita alia sunt in humana vita mala eaque gravissima, quæ non natura, sed sunt homini ab homine, quæ & ipsa ex malorum illo cumulo demere oportet. In primis sunt quædam corporis mala, quæ cum semine majores nostri in nos transmittunt, qui quum prima futurorum hominum ovula, ac machinas fœdassent, monstrosos generant, imbecilles, mancos, præsertim postquam lues venerea totum ferme hominum genus infecit. Sunt alia mala, quorum & iidem majores nostri causas posuere, veluti inimicitiæ, bella, lites, mali mores, depravatæ consuetudines, perniciales artes. Tum alia quæ alter alteri machinatur, quorumque est numerus pene infinitus, qui alii aliis vitam, bona, famam, animum inficiamus, quorumque superius ex Arnobio historiam discere potuimus.

7. Hæc quum sint, ubi mala, quæ nos nobis consciscimus a malis naturæ discernere velimus, intelligetur aperte, esse hæc bonis, quæ a natura ipsa parata habemus & promta quibusque quotidie fruimur, longe minora. Ut propterea si velimus ad naturæ simplicitatem, unde vitiis nostris discessimus, redire, beati vivere possimus. Naturæ enim pauca sufficiunt, libidini nulla. Itaque si congruenter naturæ vitam agere amemus, eaque, omnia veluti onera quædam rejicere, quæ sunt superflua, quæque affectuum & phantasiæ libido adduxit, nihil humana vita jucundius experiri possimus. Sed venimus in immensum superfluarum rerum apparatum tam alte, ut enatare sine humanæ vitæ & societatis eversione posse non putamus, in eoque ex iis causis erramus turpissime, quas ipsi nobis tam studiose contexuimus.

8. Tertium tandem argumentum, quo ego conficio, nos non ad miseriam, sed ad beatitudinem generari, miseriamque ipsos nobis consciscere, est illud, quod longe absunt naturæ mala a malis voluntatis. Nam illa ad nostram beatitudinem, & tranquillitatem pertinent; his nihil aliud efficitur, nisi aut privata, aut communis miseria: ut nulla ex re clarius intelligere possimus, esse illa effectus amoris erga nos Dei; hæc iræ nostri ipsorum adversus nos ipsos. Nam illa virtutem fere semper aut in animis nostris ingenerant, aut alunt, aut custodiunt, nosque ad vitæ commoda & procuranda fortiores, & ad utendum sapientiores efficiunt: hæc vero virtutem omnem aut enervant, aut extirpant, quumque a vitiis progignuntur, tum vitia alia ingentia progenerant. Quum autem quicquid ad virtutem refertur bonum est, quæ vitia attinent mala; sequitur esse illa semper bona, hæc perpetuo mala. Sed ea de re differemus loco suo copiosius.

Namque monemur perquirere viam & rationem evadendæ miseriæ (coroll. 1.), adipiscendæ vero beatitudinis: beatitudinem autem a natura nostra frustra exspectamus (prop. 73.); perquirendum ergo est exsistat, necne extra nos causa, quæ eam nobis beatitatem facere possit.

Coroll. 3. Ea causa aut nulla est, aut ens intelligentissimum, potentissimum, optimum, immutabile. Nam ea causa perficere debet intellectum, potentiam, naturam, quæ sunt miseriæ nostræ causæ: id vero fieri nequit, nisi intellectus extra aleam erroris constituatur, potentia intellectus & appetitui æquetur, natura perficiatur ita, ut a nullis aliis pendeat; quod exigit ens intelligentissimum, potentissimum, optimum, immutabile, ut ei qui adhæreat, plene sit felix. Nisi igitur id sit, nulla esse potest extra nos causa, qua esse plene possumus beati.

Coroll. 5. Nisi id ens exsistat (coroll. 3.) est homo animantium omnium, quæ in tellure sunt, miserrimum; quippe qui & iis miseriæ causis agitatur, a quibus illa sunt immunia, & vividiorem miseriæ suæ conscientiam habet, quâ illa destituuntur.

Coroll. 6. Eadem natura nos monet, ut perquiramus hoc ens (coroll. 3.) velit, necne nos plene beatos efficere, ac qua via & ratione. Nam nisi velit, frustra ejus rei cura a nobis suscipitur. Nisi porro viam & rationem nobis constituerit, qua eam beatitatem sequi, ac postremo consequi possimus, perinde est atque si nolit.

Schol. Sunt hæc, quæ posuimus, fundamenta prima religionis, & gratiæ, quemadmodum in theologia naturali demonstravimus. Quod heic adnoto, ut lector spectet quo hæc pertineant.

CAP. VII.

De naturali hominis beatitudine, tum de virtute.

PLacet hoc caput exordiri nobilissimi hujus ævi philosophi verbis (1). *Nihil*, inquit ille gravissime, *perniciolius hominibus in hac tellure degentibus accidere potest*,

(1) *Spectateur Anglois, ou le Socrate moderne to. 1. discours. 6. Sed locus Auctoris vim habet ingenitam, eoque majorem.* Iknow no evil under the sun so great as the abuse of the understanding, and yet there is no one vice more common. It has diffused itself through

est, quam rationis abusus: nihil interea est, quod utrique nunc sexui, omnibusque hominum ordinibus pulchrius, & magis ex usu sit. Mentis acumine, dexteritate, solertia nemo quidquam alteri concesserit: quin unusquisque libenter id præ se fert velut maximum humanæ vitæ ornamentum. At corrumpi & corrumpere & in deliciis est, & seculum vocatur: virtus loco vitii est. Hæc mentis major, quam animi cura unica corruptorum morum, eaque ubertissima scaturigo est (1): adde & miseriæ; nemo enim unquam vitio, sed virtute fuit beatus; mentiri vitia quidem felicitatem possunt, præstare nequeunt: nam vitia cum natura pugnant. Si mihi ea philosophandi ratio placuisset, quæ in hoc argumento aliis, videri posset abs re longissime esse, metaphysicum de virtute ac beatitudine disserere. Nunc quum nihil vehementius reprehendere in philosophorum recentium scriptis soleam, quam ita philosophari, velut qui nihil sua intersit quæ sit hominum vita, eos non moror, qui scientiarum a me fines disterminari clamant. Sterilis illa contemplatio aranearum telarum hominum est, qui otio & literis abutuntur, quique quo in rerum natura loco sint ignorant. Quin philosophiam ii in hominum *bonorum* reprehensionem inducunt, ac de majestate sua deturbant. Quid est cur reprehendamus scholæ doctores, quod tetricas & ab hominum usu ac commercio abhorrentes quæstiones induxerint, quique ita philosophati *sint*, quasi extra hominum mores cultumque projecti ac relegati, quum paria illi nobis objicere possint, & eo gravius, quo præsens philosophia verioris sapientiæ speciem ementitur? Amanda pulchra, sectanda utilia.

Prop.

ugh both sexesa, nd all qualities of mankind; and there is hardly that person to be found, who is not more concerned for the reputation of wit and sense, than honesty and virtue. But this unhappy affectation of being wise rather than honest, witty than good natur, d, is the source of most of the ill habits of life, &c.

(1) Aristoteles Magnorum Moral. lib. I. cap. v. quum duas animæ partes dispescuisset, in prima, quam superiorem vocant Platonici, prudentiam collocat, sapientiam, ingenium, memoriam, & id genus alia: at in parte rationis experte virtutes, temperantiam, fortitudinem, justitiam, aliasque ad mores pertinentes: additque per has homines, non per illas laudari. κατα γαρ ταυτας (virtutes scilicet morales) επαινετοι λεγομεθα: κατα δε τας τυ τον λογον εχοντος ουδεις επαινειται.

Prop. LXXIV. Natura ipsa nostra nos admonet, beatitudinem qualemcumque spectare, nec præsentis vitæ tantum, sed alterius quoque, quum ad utramque vitam procreemur.

D. Prima pars. Lege ipsa naturæ mechanica generice in ipsum bonum rapimur (prop. 44.) ideft in id, quo natura nostra perfici & conservari possit, atque cum perfecta esse voluptate, nimirum in qualemcumque beatitudinem; & ita quidem ut & affectibus eam in rem prævalidis nos armet natura (ex cap. sup.) & in bonum voluptate determinet, a malis absterreat dolore. Naturæ ergo reluctatur, qui data opera sibi miseriam consciscit, aut qui in id non omnia sua studia intendit.

Secunda. Mentis vita ultra præsentem hominum ætatem pertingit; & æterna est (prop. 14. & 15.); potest igitur in altera vita esse misera vel beata. Quum vero miseriam horreamus natura, appetamus voluptatem ac felicitatem; & alterius vitæ beatitudinem spectare debere ipsa nos admonet natura.

Schol. Ac vero id doctore non eget: *vivere enim omnes beate volunt*. Illud potius magna circumspectione circumspiciendum est, *quid sit quod vitam beatam efficiat*. Nam, ut perspecte idem observat philosophus, *a vita beata eo quisque longius recedit, quo ad illam concitatius fertur, si via lapsus est* (a): ut minus hinc timere sibi debeant, qui magis sunt ejus incuriosi.

Prop. LXXV. Non potest præsentis vitæ felicitas in alio esse sita, nisi in eo ut corpus sine dolore sit, animus sine perturbatione, ideft in *conscientia vacuitatis omnis doloris*. Enimvero nemo aliud quidquam desiderat, neque in aliud omnes intendit curas, nisi in hoc, ut hac conscientia perfruatur. Philosophi illi veteres, dum in tot diversas opiniones ivere, non de re ipsa disputarunt, sed de causa. Nempe consentiebant in hoc, beatum eum tandem esse, qui sibi nihil molesti consciret, cujus animus pacatus, corpus sine dolore esset, qui status beatitudinis est. Super eo disceptabant, quum nonnisi ex præsentia alicujus boni is status nasci possit, ecquodnam illud summum esset bonum, ex quo ea beatitudo oriretur. Quumque non satis observassent, possibilem præsenti hominum naturæ, quoad

(a) *Seneca de vita beata cap.* 1.

heic vivimus, eum statum non esse, in absurdas & deridiculas ivere sententias, ut non defuerint coqui, qui ne ab arte sua discederent, rem coquinariam in medium proferrent.

Schol. Scio hanc sententiam, quæ Hieronymi Rhodii fuit, magna orationis vehementia a Tullio refelli; quod tamen me numquam de opinione dimovit: nam qui oratione adversus naturæ vocem capiuntur, ii similes illis videntur, qui musica tum ad somnum incitantur, quum vigilare oportebat.

Prop. LXXVI. Hic status (prop. 75.) consistere nequit cum præsente hominum natura.

D. Est hæc natura talis, ut quod spectat ad animum, brevitate rationis, & imbecillitate potentiæ sibi relicta necessario sit misera (prop. 73.); cum ea ergo is status consistere nequit. Deinde homines corpore sunt mortales, adeoque ut dissolutioni, ita morbis & doloribus, qui ex perturbata corporis harmonia velut ex necessaria causa physica oriuntur, subjecti; corporis ergo indolentia cum præsente hominis natura pugnat.

Coroll. Maxima quæ obtineri in hac vita beatitudo potest, est minima miseria, idest, ut quoad fieri potest minimum ex miseria habeamus. Nam perfecta beatitudo, idest animus sine perturbatione & ægritudine, corpus sine dolore (prop. 75.) haberi nullo modo potest (prop. 76.); maxima ergo in hac vita beatitudo erit minimis intensitate & duratione malis urgeri, idest minima miseria: quæ quibus ex caussis oriatur nunc disputandum est.

Prop. LXXVII. Emendatio intellectus, capacitatis, & rationis augumentum necessaria sunt ad qualemcumque præsentis vitæ beatitudinem.

D. Hæc beatitudo posita est in minima miseria (coroll. prop. sup.); ex turbata autem & brevi ratione maxima activæ vitæ perturbatio & miseria nascitur (ex sup.); non ergo cum ea beatitudo obtineri potest.

Schol. Veteres docuere necessariam esse sapientiam non tantum ut emendetur vita, quo scilicet pacatior esset & æquabilior, qui unus est genuinus usus purgatæ & auctæ rationis finis, *sed propter se*, ut loquuntur, quasi in voluptate ipsa, qua in contemplatione veri mentes perfruuntur, sita omnis sit beatitudo. Ego non inficior gratissimam eam esse voluptatem & æquabilissimam, quæ ex ea contem-

tem-

templatione oritur; sed quum homo, ut conservetur, debeat esse necessario activus, nisi scientiæ theoricæ, quo nomine purgatam auctamque rationem intelligo; vitæ huic activæ conferant, prudentiamque vivendi & agendi progignant, eæ omnino sunt inutiles. Omnium ego ineptissimos eos habeo; qui dictitant, scientias propter se expetendas, quum id præterquam quod instituto ipso vitæ evertunt, ut idcirco reperiantur mendacissimi, est etiam naturæ ipsi contrarium; quæ ut nos oculis non voluptate vivendi, sed in usum vitæ instruxit, ita intellectu ornavit, velut supremo totius vitæ humanæ duce & lumine.

Coroll. Delirabant igitur Cynici, qui & dialecticæ, & geometriæ, & physicæ, & reliquis scientiis velut ad vitæ felicitatem inutilibus bellum indixerant & gerebant, insaniuntque nunc ii, qui in media etiam vitæ luxurie ac vanitate, Cynicos tamen agere non desistunt. Quod seu mentis stupiditate quadam efficiunt, seu quod inter stupidos barbarosque impunius se vitia excolere posse arbitrantur, immaniter ii cum genere humano irati videntur. At Stoici, qui omnium veterum penitissime in humanæ naturæ adyta inquisivere, neminem esse posse beatum existimaverunt, cui mens bruta esset, nulla videlicet disciplinarum cultura expolita; quin & inter virtutes hujusmodi mentis disciplinas habuere: neminem autem sine virtute beate vivere posse decreverant. *Ad easque virtutes* (inquit Tullius (a), *de quibus disputatum est, dialecticam etiam adjungunt, & physicam, easque ambas virtutum nomine adpellant: alteram quod habeat rationem, ne cui falso adsentiamur, neve umquam captiosa probabilitate fallamur, eaque quæ de bonis & malis diceremus ut tenere tuerique possimus; nam sine hac arte quemvis arbitrantur a vero abduci fallique posse. Recte igitur si omnibus in rebus temeritas ignoratioque vitiosa est, ars ea, quæ tollit hæc, virtus nominata est. Physicæ quoque non sine causa tributus idem est honos, propterea quod qui convenienter naturæ victurus sit, ei proficiscendum est ab omni mundo, & ab ejus procuratione. Nec vero potest quisquam de bonis & malis vere judicare, nisi omni cognita ratione naturæ, & vitæ etiam deorum, & utrum conveniat, necne, natura hominis cum universa.*

(a) *Lib. III. de finibus cap.* 21. & 22.

Prop. LXXVIII. Philosophia, idest studium sapientiæ, tum ad beatitudinem præsentis vitæ conducit, si regatur *apoche* in iis, ubi evidentia deficit, conjungatur vero cognitio omnis cum *ataraxia*, idest quiete & indolentia seu pervestigatæ res reperiantur, seu non.

D. Nam quum mens humana sit brevis, adeoque terminos suos habeat, extra quos ubi gestit evagari tenebris cingitur, iis tantum assentiri potest ut veris, quæ & ipsa evidenter percipit, & evidenter ab aliis percipi intelligit (post. 2.); ceteris si consentiat ut veris, errare potest, atque ita vitam omnem perturbare; necessaria est ergo in obscuris controversisque *epoche*, idest judicii suspensio, ac illud solemne οὐδὲν μᾶλλον. Quod si in eo rerum articulo quis constitutus sit, ut in obscuris *agere* debeat, tum præclare cum natura sua gerit, si nihil contra meliorem animi sententiam aggrediatur. Nam si & in hoc erret, aliis potius caussis, quam voluntati suæ tribuere errorem potest: qui vero errores voluntarii non sunt, torquere neminem debent, nisi fortassis eum, qui sibi persuasit extra omnem erroris aleam positum esse.

Denique, qui necessarias vitæ veritates recte perquisivit, si quidem eas invenit, non potest inde nisi lætari velut de magno acquisito bono, emendata nempe auctaque mente in iis, quibus vita ducitur; si non reperiit, nihil *voluntate* peccavit, ob quod doleat. Quod si iterum perquirendas putet, nullas habet caussas cur anxie nimis & sollicite ita afficiatur, ut eam ob rem miseria angatur; quippe quod stultissimum sit ut supra naturales vires agere velle, ita dolere, quod non id feliciter cedat; non magis quam si canis doleat, quod geometriam addiscere nequeat. Quocirca adhibendæ sunt quidem vectes naturæ qua majori possumus industria, sine afflictione tamen & anxietate. Graviores quoque rationes *ataraxiam* suadent circa eas veritates, quæ vitæ non sunt necessariæ; quippe quas summo animi capitisque labore perquirere non minus stultum est, quam ea in usum cibi undecumque conradere, quæ objecta aurium potius sint, aut oculorum, quam ventris.

Schol. Hæc, quæ dicta sunt, non melius confirmari possunt, quam eorum exemplo, qui, quod hæc duo in philosophando non adhibent, nullum alium ex studiis suis fructum consequuntur, quam perpetuos animi tumultus, totiusque vitæ perturbationem. Enimvero, qui *epochem* in obscuris

ris & dubiis non servat, is ne modestiam quidem in iisdem observare potest. Quumque nihil sit naturæ nostræ congruentius, quam plurimos opinionum nostrarum approbatores habere, cupiatque natura quisque ut sibi potius ceteri omnes obsecundant, quam is ulli, dissentientes velut sibi inimicos imaginatur, omnibusque modis insectatur; ex quo turbationes maximæ, quibus humana societas funditus evertitur. Plenæ sunt historiæ tragœdiarum, quæ eam ob rem provenere. In iis vero est ne quisquam, qui beatus esse possit? Præstat profecto rudem literarum esse, quam hæc, quæ literæ progignunt, bella atrocissima, velut oblectamenta inspectare. Quod si literati homines serio id cum animo suo cogitarent, haud certe amarulentæ, nec sine veri specie, hominum bonorum querelæ audirentur, beatiora ea fuisse sæcula, quæ rudiora, contulisseque plus hominibus ad felicitatem vitiorum ignorationem, quam cognitionem virtutum. Jam vero qui ad *ataraxiam* non omnia sua studia referunt, ii similiter faciunt atque avari, qui studiose quidem divitias comparant conduntque, sed nec uti sciunt ignorantes cui usui telluris bona destinata sint, & continuo earum amore macerantur. Næ igitur satius facerent, si a philosophando abstinerent, gravissima Christi Servatoris nostri moniti sententia, *si oculus tuus te scandalizat, erue eum.*

Prop. LXXIX. Ad præsentis vitæ beatitudinem comparandam & conservandam necessaria est prudentia cum suis asseclis.

D. Prudentia est scientia bonorum, malorumque, & mediorum (*a*), vel faciendorum, non faciendorum, & neutrorum. Ei subjectæ aliæ sunt virtutes.

Eubulia, seu *consultandi dexteritas*, quæ est scientia res gerendi, quousque utiliter expediri queant:

Eulogistia, seu *recta computatio*, scientia complectens res efficiendas:

Anchinia, *solertia animi*, seu scientia officia inveniendi:

Nunechia, *mentis advertentia*, scientia attingens scopum in re qualibet:

Eume-

(a) *Zeno apud Laertium lib.* VII. *sect.* 92.

Eumechania, *callida providentia*; scientia exitus rerum inveniendi:

Eutaxia, *ordinandi facultas*, scientia temporis rerum gerendarum, earumque ordinis:

Cosmiote, *decori observantia*, scientia motuum honestorum, turpiumque:

Aidemosine, *verecundia*, scientia vitandi probri (*a*): hæc autem omnia nisi serves animo pacato, ac corpore sine dolore vivere nequis, idest nequis esse beatus (prop. 75.); prudentia ergo cum suis affectis, &c.

Prop. LXXX. Ad præsentis vitæ beatitudinem necessaria est *fortitudo* cum suis affeclis (*b*).

D. Ad præsentis vitæ beatitudinem necesse est, ut quoad fieri potest numerus atque vis malorum ad minimas summas conferantur (prop. 75.); id fit aut vitando mala, aut quæ vitari nequeunt, quæque rerum fert natura, frangendo. At ad vim malorum infringendam debilitandamque necessaria est fortitudo; nam qui intemperanter ferunt, eorum acerrime acuunt aculeum, ut intolerabilia efficiant.

Schol. Status omnes, qui humanæ naturæ accidere possunt adversi, ad duo summa genera referri possunt; nam alii ex rationis ac libertatis nascuntur abusu, alii ex concatenatione ipsa immutabili rerum mundanarum. Qui velit beatitudinem, idest minimam miseriam, utrosque si non omnino evitare at emollire saltem & tolerabiliores efficere debet. Primos moderatur *prudentia*; quam idcirco præsenti vitæ tranquillitati necessariam demonstravimus: alteros *fortitudo* cum suis affeclis, continentia rationis, confidentia, magnanimitate, constantia; est igitur hæc cum suis affeclis necessaria. Nihil autem magis conducit ad fortitudinem gignendam, quam 1. assuefieri malis naturæ ab ineunte ætate, 2. reputare cum animo suo, status hujusmodi a libertate nostra non provenire, nec ullo modo nos adversus conari quidquam posse, aut debere: universo enim serviunt omnia, ut omnes milites imperatori, 3. dejectione animi fieri majora. 4. aut nos alias, aut alios gravioribus afflictatos fuisse malis. 5. compensari profecto ea mala aut animi tranquillitate, quam conscientia virtutis

(a) *Vide Stanlejum in Zenone.*
(b) *Vide Stanlejum ibid.*

tis gignit, aut futuris bonis, quum nequeat summus hominum sator atque parens Deus nos velle omnino miseros. Quod si fati opinio apud plerasque nationes ad fortitudinem faciendam adversus mala quævis vim habet incredibilem, ut profanus homo Spinoza putaverit, nihil tam alacres in vita homines efficere, quam firma fati persuasio; majorem certe habere apud nos vim debet fati Christiani, idest providentiæ divinæ doctrina, quippe quæ non tyrannorum modo rapit, sed Patrum amore ducit. Legenda omnino sunt, quæ Cicero in Tusculanis lib. 2. *de tolerando dolore* Seneca *de Constantia*, & alibi passim Græci, Latinique scripserunt.

Prop. LXXXI. Ad præsentis vitæ qualemcumque felicitatem necesse est ut ita animum corroboremus, ut mortem aut nihil, aut quam minimum formidemus.

D. I. Ad præsentis vitæ felicitatem necesse est ut quam fieri potest magis corpus dolore vacuum geramus, animum ægritudine liberemus (prop. 75.); nihil est autem, quod magis animum sollicitat, acrioresque gignit ægritudines, quam mortis vehemens formido, ac præquam natura poscit, quæ omnem vitæ & hilaritatem, voluptatem, & tranquillitatem perturbat, ut somnia ipsa pavore terroreque miserrima faciat. Ergo aut nihil, aut, si hoc fieri nequit, quam minimum formidanda.

Scholion. Sunt hæc, ait quisquam, ipsa per se perspicua. Sed quæ ars efficiendi, quod sola naturæ constitutio præstat? Quemadmodum enim sola natura fit, ut belluarum quædam sint timidæ, veluti damæ, lepores, gallinæ; aliæ magnanimæ ac imperterritæ, veluti leones, elephantes, tauri; eodem modo sunt hominum quidam adeo natura pavidi, ut plures noverim ad adspectum muris aut scarabæi expavisse: alii non modo impavidi, sed adeo feroces, ut non solum atrocissima mala, sed mortem ipsam hilari vultu ac animo spectent petantque. Non ergo philosophiæ esse hoc potest munus sed naturæ: quæ si negavit, nulla videmur posse ratione consequi.

Ego non negaverim plurimum ad animi fortitudinem temperamentum conferre: sed existimo tamen, & naturæ bonam constitutionem meliorem meditatione ac disciplina præsertim fieri posse: & non bonam, evadere tolerabilem. Quod quum in ceteris artibus fieri videamus, non video, qui in hac nequeat artium præcipua ac nobilissima. In

pri-

primis vero velim secernamus mortis formidinem ab ejus dolore. Hoc ego, ut homo mala ac mortem in malis non habeat, nec, quum accidunt, doleat, vix fieri posse puto ab eo, qui sui sit compos cum alias ob causas, tum ob eam præsertim, quod cuique natura ipsa vita est cara: privari vero ea re, quæ nobis a nativitate fuit carissima, non possumus sine ægritudine, *non enim silice nati sumus, sed est natura fere in animis tenerum quiddam atque molle, quod ægritudine quasi tempestate quatiatur. Nec absurde Crantor ille, qui in nostra Academia vel in primis fuit nobilis, minime, inquit, assentior his, qui istam nescio quam indolentiam magno opere laudant, quæ nec potest ulla esse, nec debet .... Nam istuc nihil dolere, non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore* (*a*). Sed hanc ægritudinem non ut fœmellæ philosophus deplorabit, ac deplorando faciet graviorem & pene intolerabilem. Quin quum ad animum revocat, stultum esse id impotenter ferre, quod vitari nequit, sensum illum naturæ deliniet. Quod si qui sunt, qui dolent aut quod juvenes moriuntur, aut nondum vitæ omnibus expletis voluptatibus, aut quod divitias, dignitates, uxores, liberos, amicos, patriam denique, atque hoc mundi theatrum sunt relicturi, ii & totius naturæ ignari sint necesse est, nec umquam animum vera philosophia *imbuerunt*. Ac principio quisnam est, qui hac conditione natus sit, ut senex moreretur? Naturæ nos docet historia, maximam hominum partem intra primum vitæ septennium extingui: atque ex mille, qui eodem die nati sint, ubi quatuor, ubi quinque, ubi sex octogesimum vitæ annum excedere. Ergo natura comparatum est, magis ut juvenes moriamur, quam ut senes. Ecquis autem est tam stultus qui immutabilem naturæ ordinem ac vim intoleranter deploret? Quod tam est absurdum, quam si adversus vim ventorum, aut caniculæ æstus, aut maris tempestates irascamus. Qui ajunt, nondum tota delibata vitæ dulcedine cogi e vita excedere, ignorant, hanc rationem eo evadere graviorem, quo diuturnius vivimus; quia eo majus futurarum voluptatum est desiderium, quo amplior est degustatarum memoria: ut ego hanc ob causam fortius mori juvenes viderim, quam senescentes. Quibus addendum est,

(*a*) *Cic. Tusc.* III. 7.

est, quo ingravescit ætas, eo & corporis voluptates tenuiores evadere, & mala vitæ humanæ ingravescere. Quam autem stultum est, quum placidis auris portum tenere possis, navigationem in hiemem prolongare, ac postquam ventis procellisque diu jactatus fueris, fractis antennis, saucio malo, corrosis rudentibus inter inferos cælumque incertus, velle appellere? Postremo dignitates, divitiæ, ceteraque fortunæ bona tum esse nobis cara possunt, quum sana mente integroque corpore uti licet: quum non naturæ pondera sunt, sed dulcis vitæ adminicula. At hæc decrepitis adversa omnia evadunt, quod longa vitæ humanæ docet historia. Nam fatiscente corpore, mente vero repuerascente hæc paullatim velut aliena, ac longinqua despiciuntur. Ut enim in pueris nullius ferme rei nisi sui suorumque crepundiorum sensus inest, contemnitque ea ætas graviora & majora: ita in senibus efficiunt mentis attenuata acies corporisque infracti sensus, ut omnia aut insipida sint, aut fastidium, sæpeque bilem moveant. Itaque eum præripere dolorem, quem aut nullum, aut vix ullum in morte simus habituri, effœminati & parvi est animi.

Hæc animum philosophi adducere debent, ut non existimet operæ prætium mortem velut intolerabilem calamitatem conqueri debere. Illud nunc agendum est, ut doceatur non reformidare. Veteres quidem philosophi, ac in his Marcus Tullius (a), eo argumento suadent animum mortis metu liberandum, quod si ea corporis animique finem facit, omnium quoque afferet malorum, quibus dum vivimus subjecti sumus; quod non modo non timendum, sed alacri animo optandum est: si animum non attingit, cælestibus certe is mentibus ac sempiternis jungetur, cujus est ille originis: quo quid beatius concupiscere possumus? Nam, quod ajunt, Cocyti stagna, Acherontem, æternas denique in morte pœnas timendas, is figmenta habet poetarum, vix anicularum lucubratione digna: sunt, inquit, animi natura ignei, ætherei, aut quintæ, ut ait Aristoteles, φύσεως: soluti ergo mortali corpore ipsi sponte sua ad superos remeant. O levem philosophiam! Mittamus igitur hæc profana. Immortales sunt animi; nec tamen mors formidanda. Nam aut hac vitæ aura

carere

(a) *Lib. 1. Tusculan.*

carere formidas, aut commeritas alterius pœnas luere oportere. Primum & inevitabile est, ut necesse non sit formidare, nisi insanissimis, aut qui sibi persuaserunt, æternum victuros hic gigni: & haud grande malum est, ut superius demonstravimus: quin adeo leve est, ut sæpe fiat nobis inscriis & nec opinantibus. Ecquid stultitiæ est id reformidare, quod cum venerit aut ignores, aut vix persentiscas? Ac ego nescio cur non & somnum reformidemus, quem mortis fratrem dicunt poetæ, estque revera mors, si præcipua nostri vita sit sensus & vivida cogitatio. Sed tam morti similis est somnus, ut humanæ historiæ auctores accurate adnotaverint, plures somnum cum morte continuasse. Illud vero hic ommittendum, puto, ne cum ineptissimis vulgi erroribus philosophiæ majestatem commixtam, pertimescendam nempe esse mortem, ob asperrimum dolorem, quem persentiri opinantur, dum altera substantia ab altera separatur, periade ac si tota machina exossetur; quo nihil est stupidius: quo enim cumque modo mens unitur corpori, non ita certe jungitur, ut duo inter se corpora. Cumque tota causa hujuscemodi unionis sit supremi entis voluntas, ea sola fit, ut mens a corpore solvatur. At enim, sæpe dolor occidit; occidit enim vero. Quid ita? Quia violenter nervos irritat, machinamque aut dissolvit, aut opprimit: quod sola animæ separatione non fit. Quum illi asperi casus accidunt, tum necesse est dolorem sentire, non quia morimur, sed quia irritamur. Ac si necessarii sint ad virtutem servandam, sentiemus quidem, sed perferemus tamen fortiter seu quia fortitudinis conscientia magna est animi voluptas, seu quia ea virtute sempiterna alterius vitæ beatitudo paratur. Si naturæ ordo ac vis ingerit, qui gloriamur partes esse tam pulchri ac magnifici theatri, ne dedignemur legibus totius subjici: vix enim hic meretur esse, quem suæ pœnitet conditionis, locique, quem in natura obtinet.

At illud, inquit aliquis, formidabilem efficit mortem, quod quo statu futuri simus post mortem ignoramus. Hoc ego quoque pertimescendum esse ajo, addoque numquam satis timeri. Quis enim non extimescat perpetuam a summo bono abstractionem, erroremque? Sed quum hæc miseria vitia & scelera consequatur, ne eam ob rem mortem timeamus, est in promtu remedium: bona scilicet an-

reactæ vitæ conſcientia. Danda igitur eſt opera ut cum perfecta virtute vivamus: ut Deo æternoque ejus ordini adhæreamus, præter quem omnia ſunt devia, ſine quo virtus inane eſt vocabulum. Qui igitur ita vivit, ut nihil ſibi vitii, nihil ſceleris umquam conſciat, bonæ futurarum rerum ſpei plenus nec pertimeſcet mortem, nec adeo grave malum exiſtimabit, ut alacer ex his corporis vinculis evolare nolit.

Atque hæc quidem ita eſſe tota perſuadet philoſophia. Interim quamquam, ut dixi, diſciplina & ratione fieri poteſt, ut mori nec valde doleamus, nec admodum formidemus, præſertim ſi ſapienter vivamus, tamen ego quoque intelligo in maxima hominum parte totam hanc rem magis natura ac diſciplina definiri, quam ratione. Ita fit ut non raro fortius ii moriantur, qui numquam umbratilem hanc noſtram philoſophiam deguſtaverunt, quam graviſſimi ipſi philoſophi, ſeu id fiat quadam mentis ſtupiditate, ſeu corporis robore, ſeu feroci educatione, ſeu enthuſiaſmo. Certe ex quo hæc vivendi ratio mollis & effæminata inter plures Europæ nationes invaluit, vetus naturæ vigor, magnaque illa barbari, ut vocamus, ævi, ac ferox fortitudo, & elati ea animi nobilitas veluti cum moribus extincta eſt. Veteres Romani quum nondum luxu corrupti eſſent, feroces diſciplina, in arma ac mortem non minus fortiter ruebant, quam nunc nos eorum degener ſoboles avidiſſime ad prandia, theatralia ſpectacula, teneros molleſque accumbitus invitamur. Molleſcit luxurie natura; eoque fit ut ea intoleranda exiſtemus, quibuſcum robuſtiores ludere ſuevimus.

Prop. LXXXII. Ad præſentis vitæ beatitudinem neceſſaria eſt temperantia.

D. Ad præſentis vitæ beatitudinem neceſſaria eſt mentis ſerenitas, corporis indolentia (prop. 75.) & temperantia, ut appetitus moderetur, ne ultra quam oportet, erumpant, affectuumque, atque geſtientium voluptatum exceſſus cohibeat; quum aut ſine moderatione affectuum & geſtientium voluptatum nec ſinceritas animi & tranquillitas, nec indolentia in corpore ſervari poſſit, ut per ſe patet, profecto ad beatitudinem temperantia, quoad ea patet, eſt neceſſaria. Patet autem multum: nam non modo omnium ſenſuum uſum ſpectat, potiſſimum *guſtus*, & *tactus*, verum quoque affectus omnes, quos niſi intra

fines

fines suos coerceat, ut animus pareat rationi, imperant, totamque vitam perturbant; non fecus (quo exemplo utitur passim Plato) atque equus, nisi freno compescatur, petulanter equitem dorso deturbat.

Prop. LXXXIII. Ad præsentis vitæ beatitudinem necessaria est justitia cum suis assedis.

D. Vita hominis ita natura est socialis, ut esse nequeat nisi in societate. Natura ipsa ejus rei nos admonet 1. dum ineptos ad nos conservandum sine societate creat: sunt enim homines omnes, præsertim cum nascuntur, omnium inopes, nec vigore necessitatibus pari instructi; 2. dum facultate loquendi instruit; 3. dum horrorem solitudinis animis nostris ingerit (*a*): extra eam igitur beatus esse homo nequit: nec in ea, nisi sciat & paratus sit cuivis jus suum tribuere; alioquin in mutuum bellum armarentur omnes, atque idcirco in mutuam perniciem; quæ autem virtus suum cuique jus tribuere docet & impellit, justitia est; ergo justitia ad præsentis vitæ beatitudinem est necessaria. Conferunt idem justitiæ asseclæ ex Stoicorum doctrina, *Eusebia*, *pietas*, scientia Deum colendi, ut jura Dei Deo tribuantur; *Chrestote*, *benignitas*, scientia bene faciendi, aliis enim benefacere pars est justitiæ si homines ad mutuos cœtus nascuntur: *Eucinonesia*, *socialitas*, scientia tuendi in societate æqualitatem, ut nemo præ aliis singularia jura affectet: *Eusynallaxia*, scientia honeste cum aliis contrahendi, & similes (*b*); quæ eadem de causa sunt necessariæ.

Coroll. Quæ his omnibus sunt contraria nos ad beatitudinem impeditiores efficiunt, miseriamque nostram augent. Demonstratione non indiget, si superiores propositiones sunt veræ.

Prop. LXXXIV. Perfectio rationis, epoche, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia cum earum asseclis sunt virtutes morales: his contraria sunt vitia.

D. Virtus moralis est, quæ perficit facultates rationales ad beatitudinem; vitium quod impeditiores ad illam efficit (def. 17.); hujusmodi sunt recensita in hac pro-

(a) *Vide Arist. sub. init. ad Nicomach.*
(b) *Vide Stanl. loc. sup. cit.*

propofitione (ex fup. propp.); priora ergo virtutes, pofteriora funt vitia.

Coroll. 1. Nonnifi ergo virtute effe homines beati poffunt, vitio non poffunt effe nifi miferi. Quam ergo incauti decipiuntur fpecie recti mortales? Sed opponunt pleraque effe vitia cum voluptate conjuncta, cum dolore atque labore multo virtutes. Inepte. Nempe principio, quæ comitatur vitia voluptas fugax eft, & turbida: quam vero pollicetur præftatque virtus, æquabilis & conftans: nemo eft qui non continenter experiatur. Tum confequuntur illam fere femper aut ingentes dolores, aut graviffimæ ægritudines (1); hæc impeti adverfa fortuna poteft, frangi nequit, menfque confcia recti, & tranquilla eft, & fibi judex, & theatrum. Deinde nego viam ad vitia breviorem effe aut faciliorem.

Ut jugulent homines furgunt de nocte latrones:
intemperantiam, injuftitiam, aliaque vitia acerbi fectantur dolores, difficillimæ fraudes, excogitationes, animi confternationes præeunt, eamdem & fequuntur. *Ut nox longa quibus mentitur amica?* Nemo uni vitio fervire poteft, nifi & fociis plurimis fe mancipet. Quantum autem jugum plura funt vitia, ubi unum de natura & majeftate fua hominem dejicit? Sed quædam virtutes paullo funt aufteriores. At hæc intolerabilis eft ftultitia, magna bona velle in promtu parata: quum minora, quandoque etiam

(1) Quam animum excruciet fcelerum confcientia nequit manifeftioribus oftendi argumentis, quam Tiberii exemplo. Nam cum in Capreis inter vitam mortemque fluctuaret literas ad Senatum dedit, quarum hoc erat initium, *Quid fcribam vobis, P. C. aut quomodo fcribam, aut quid omnino non fcribam hoc tempore, dii me deæque pejus perdant, quam perire quotidie fentio, fi fcio. Adeo* (inquit Tacitus Ann. VI. 6.) *facinora atque flagitia ipfi quoque in fupplicium verterant*, Cujus & quæ fequuntur ejufdem funt ponderis. *Neque fruftra præftantiffimus fapientiæ firmare folitus eft, fi recludantur tyrannorum mentes, poffe afpici laniatus & ictus, quando ut corpora verberibus, ita fævitia, libidine, malis confultis animus dilaceraretur. Quippe Tiberium non fortuna, non folitudines protegebant, quin tormenta pectoris, fuafque ipfe pœnas fateretur. Præftantiffimum* vero *fapientiæ*, quem hic memorat Tacitus, Socratem accipi oportere non dubito, cujus apud Platonem infignes extant in eam rem fententiæ. Lipfius hanc ex nono περι της πολιτιας exfcribit. Εςιν αρα τῃ αληθεια και ει μη τῳ δοκῃ, &c. *Eft igitur, etfi alicui haud videatur, is qui vere tyrannus eft, veræ fervus maximæ adulationis & fervitutis, idemque adulator peffimorum; & reipfa pauper apparet, fi quis totam ejus mentem poffit infpicere; denique metus in omni vita plenus, agitationumque & angorum.*

mala magno labore persequaris, *pulchra*, inquit ille, *difficilia*.

. . . . . vides, quæ maxima credis
Esse mala, exiguum censum, turpemque repulsam
Quanto devites animi capitisque labore . . .
Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes:
Nec cures ea, quæ stulte miraris & optas,
Discere, & audire, & meliori credere non vis?
Quis circum pagos, & circum compita pugnax
Magna coronari contemnat olympia, cui spes,
(*a*) *Cui sit conditio dulcis sine pulvere palmæ?*
nempe
Nos numerus sumus, & fruges consumere nati
Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus æquo operata juventus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam,
Quæ lædunt oculos festinas demere: si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?
. . . . atqui
Si noles sanus, curres hydropicus . . . . . (*b*).

Coroll. 2. Virtus homini necessaria esset etiam si (κατα αδυνατον) nulla altera esset vita, imo magis etiam necessaria. Nam si nulla sit altera vita, ut contendunt Athei, ultimus humanæ naturæ finis est præsentis beatitudo; quæ quum sine virtute obtineri nequeat (prop. super.) est ea homini, etiam si nulla sit altera vita, necessaria, & tanto magis necessaria, quanto nihil sit ulterius sperandum. Quod corollarium omnium mortalium stultissimos eos esse demonstrat, de quibus David cecinit, *dixit insipiens in corde suo non est Deus: corrupti sunt & abominabiles facti sunt dies ejus*.

Prop. LXXXV. Virtus, quæ beatitudini necessaria est, non tam *actus*, quam *habitus*.

D. Nam debet perficere facultates rationales ad beatitudinem; id quod fit & obstacula removendo, quæ homini seu a natura, seu a consuetudine mala insunt; & expeditiores facultates ejusmodi efficiendo: ea vero singulares actus præstare nequeunt; sunt ergo habitus virtuosi necessarii. Sci-

(*a*) *Horat. lib.* 1. *ep.* 2. (b) *Idem ibid. cap.* 1.

Scilicet occallere *generoso pectus honesto* debet ei, qui serio ad beatitudinem hanc contendit, ut a proposito tenaci nec terribilia dimoveant, nec revocent blanditiæ.

Schol. Contractis semel habituum virtutibus tum prudentia perpetuo in earum custodia vigilare oportet: nam impetimur undequaque ad vitia: hic ab aspero quorumdam virtutum adspectu & naturæ injucundo; inde ab hominum corruptorum exemplo, aut lasciviente rerum quarumdam facie; postremumque hoc duellum difficilius. Egregie prorsus Galba Pisoni (a), quem ad imperium adoptabat: *Fortunam adhuc tantum adversam tulisti: secundæ res acrioribus stimulis animos explorant; quia* MISERIÆ TOLERANTUR; FELICITATE CORRUMPIMUR. *Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona, tu quidem eadem constantia retinebis; sed alii per obsequium imminuent: irrumpet adulatio: blanditiæ pessimum veri affectus venenum: sua cuique utilitas. Etiam ego & tu simplicissime inter nos hodie loquimur; ceteri libentius cum fortuna nostra, quam nobiscum.* O præclara, & apposita, quæ sequitur, sententia (*suadere principi quod oporteat multi laboris: assentatio erga principem quemcumque sine affectu peragitur*) digna quæ hominum pastores legant, & cum animo suo continenter cogitent!

Prop. LXXXVI. Sempiternum bonum etiamnum minimum præstantius est bono finitæ durationis etiam intensitate maximo.

D. Nam (quo arithmetico exemplo utar) quemadmodum infinitus numerus multiplicatus per quemvis finitum, numerum efficit omni finito majorem: ita sempiternum bonum etiam minimum infinite præstat finito etiam intensitate maximo. Sit numerus A omnium minimus, Z infinitus, erit A⋈Z infinitus: dentur vero duo alii numeri maximi, sed finiti, B, Q, erit B⋈Q finitus numerus. Sempiternum ergo bonum etiam minimum præstantius est bono finitæ durationis etiam maximo.

Prop. LXXXVII. Sempiternum bonum intensitate maximum sed probabile, præstantius est bono finitæ durationis maximo & certo. Est enim illud infinitum, hoc finitum: in bonis autem finitum certum infinito probabili procul dubio minus præstans est.

(a) *Tacit. lib.* 1. *histor. cap.* 15.

Prop. LXXXVIII. Stipites sint oportet homines, nisi qualiacumque præsentis vitæ bona in comparatione eorum, quæ æterna sperantur, non contemnant, ubi iis adversatur.

D. Quæ enim sperantur bona non omnino sunt phantastica: nec enim quisquam umquam *αποδεικτικως* confecit, nullam aliam post hanc homini vitam superesse; nec, si ingenui Athei esse velint, probationes omnes aut *rationis*, aut *revelationis* tanto doctorum consensu confirmatas futilia esse sophismata dicent (1): vita ergo altera sin minus certe (ex abundantia agam) at probabilis saltem est: præponendum autem est sempiternum bonum etiam probabile certo cuicumque finitæ durationis si inter se pugnant (propos. 87.); ergo stipites sint oportet homines &c.

Schol. Quin demus omnia esse dubia (neque enim aliud Epicurei expostulare possunt, nisi magis etiam, quam sunt, deridiculi esse volunt), nemo esse potest, nisi imprudentissimus & stultissimus, qui malum sempiternum quantumvis dubium bono intensitate & duratione finito postponendum censeat. Quod si in vita hac præsens malum prudentes homines fortiter tolerant metu majoris alterius probabiliter futuri, jureque atque merito eos stultos habent, qui secus operantur; intollerabilis profecto est stultitia mali infiniti duratione & intensitate etiam probabilis, etiam *dubii*, fugam, præsenti cuicumque bono non præferre. Qua ex re intelligitur quam inscite, ridiculeque *fortes* se *animas* appellari amant. Subit hic animum præclarum hujus rei Aristotelis judicium, testis nimirum, quem scio dialecticis nostris sæpe esse in deliciis. Ait igitur eum, qui ne Deos quidem timeat, non *fortem* appellandum esse, sed insanum. Sed locum ponam integrum: *εαν μεν γαρ τινα λιαν ποιησης αφοβον, ωστε μηδε τους θεους φοβεισθαι, ουκ ανδρειος (εστι),*

αλλα

(1) Bolingbroke *Fragment or minutes of essay sect. 67. & seqq.* quo in loco hæc bona velut phantastica traducit, adeo tamen non fuisse certus videtur, ut indignaretur, Epicureos in id studere, ut hanc opinionem ex animis humanis eradicent. *The antient*, inquit, *and modern Epicoreans provoke indignation, when they boast, as a mighty acquisition, their pretended* CERTAINTY, *that the body, and the soul die together*, id est, veteres recentesque epicurei bilem movent, cum clamant, tanquam thesauros persicos detexerint, idque magna, ut ipsi quidem autumant, judicii securitate, una animos & corpora interire,

αλλα μαινομενος: *etenim si quempiam eo usque feceris intrepidum, ut ne deos quidem metuat, jam non fortis, sed insanus fuerit* (a). Quamquam quid ego prædico præsentis vitæ bona cum æternis pugnare? Nihil est enim hic vere bonum ac utile nisi virtus & honestas: virtus autem non solum cum summo bono non pugnat, sed & via ad illud est tutissima, & ejus participatio quædam.

Prop. LXXXIX. Ad beatitudinem alterius vitæ, quam christiana docet religio, consequendam necessaria est *fides* in Deum, & *gratia*.

D. Prima pars. 1. Eam beatitudinem revelatione sua Deus nobis promisit, apposita lege, *nihil coinquinatum in regnum Dei intrare*; ergo ad eam consequendam perfecta omnibusque numeris absoluta virtus necessaria est. Hic est ordo mundi: hæc æterna justitia.

2. Ut ne simus coinquinati atque ex perfecta virtute vivamus, conformare mores debemus ex legibus ipsius Dei, atque ab iis ne latum quidem unguem discedere.

3. Ex quo fit ut omnium primum necessaria sit ad beatitudinem illam omnium divinarum legum, quæ veræ beatitudinis sunt leges, scientia intimaque persuasio.

4. Jam pleræque divinæ leges legibus appetitus animalis & sensus adversantur: formant enim homines ex ratione æterna ad immutabilia & æterna bona, adversus quæ hominis appetitus præsentibus sensuum oblectamentis irretitus & abreptus sæpe recalcitrat (b).

5. Ergo ut æternæ rationi, ordini, systemati, seu divinis potius pareamus legibus, quam cupiditatibus nostris, præferre debemus Dei rationem & ordinem rationi & appetitui nostro privato, reputareque sedulo Deum ita nos amare, ut nequeat velle miseros, tantaque sapientia esse præditum & potentia, ut sapientius & validius æterna sua justitia nos ad veram beatitudinem ducere possit, quam ulla nostra sapientia, aut potentia.

6. At id (5) numquam obtinebimus, nisi mentem nostram obsequentissimam æterno Dei ordini, adeoque doctrinæ & voluntati præbeamus ita, ut ejus sapientia, bonitas, & fidelitas nos concutiat, Deique timor in nobis dominetur.

(a) *Lib. 1. Magn. Moral. cap. 5.*
(b) *Paul. ad Romanos.*

7. Id autem (6) est fides divina, quæ in hoc est posita, ut maxima sit apud nos Dei sapientiæ, bonitatis, amoris erga nos, providentiæ, & fidelitatis existimatio, maxima factorum, dictorumque ejus veneratio.

8. Fides ergo divina necessaria est ad alterius vitæ beatitudinem obtinendam, velut primum vitæ Christianæ fundamentum (1).

Secunda pars. Experimento discimus nostrum appetitum bona quædam præsentia fortius rapere, quam æterna & vera. Ad eam vitæ perturbationem & depravationem curandam subsidium a natura nostra petere non possumus; petendum ergo est a Deo. Necessaria est igitur Dei gratia, seu internus primæ mentis afflatus, ac vis. (A).

Schol. (A). Tam hæc sunt natura perspicua, ut nihil frequentius in ipso Homero legas, quam oportere hominem in omni vita prudenter pacateque degenda ad Deos auxiliatores confugere, seu quia hæc animi dispositio magnum est ad virtutem incitamentum, seu quia ita divina æternaque lege constitutum est. Hæc igitur erat vetusti mundi philosophia longe quam ab hac nostra adrogante, quæ sibi vim naturæ humanæ perficiendæ tribuit. Sed & exstat apud Platonem in *Legibus* aureus plane locus, in quo, quum monuisset Socrates adolescentem, ut in depravatis vitæ cupiditatibus seniorum rogaret consilia, *qualemcumque* inde opem laturus, addit, *si ne id quidem morbo medetur, confuge ad Deos auxiliatores, quorum certum est præsidium*. Passim similia in aliis legere est, ut intelligere possimus, quo naturæ sensu ducimur in notitiam supremi rerum opificis & gubernatoris, eodem doceri eum esse invocandum, faterique sine ejus ope imbecillia heic esse omnia & perturbata atque præpostera. Sed ajunt (Bolingbroke loco superius citato) generalem ad id providentiam, ejusque leges satis superque esse, ut non necesse sit obtundere Deum, ut novas vires suppetat, seque pœniteat veteris mundi ordinis. Quasi vero hæc nova subsidia extra æterni ordinis schema vagentur, aut heri, ac nudiustertius excogitata sint ad antiqui mundi labes reficiendas. Omnia hæc sunt in æterno divinorum consiliorum ordine: æter-

no

(1) Eadem ratio ostendit & in hac vita pacate beateque transigenda esse ejusmodi fidem necessariam. Nam qui ab animi compositione desciscit, primum cum Dei providentia rixari occipit, quasi suæ utilitati adversa: deinde toto vitæ ordine diffluit, seque ipse excruciat.

no mundi ſchemate continentur. (1) Nihil enim Deus velle poteſt, quod non ſemper voluit nihil nolle, quod non ſemper noluit.

Capita attigi virtutum humanarum. Ea qui probe ſervabit, grandem proculdubio gradum in vita recte gubernanda faciet. Rem autem ulterius non proveho, copioſius id in *Ethica*, ſi vita ſuppetat, facturus. De iis vero, quæ ad beatitudinem æternam ſpectant, copioſius diſſerere philoſophi non eſt: theologorum eſt ea provincia. Nunc tibi menti mundi architectrici & gubernatrici principio lætus qualemcumque hanc opellam in gratiarum actionem devoveo: tum *in ſpiritu & veritate* ſupplico, ut opem continues.

Quæ quoniam rerum naturam ſola gubernas,
Nec ſine te quidquam dias in luminis oras
Exoritur, neque fit lætum, neque amabile quidquam,
Te ſociam invoco te ſcribendis grandibus *eſſe.*

(1) Euſebius Cæſareenſis hiſt. eccl. lib. I. cap. 4. practicum chriſtianum ſeu moralem definit eſſe, *qui per Chriſti cognitionem atque doctrinam, modeſtia, juſtitia, tolerantia, fortitudine, & pietatis cultuſque unius, qui ſuper omnia eſt, Dei profeſſione ornatus eſt.* Aitque primos a mundo condito mortales hæc omnia non minus ſtudioſe, quam nos coluiſſe, eaque viros illos θεοφιλεις ex φυσικαις εννοιαις conſtituiſſe τροπον της βιυ, *rationem vitæ.* Nam chriſtiana profecto religio quod ad has notiones, quas is memorat, Dei, & cardinalium virtutum, naturæ ſyſtemati adamuſſim conſentit, ut a nobis in II. parte demonſtratum eſt.

APPENDIX
AD CAPUT SUPERIUS

De virtute generatim, ejusque caussis & signis.

§. 1. QUum quidam sint, qui licet agnoscant virtutem necessariam esse *ad bene beateque* vivendum, videntur tamen in eo hærere ancipites, acquiri ne possit, necne, ac qua ratione & via, suspicanturque, a natura totam esse, non ab arte quoque, disciplina & exercitio, ut proinde inutilem possint existimare omnem, quam philosophi eam in rem operam impendunt; ego quæ ad virtutem generatim pertinent, ejusque effectrices causas retractare hoc in loco tanto lubentius suscepi, quanto res est quæ naturæ nostræ magis interest. Scio esse, qui mihi illud objiciant, *difficile esse ab artificio suo discedere* (1); quique censeant idcirco me res diversi generis uno in loco coarctare; at *delphinum silvis appingere, fluctibus aprum*, ut quibus ego præsertim studiis delecter ostendam. Sed & certum mihi est, nihil esse ab ulla disciplina alienum, quod quoque modo subjectam ei rem explicare & illustrare possit; & quo quis jure censere possit esse a Psycologia alienum quodcumque ad naturam animi & hominis pertinet, nondum satis intelligo. Ego potius sæpe metaphysicorum libros legens (quid enim id dissimulem?) dolui, viros summos, veteri Platonicorum enthusiasmo abreptos in *homine metaphysico & abstracto* contemplando totos fuisse tamdiu occupatos, *naturæ* vero *hominem*, quod nostra ac generis humani magis interest, quasi ab officio suo alienum, ne inspectare quidem dignatos esse, in quo mihi illi ignoscant, si ingenio & tempore abusos judicem (2): perfectio enim scientiæ humanæ non ab abstractis phantasticisque notionibus, sed a natura petenda est, a qua si vel hilum notiones nostræ defle-

---

(1) Cathedram Ethices id temporis occupabat auctor.
(2) *Stultitiæ apotheosim* hanc vocat Verulanus.

flexerint, falsæ sunt, velut a regula abnormes. Itaque illi in hoc errabant, quod eumdem *metaphysicum hominem*, *& hominem naturæ* opinabantur, quum longe a se dissiti & diversi sint (1): Platonicum ego hominem, aut stoicum nullibi nisi in libris philosophorum comperio: alius est & diversus naturæ homo: ac de homine naturæ me plus docent ii, qui eos depinxerunt, qui in tellure gignuntur, ut historici, quam omnes Platonicorum & Stoicorum libri. Itaque me quoque pœnitet, non exiguum tempus in hujusmodi acroasibus contrivisse. Accedit quod hæc metaphysici hominis contemplatio aut exiguum, aut nullum faciat in vita humana præclare agenda operæ pretium. Nam eum nos hominem addiscere oportet, quocum vivimus; nec vero vivimus, nisi cum naturæ homine. In homine autem hoc contemplando ejus constitutio, propensiones, dispositiones, qualitates, ac ea demum quæ sunt in eo omnia seu a natura seu a vitæ commercio & disciplina perpendenda sunt ac diuturnis experimentis discenda. Secundum hæc in vitæ rectæ & beatæ regulas inquirere oportet; ad eas tandem hunc hominem formare, & ubi enormis abit, revocare. Id ego esse ajo in philosophia præclarum. Sed eo redeamus, unde discessimus.

§. 2. Aristoteles in libris ad Nicomachum virtutem in hoc esse positam arbitratur, ut animi affectus temperet ac modificet, ut esse possint apta ad beatitudinem consequendam instrumenta. Itaque affectus velut materiem virtutum habet. Nos nec ab hac notione descisimus, & iterum hoc in loco virtutem ex fine definimus. Virtus igitur est, quidquid naturam perficit, atque ad finem suum consequendum habiliorem reddit: ut contra vitium est, quod impeditiorem efficit ad finem suum, aut ab eo distrahit. Quoniam autem affectus naturæ humanæ sunt quidam vehementiores impetus, ac quasi elastici vectes, quibus in finem impellimur, tota natura virtutis, ejusque officium in hoc præsertim posita sunt, ut eos temperet, modificet, ac ex mundi divino systemate ad summum naturæ nostræ bonum regat.

§. 3. Fines porro naturæ nostræ, quod sæpe alias dictum, aut præsentem tantum vitam spectant, aut futuram

---

(1) Pluribus hæc enucleavit *Bolingbroke in Essay* 1. *&* 2. *concerning the nature, extent, and reality of human knowledge* tom. 1. & 2. operum philosophicorum.

ram quoque. Quæ hominem perficiunt ad vitæ futuræ beatitudinem, atque ad eam regunt, *virtutes theologicæ* dicuntur, quas edisserere theologorum erunt partes: nos philosophiam pertractamus. Præsentis vero vitæ duo status spectandi sunt, monasticus, & civilis, seu vita solitaria, & vita socialis. In primo statu tranquillitas, & pax vitæ privatæ; in secundo vero tranquillitas ac salus totius societatis maximus finis est. Quocirca quæcumque hominem perficiunt ad tranquillitatem vitæ monasticæ, *virtutes monasticæ & ethicæ* appellantur: quæ vero eumdem hominem ad societatem sancte colendam servandamque instituunt, & societatis tranquillitatem securitatemque pariunt, dicuntur *virtutes civiles*.

§. 4. Quum homo anima, & corpore constet, intelligitur esse virtutes, quæ animum, esse quæ corpus, & esse quæ utrumque perficiunt. Quæ corpus perficiunt, nec animam spectant, hujus non sunt loci; physiologorum medicorumque est ea provincia. Quæ vero ad animum, aut totum hominem attinent, duplici item sunt in genere positæ: nam aut rationem, aut voluntatem, seu potentiam appetendi perficiunt. Illæ virtutes *intellectuales* nominantur: hæ *morales*.

§. 5. Jam quod animum ad finem suum perficit, aut *actus* est, aut *habitus*: habitus omnes disciplina seu continuatione actuum acquiruntur, ut nullus sit in natura nostra ingenitus, licet sit in ea habitudo quædam, & aptitudo ad habitus excipiendos. Scilicet humana natura spectanda est velut mollis quædam cera, quæ nullis figuris prædita, est tamen apta omnibus excipiendis. Nullis nos virtutibus moralibus ornati nascimur Adæ filii: quin potius ita gignimur, ut faciliorem naturam habere videamur excipiendis vitiis, quam virtutibus, quemadmodum humana docet historia. Præterquamquod, quæ sunt innata, non sunt mutabilia, ut Aristoteles ipse ratiocinatur: virtutum vero habitus omnes mutabiles sunt; virtutes ergo innatæ non sunt. Divina igitur ope, assuefactione, ac continuata naturæ nostræ inflexione ad honestatem, & justitiam, virtutum habitus acquiruntur. Quamquam autem singuli actus, quibus habitus virtuosos acquirere nitimur, virtutes quoque sunt, & appellantur, vulgatius tamen est, habitus ipsos virtutes appellare.

§. 6. Sed gravis hoc in loco vetusque nobis exoritur quæ-

stio,

ſtio, acquiri ne poſſit virtus. Quum virtus in eo ſit omnis poſita, ut affectus in ordinem cogat componatque atque attemperet quum ad naturæ noſtræ indigentiam, cujus ſunt illi argumentum, cuique permovendæ velut vectes inſerviunt; tum ad externarum rerum cum eadem natura noſtra αναφορας relationes, id totum minime arte ulla fieri poſſe videtur. Nam natura noſtra temperamentis neceſſario agitur, ut ea nec extirpare poſſimus, nec immutare. Sunt quidam, qui ſanguineo temperamento præditi, in jocos, ſcurrilitatem, amores, aliaſque corporis voluptates quaſi inviti rapiuntur, quos qui frænare velit, is totam eorum naturam immutet neceſſe eſt. Alii temperamento ſunt præditi melancholico, ut idcirco perpetuo inquieti ſint, minime ſibi ſatisfacientes, turbidi, truces, immanes. Eos qui cicures efficere velit, fibras, vaſa, fluida, ſtructuram omnem humani corporis & naturæ conſtitutionem pervertere debet. Sunt quidam natura timidi & puſillanimi; iracundi alii & ruinis ſimillimi: quidam molles & inertes: alii avari, alii natura ambitioſi: quidam ſubdoli & fraudulenti. *Hos ubi ad virtutem componere velimus, a primis naturæ elementis exordiri oportet.* Accedit, quod naturæ humanæ conſtitutiones diverſæ a climatibus, ſi non integræ naſcuntur, at plurimum tamen pendeant, id quod geographia humani generis ſatis docet. Ita iſti concludere ſibi videntur, virtutem, niſi a natura ſit, acquiri nullo pacto poſſe, aut naturæ eſſe diſſimulationem.

§. 7. Falluntur tamen, eaque naturæ humanæ faciunt indomabilia, quorum nihil eſt non patiens fræni. Ac principio temperamenta magis vim habent ad excipiendum, quam ad moraliter agendum: facilitates aut difficultates faciunt irritationem recipiendi potius, quam agendi. Ratione, ſenſu, & phantaſia naturam commovent, facilius quidem & promtius, aut tardius & difficilius, quam ſi abeſſent; imperium rationis non ſemper elidunt. Ac ut mollitudo aut durities in cera facilitas eſt, aut difficultas ad literas excipiendas, non vis ſcalpens; eodem modo temperamenta efficiunt, ut promtius & facilius, aut difficilius & tardius quibuſdam rerum imaginibus agitemur, non autem ut perpetuo inviti impellamur. Deinde vim habeant phyſice agendi: vim certe habere non poſſunt ad neceſſario moraliter agendum: libertatem enim ad κακιαν *malitiam moralem* non neceſſario trahunt, etſi ſæpe non leviter alliciant.

Quam-

Quamobrem si rationem emendare, si phantasiam purgare studeamus, si rerum bonitatem aut malitiam exacte dimetiamur, si veras rerum cum natura & finibus nostris relationes dispiciamus, poterimus quidem ab illis aut paullo vehementius commoveri erga vitia, aut retardari aliquantum a virtute concipienda, nullo autem modo inviti ad illa adigi, aut ab his retrahi. Itaque experimento didicimus plurimum in iis moderandis posse & purgatam sanamque rationem, & continuatum studium, diligentiamque ea ad regulam subigendi. Nec ullum majus argumentum esse potest, evadere illa posse instrumenta virtutis, quam quod experientia docet, plures sibi illa & rationi submisisse, ut sentirent quidem se aut vehementius agitari, aut impediri vi magna, interea vel frænarent, vel stimulis agerent. Neminem esse ego ajo quantumvis depravatum, qui, si ingenuus esse velit, se invitum ad vitia rapi fateatur: neminem scelestissimum, qui ad honestatem & virtutem flecti nequeat. Non quidem negaverim plurimum climata in temperamenta & mores influere; sed necessario agere, id ego esse falsum ex experientia comperio. Scilicet plures sunt sub eodem ferme climate nationes, quæ diversis vivunt moribus. Nam sub eodem prope climate sunt Japonenses, Sinenses septemtrionales, Tartari plures, Armeni, Græci, Itali, Mexicani boreales, non iisdem tamen vivunt moribus. Insulani quidam sibi alioquin vicinissimi moribus, & institutis immane quantum distant. Quid quod non eosdem mores in eadem gente diversis temporibus reperiamus? Nisi quis dicere velit Græcorum ac Romanorum, qui fuerunt olim, mores & studia, eadem nunc esse. Iidem populi, qui olim barbarie, aut immanitate efferabantur, nunc humani sunt, ac virtuosi: contra aut immanes, qui humani fuere, aut molles, qui fortes, aut injusti, qui juris olim tenacissimi, aut impii, qui fuere pii. Itaque una præcipua illis diversorum morum causa est educatio & disciplina, tum domestica, tum civilis. Quando ergo constat educatione ad diversos mores flecti naturam humanam posse, fateamur omnium esse naturaliter capacem; ac proinde ut educatione & exercitio ac commercio vitæ vitia contrahere posse, ita posse & virtutes (1).

§. 8.

(1) Sunt hæc quidem vera, nec tamen ad omnem omnino virtutem oeconomicam & civilem plene pertinere posse videntur: nam sunt quæ-

§. 8. Quoniam virtutes non innascuntur nobiscum, ut demonstratum est, jure hoc in loco nunc a nobis quæretur, quæ sint caussæ effectrices virtutum moralium. Ac videntur esse omnino quinque, Deus, ingenium seu temperamentum, educatio, exercitatio, præcepta. Ac principio veræ & perfectæ virtutis fons primus sola esse potest prima rerum omnium causa: a qua enim sunt essentia, & natura nostra, ab eadem & conservantur & perficiuntur, & ad fines suos potentissime & sapientissime ducuntur. Præterea nemo accuratissime noscere potest præter Deum, naturarum rationalium fines, media ad fines, mediorum cum fine proportionem, & vires ad id necessarias. Deus ergo tantum veræ perfectæque virtutis dator primus esse potest. Is igitur qui tam sapienter *portat orbem*, ut ajunt divini vates, singula suis viribus plene & instruere & portare potest.

§. 9. Hoc, quod Scripturæ sanctæ est perpetuum dogma, ethnici ipsi philosophi intellexisse videntur. In celebri enim

quædam animi virtutes, quæ nonnihil ab instrumenti, idest corporis, vi & natura pendent; ad quas plene progignendas vix ulla satis est disciplina, si instrumentum resistat. Qui magno lentoque præditi sunt corde, timidi natura sunt. Est ulla disciplina, quæ iis magnos animos ingenerare possit? Sunt alii parvo magnæque elasticitatis corde donati, generoso sanguine, vehementi irritatione fibrarum. Hi natura sunt imperterriti audacesque. Quis hujusmodi Catones, Cæsares, Alexandros audaciam dedoceat? Longa disciplina & patientia aliisque subsidiis humanis aliquid posse non negabo: plane hujusmodi virtutibus informari posse haud ausim affirmare. Vir doctus, cujus ego non libros tantum sed animi mentisqu in primis dotes plurimi facio, *Bielfeld*, tom. II. Politices cap. I. §.15. Regum institutoribus hæc præcipit: *si ces Gouverneurs sont tels que l' importance de leur emploi l'exige, ils enseigneront à leurs éléves destinés à regner un jour, qu'ils doivent être humbles & modestes dans la prosperité* (hoc fieri per naturam posse censeo) *fermes & courageux dans les revers* (hoc facilius præcipi opinor, quam abjectæ naturæ insinuari) *lents à se determiner, prompts dans l'execution, gracieux envers leurs inférieurs, polis avec leurs égaux, fiers avec dignité envers ceux qui se croyent leurs superieurs en puissance, toujours affables, toujours humains .... Qu'ils doivent faire éclater du courage, de l'élévation, de la grandeur d'ame, & de la generosité, & de la candeur dans toutes leurs actions*. Et hic ego valde dubito, utrum resistente natura mechanica facile sit hujusmodi civilibus virtutibus imbui. Possem esse copiosus, si exempla ab historia petere vellem, quibus indubium fit, ingratiis naturæ elateribus postremas hasce virtutes nulla arte acquiri posse.

enim illa inter Græcos controversia, virtus nascatur ne nobiscum, an acquiratur doctrina & exercitatione. Plato sic disseruit in Menone, ut virtutem nec a natura esse, nec a nobis, sed a Deo scriberet. Sed sunt plurima Homeri ipsius loca, in quibus ille virtutem a Diis exspectandam tradit, quæ studiose collegit Fridericus Rappoldus Commentariis in Horatium, pag. 809. Notandum & hoc Epicteti, qui dum de compescendis pravis affectibus, quod virtute fit, disserit, ait, *certamen quidem magnum est, opusque plane divinum. Dei igitur memineris. Eum invoca opitulatorem, & auxiliatorem, quemadmodum nautæ Dioscuros, quum in tempestate navigant. Quæ enim major tempestas, quam quæ oritur ex imaginationibus violentis, ipsamque rationem elidentibus?* Vide Arianum lib. 2. cap. 1. in Epictetum.

§. 10. Id confirmatur etiam perpetua experientia vitæ humanæ, ex qua discimus, rationem quantumvis purgatam, dum natura affectibus validissime agitatur, vix ullam habere vim ad compescendum, nisi opem illa conferat prima ac æterna mens. Itaque veritates morales in magna hominum parte intellectum cogunt ad assensum, naturam minime movent. Viri ipsi ratione consummati, nec virtute exercitati, ubi natura paullo vehementius agitata fuerit, impotentes animo evadunt, nec minus perturbantur, atque transversum aguntur, quam cetera omnia animantia. Quo argumento evidentissime demonstratur, naturam humanam, præsertim in corrupta natione, sine interiori quodam, & potente supremæ causæ auxilio, etiam ubi vera quædam intelligit, minime tamen esse aptam ad agendum, ac ita agendum, ut cum fine suo consentiat perfecte. Eodem argumento imbecillitatem nostram cognoscere docemur, atque nobis minime fidentes, in Deo spem nostram collocare. Neque interea velim hac nos doctrina ad nostram pigritiam alendam ita abuti, ac ita in Deum omnem animi nostri curam avertere, ut nihil ipsi conemur, non magis quam stulti lapides: nam id & cum natura pugnat humana, & divinis legibus non solum adversatur, sed injurium est. Tota potius naturæ nostræ vis, quantulacumque ea sit, adhibenda est, quo tantum ducem digne sectemur.

§. 11. Ingenium, seu natura & temperies ad virtutem moralem duo potissimum confert. Primum facultatem, seu apti-

aptitudinem ad virtutem excipiendam; alias enim virtutem numquam assequeremur. Secundum impetum, & inclinationem erga virtutem, quæ aptitudinis illius naturalis quædam perfectio est. Hæc autem inclinatio duplex est. Una omnibus communis, minus tamen vehemens, quam *amorem honestatis* dicere possis. Est hæc in omnibus hominibus, qui parva educatione non sint efferati. Nemo enim est, qui non aliquando amore hoc honesti ac justi tangatur. Altera est peculiaris, & perfectior, quæ in iis tantum est, qui singulari naturæ bonitate sunt præditi, qua qui ornati nascuntur, eos ad virtutem natos, factosque dicimus. Pendet ea quidem plurimum ab educatione, sed non raro etiam a corporis temperamento. Nam educatio sine apto temperamento non magis utilis est ad virtutes quasdam intellectuales, œconomicas, civiles, quam terræ arenosæ cultura ad fruges.

§. 12. Tertia & quarta virtutis caussæ sunt educatio, & exercitatio; educatione enim, & exercitatione, ut tenellæ plantæ continuata cultura ad fruges, ita natura nostra ad habitus virtuosos tandem inflectitur. Qui dixit, hominem civilem nihil esse aliud, nisi habituum congeriem educatione, & exercitatione contractorum, dignum philosopho verbum pronunciavit. Scilicet homo naturæ tam differt a civili, quam animal, ut ita dicam, ab homine. Sed ad educationem, & exercitationem conferunt plurimum præcepta doctrinæ, quæ quinta sunt virtutis caussa. Ea enim præcepta, si attente excipiantur & recolantur sæpissime ita, ut in succum & sanguinem convertantur, tantam vim obtinent ad naturam perficiendam, & promovendam, ut altera esse videantur natura. Sed de his nunc accuratius edisseramus.

§. 13. Præcepta ei observanda, qui se ad virtutem excitare, & exercere vult, duorum sunt generum, alia generalia, alia specialia. Specialia virtutum præcepta in iis Ethicæ locis, si vita suppetet, trademus, in quibus de officiis hominum disputabimus (a). Generalia tantum hic proponemus.

§. 14. Primum præceptum est, ut divinum auxilium, quo ad virtutem colendam vires recipiamus, assiduis precibus imploremus. Nam & prima caussa virtutis effectrix est

(a) *Vide interim* IV. *part. hujus operis.*

est Deus, ut supra demonstratum est, & *timor Dei initium sapientiæ* in divinis Scripturis appellatur. Hoc, scilicet se ita componere, ut perpetuo Deo, mundique ordini, quæ prima & generica ejus lex est, congruenter vivamus, magna certe ac prima virtus est & sapientia. Quo in loco adnotandum est, vocabulum *sapientiæ* non accipi theorice tantum pro scientia, & doctrina, sed practice, idest pro cognitione, & arte vitæ directrice. Quumque fieri possit, ut quis multiplici eruditione, & doctrina refertus nesciat interim recte vivere, fieri & illud potest, ut quis sit *doctus* ac eruditus, sed non *sapiens*, quia non virtutis alumnus.

§. 15. Secundum præceptum est, ut virtutis insignis pulchritudo, ac uberrimi fructus continenter ob oculos habeantur. Socrates dicere solebat, quod si honestas, & virtus vultum suum sine velo ostenderet, incredibiles in nobis amoris flammas accenderet. Inter fructus vero virtutis præcipui sunt I. animi tranquillitas, quæ a sola virtute proficiscitur, ut in superiori capite demonstratum est, II. vera laus, & gloria, quæ non a vitiis, sed a sola virtute expectari potest, etiam in hac morum pravitate, qua plerique omnes sumus, III. vera utilitas quandoquidem vitia utilitatem mentiri possunt, veram præstare nequeant, ut si aliquando contingat, esse fortunata, numquam tamen sunt tuta: est enim ita natura comparatum, ut quo vitii regnum latius propagatur, eo vitiosi homines minus sui sint securi, IV. vera nobilitas; nobilitas enim ex virtute primum nata est, & in virtute posita est *essentialiter*, ut qui avita nobilitate gloriantur, ipsi omni virtute vacui, nobilium magis filii, quam nobiles dicendi sint, V. tandem virtus magnum hoc beneficium secum affert, ut amorem etiam a barbaris extundat: hinc præclarum illud Tullii, *virtus etiam in hoste diligitur*. Id quod divino naturæ systemate fit: nam vir frugi nemini injurius est, nemini quidquam nec infert, nec excogitat mali: contra in omnes est humanus, ac benignus: misericors: socius denique ac amicus omnium. Nulli igitur bilem movet: nullius irritat naturam. Ecquæ autem tanta barbaries esse potest, ut ultro hunc hominem lacessat? Quod si qui dicantur virtuosi, quos ulli mortalium odio umquam habuere, aut habeant, hos ego numquam plene virtuosos dixerim: defuit scilicet plurimis modestia

vir-

virtutis: aliis prudentia: nonnullis fortitudo: ac plerosque nimius sui amor virtutis prætextu decepit.

§. 16. Tertium præceptum est, ut non mediocria tantum, aut factu faciliora, in virtute tibi proponas sequenda, sed ad summum ejus fastigium, ac virtutem, quæ dicitur heroica, semper adspires, quod nisi feceris, vix in extrema ejus parte hærebis. Imitandi sunt armorum duces, qui etiam dum orbem terræ populantur, falsæ gloriæ adspectu moti, semper eos sibi imitandos proponunt, qui summi fuere, velut olim Alexander Herculem, & Achillem, Cæsar Alexandrum. Eodem quoque modo tu in vita honesta, & virtuosa perfectissimos velut exemplaria vitæ tibi exhibeas ad imitandum: Revocat nos ad id præceptum Christus servator noster: *Estote*, inquit, *perfecti*, *sicut pater vester*, *qui in cælis est*, qui omnia mundi entia, singula pro sui natura, sua benignitate respicit.

§. 17. Quartum præceptum est, ut vitia omnia vivis coloribus perpetuo menti depingamus, atque assuescamus exhorrere. Dici enim vix potest, quantam vim conferat ad virtutem constabiliendam horror vitiorum. Noscere in primis id debent educatores infantium; ac horrificis exemplis vitia illis describere, & sæpissime vitiorum infelices exitus demonstrare. Sic enim habendum est, neminem esse posse virtuosum, qui horrore vitii animum spoliaverit. Pudor *sepimentum virtutis* dicitur eleganter a Platone Præclare Horatius, *virtus est vitium fugere*, *&* *sapientia prima stultitia caruisse*.

§. 18. Quintum præceptum est, ut ab eo vitio, quod magis virtuti adversatur, longius discedamus, & in contrariam partem quodammodo nos inflectamus. Esse vero eidem virtuti vitia multa contraria, atque alia magis, quam alia adversari, omni dubio caret. Præcepti ratio est, quod si nos vitiis aliquibus obnoxios esse contingat, quam minimis, & minus perniciosis obnoxii simus, atque de malis minima habeamus, quod inter corruptos homines, bonitatis species quædam est: nam minima mala comparata cum majoribus boni quodammodo rationem habent, præsertim quum a majoribus præservant.

§. 19. Sextum præceptum est, ut non solum consideremus, quodnam vitium magis cum virtute pugnet, quod superius præceptum sciscit, verum etiam ut perpendamus, in quod simus aut ob temperamentum, aut ob educationem,

aut ob sæculi mores propensiones, ut ab eo nos longius abducamus. Atque in hoc præsertim homini virtutis amanti danda est opera. Eleganter item Horatius.

. . . . Denique teipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala: namque
Neglectis urenda filix innascitur arvis.

§. 20. Septimum præceptum est ex superiori proficiscens. Nempe quoniam sunt quædam vitia, quæ ætatum sunt propria, ut in adolescentibus, ac juvenibus intemperantia, & præcipitantia; in viris ætate maturis ambitio: in senibus avaritia, querimonia, & perversus amor τὸ δικάζειν, ut ait Aristophanes in *Avibus*, *judicandi* scilicet: hæc in primis coercenda sunt, & vitanda: his impendendus magna cura animus, ne si nos semel invadant, correptos tota illa ætate teneant, ac totam vitam moralem conturbent. Quæ de ætáte dixi, id & professiones quoque spectat: sunt enim quædam mathematicorum, quædam medicorum: quædam jurisconsultorum propria vitia: sunt quædam theologorum, quædam grammaticorum. Ea pictorum, hæc sculptorum. Me quoque pudet communi proverbio nos *genus* traduci *avarissimum* & *impudentissimum*. Quam turpia illa dicteria, *medici regula: theologi conscientia: litteratorum modestia*. Ac brevi, *suæ quisque artis indigus*. Hæc vulgus non ingereret, nisi experimento didicisset. Quid igitur? aliis alii imponimus? alii alios deludificamus? Ac utinam id jampridem populus non sensisset. Hæc igitur procuremus, omniumque maxime exhorreamus.

§. 21. Octavum præceptum est, ut otium cane pejus & angue fugias; est enim ut vitiorum omnium sentina, ita præcipue virtuti inimicum. Quocirca labori incumbendum est viro virtutis amanti (1). Quumque duplices sint labores, animi, & corporis; corporis quidem labores pro cujusque conditione suscipiendi: sed animus numquam, aut

(1) Itaque Græcis virtus est ab Ἄρης *mars*, *bellum*, *bellica fortitudo*. Sed & Latinis virtus pro vigore dicta est. Virtutem hanc moralem *Cic.* I. *de legibus* ita definit, ut sit *nihil aliud quam in se perfecta & ad summum perducta natura*. At natura labore & exercitio perficitur: otio & ignavia languescit ac collabascit.

aut raro a feriis occupationibus removendus eſt. Homines literarum ſtudiis dediti operæ pretium facient, ſi artem aliquam mechanicam, honeſtam illam, & ingenuis dignam, diſcant, atque in ea ſubciſivis horis ſe exerceant. Picus Mirandulanus Comes juvenis, & nobilitate generis, & literis celebratiſſimus id præcipuum ſui ornamentum cenſebat, quod artes ferme omnes mechanicas ſciret exercere. Egregios ſuperioris ætatis philoſophos cum voluptate exercuiſſe aut ſculpturam, aut picturam, aut artem perſpicillorum, vel horologiorum, ex eorum vitis ſcimus. Eam ob rem plura inventa mechanica iis debemus. Veteres monachi agriculturam, pluresque artes fabriles excolebant: libros græcos latinoſque exſcribebant; indeque factum ut ασκητοι dicerentur: nam ασκεω eſt *exerceo*, ut norunt pueri. Ac ita illi inter Dei contemplationes, & laudes caſtos ſanctoſque ſe ſervaverunt: ſed inde flexere paullatim in ſæculi vitia, poſtquam ſcilicet otia & luxus regnarunt. Inter animi autem labores ſtudia ſunt literarum, quibus qui ſerio vacant, tempus, quod impendant in vitia, non habent. Fama eſt rogatum Newtonum, an amationibus umquam operam dediſſet, reſpondiſſe, nullum ſibi reliquum fuiſſe tempus a meditationibus philoſophicis, quo ea de re cogitaret.

§. 22. Quoniam tamen longum eſt iter per præcepta, breve & efficax per exempla, ac inter exempla illa magis nos commovent, efformantque, quæ in oculis perpetuo verſantur, quam quæ tantum audiuntur, aut leguntur; & rurſus, quia ab iis, quos amamus, & quibuſcum vivimus, diſcimus facilius, eoſque ſtudioſius imitamur: inde naſcitur nonum præceptum, ut non ſolum hiſtorias virorum in virtute illuſtrium attentiſſime legamus, verum etiam eligamus amicos honeſtos, virtuoſos, & ſinceros, atque cum iis familiariſſime converſemur. Enimvero cum ex lectione vitarum illuſtrium virorum, tum ex converſatione virorum virtuoſorum tranſmeat aliquid continenter in animum, quo paullatim ad virtutem componimur. Præterea coram amicis virtuoſis non poſſumus non eſſe virtuoſi, ac perpetuo ad virtutem inflecti: omnes enim homines quantumvis impudentes verentur hominum gravium, & honeſtorum reprehenſionem, ac judicia. Præclare prorſus Seneca epiſtola 11. ad Lucilium, *Magna pars peccatorum tollitur, ſi teſtis peccaturis adſiſtat.*

§. 23. Decimum præceptum idem Seneca in laudata epistola suppeditat; ut si testis morum sanctitate gravis, & qui pudorem ac reverentiam incutiat, non semper habeatur præsens, saltem perfecta quædam ejus imago menti perpetuo obversetur: plurimum enim animum a vitio retrahit, impellitque ad virtutem. Ut ecce finge te coram Catone esse, vereberis profecto coram viro tam severo & justo esse scurrilis, aut incontinens, aut injustus. Et quomodo dum quis scribit, aut loquitur privatim, si fingat se versari in consessu doctissimorum, ac severi judicii virorum, castigatius ille scribit, aut loquitur; eodem modo honestius vivit, qui coram honestissimis viris vivere *sibi* persuadet. Sed in re morali id in primis maximi momenti est, sedulo secum reputare coram Deo nos esse, & operari (*Deo enim plena sunt omnia*, ut veteres poetæ ajunt) Dei vero oculum vindicem esse, ut Homerus loquitur. Reperire est hoc præceptum in ipsis ethnicis scriptoribus, præsertim in Platone, Seneca, Epicteto, Marco Antonino, aliisque sæpe traditum.

§. 24. Undecimum præceptum est, ut admonitiones, & objurgationes amicorum, aut seniorum non solum æquo animo auscultemus, verum etiam efflagitemus, si viri boni esse volumus. Nam quoniam vitia sua nemo omnia inspicit, refert plurimum sincerum admonitorem habere. Quin etiam inimicorum reprehensiones, quas livor dictat, veluti virtutis scholam excipiemus, atque iis, quæ ad nocendum intenduntur, proficiemus ad virtutem: honesta enim hæc est vindictæ ratio, ex inimicis proficere. Insignis est super ea re Cardani liber *de utilitate ex adversis capienda*. Contra vero neminem magis cave, quam adulatorem, qui inimico ipso hoc est pejor & nocentior, quod sub specie amicitiæ tutius lædat (*a*).

§. 25. Duodecimum præceptum est, ut vitiorum occasiones omnes fugiamus, atque eorum initiis vehementissime resistamus: quod scilicet semper facilius est, integrum hominem jam vitio irrepenti resistere, quam hominem jam vitio correptum, ac debilitatum: vires enim paullatim de-

scre-

(*a*) Legatur liber Plutarchi, *qua ratione discerni possit amicus ab adulatore.*

screscunt, atque in eadem ratione augescit vitium. Id vero cum in omnibus vitiis adhibendum est, tum praecipue in iis, ad quae sumus natura procliviores. Alexander Macedo utcumque non multae continentiae, tamen quum semel invisisset Darii Persarum regis filias aetate florentes, ac forma pulcherrimas, noluit secundo invisere, quia sibi ab illis metuebat: *Dolores*, inquit, *oculorum sunt* (*a*).

§. 26. Decimumtertium vero virtutis praeceptum est, ut quod de salute corporis pronunciavit perspecte Hippocrates, *nihil parvum, nihil contemnendum existima*, id potiori jure ad animum referamus: nam, ut praeclare observat Aristoteles, plerumque, quae mole sunt exigua, virtute sunt maxima: ac *parva saepe scintilla*, ut ille inquit, *neglecta magnum excitavit incendium*. Igitur ne levibus quidem vitiis aditus patefaciendus est: sic enim ad maxima scandimus gradum. Vulgata sunt illa, & continuata experientia firmata: *qui spernit modica, paullatim decidit*, & *nemo repente fit pessimus*. Nationes, quae ad publicam morum corruptionem devenere, non illae repente, sed paullatim devenerunt: sensim scilicet a veteribus institutis, & moribus descivere, & vitiis aditum aperuerunt, donec eo veniretur, ut corrumpere, & corrumpi seculum vocaretur, quod de Romanis scribit Tacitus.

§. 27. Decimumquartum praeceptum est, ut quotidie, & accurate factorum, dictorum, aut cogitatorum nostrorum examen instituamus, in quo accusatoris partes adversus nos ipsos suscipiamus, defensoris numquam. In hoc autem examine vel minima quaeque recensenda, atque vel minima emendanda sunt. Testatur Seneca, se hoc praecepto totam vitam regere solitum, nec umquam somnum capere, quin severus sui censor cuncta perpendisset dicta, facta, cogitata, *ignoscentem aliis multa, sibi nihil*. Exstat in carmine aureo, quod Pythagorae tribuitur, locus super ea re insignis, quem operae pretium est immortali memoria tenere. Is sic latine se habet.

E somno primum vigilans, quum strata relinquis,
Disponas animo luce expedienda futura.

 Quan-

(a) Vide Plutarchum in Alexand.

Quando adimit rebus veniens nox atra colorem,
Ne prius admittas per dulcia lumina somnum,
Singula quam elapsi ter volveris acta diei.
Numquid deliqui? quid gessi in tempore? quid non?
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?

§. 28. Postremum tandem præceptum est, ut de nobis quam modestissime sentiamus, nec tam quo progressi simus, quam quousque nobis adhuc sit progrediendum, cogitemus. Nihil enim tam progressibus in virtute obstat, quam adrogantia, & multa nostri opinio; quandoquidem nemo eo pervenire contendet, quo se jam pervenisse putat. Itaque quod Plato de virtutibus intellectualibus, dixit, *multi ad scientiam pervenissent, nisi se jam pervenisse putarent*, id tu de virtute morali majori jure dicere potes. Eam ob rem cavendum est, ne laudibus capiamur, atque a recto virtutis tramite superbientes deflectamus.

§. 29. Plura alia præcepta ad virtutem aut componentia, aut cohortantia ex virorum illustrium exemplis, aut ex continua vitæ humanæ consuetudine quivis colligere potest. Quæ in superioribus protulimus, si exercitatione ipsa in naturam convertantur, primæ adolescentiæ regendæ sufficiunt. Illud autem nunc explicandum est, quibus argumentis cognoscere possimus, profecerimus, necne, in virtute? Egit ea de re accurate, & docte Plutarchus in opusculo *de profectu virtutum*: inde pauca delibare placet.

§. 30. Primum ille argumentum profectus in virtute ponit virtutis ipsius amorem. Is scilicet se profecisse in virtute, sciat, qui virtutem, ac virtutis speciem quamlibet impense se amare persentiscit. Agnoscet autem se virtutem amare, si occasionem exercendæ impatienter quærat; si magno ejus desiderio teneatur; si hominum virtuosorum conversatione delectetur; si ad præsentiam vitiorum exhorrescat, nec in se delectabilem sollicitationem ad vitia sentiat interiorem: uno verbo, quibus indiciis cognoscitur, nos rem aliam quamlibet amare, iisdem dignoscitur, nos amare virtutem.

§. 31. Alterum indicium constituit Plutarchus, si ad aliorum irrisionem constanter perseveret in virtute, nec magnopere animo turbetur. Id autem, ut obtineat, necessarium est non solum ut in virtute occalleat, verum etiam sedulo perpendere, majorem hominum partem vi-

tiis esse corruptam; ac propterea necesse esse, ut virtuosus pluribus displiceat, ut eorum sæpe invidentiæ obnoxius sit, ut calumniis laceretur. In antecessum hæc futura secum reputet, quominus, quum accidunt, perturbetur. Quinimmo hinc tertium argumentum profectus in virtute deducere potest; displicere enim malis, magnum est bonitatis argumentum. Itaque philosophus ille, de quo Laertius, quum relatum ei esset, se publice laudari, *me miserum*, inquit, *quid tantum mali commerui?* Hinc illud Senecæ, *argumentum pessimum est populi consensus*, in corruptis publice moribus,

§. 32. Quartum indicium est, si læto animo, & lubentissimo objurgationes, & reprehensiones auscultemus. Quemadmodum enim si corpus ægroti utilia medicamenta respuat, argumentum est morbi lethalis; eodem modo animus, qui objurgationes ægre fert, atque iis cruciatur, sanus esse non potest. Cujus ratio est, quia virtus animum non insolentem, trucem, ferocem, aliorum contemtorem efficit, sed mitem, ac facillimum. Itaque ubi mansuetudo deest, quod in nebulonibus videre licet, manifestum est argumentum, aut nihil, aut admodum parum in virtute profecisse. Eleganter Plutarchus, *spicæ plenæ curvantur, vacuæ eriguntur*.

§. 33. Jam quintum signum, nos in virtute profecisse, est, si ad difficultates, quas virtus in prospectu offert, non cedamus timidi, sed contra audentes eamus. Ad hunc ardorem accendendum considerandi perpetuo sunt fructus virtutis. Hinc illud Poetæ,

Durate, & vosmet rebus servate secundis.

Diogenes Synopeus, quemadmodum idem retulit Plutarchus, profectus Athenas ad philosophiam discendam, publicos civitatis ludos offendit, in quibus Athenienses per omnia urbis loca effusi splendide convivabantur. Hic urbis ejus status cum laboribus, quos ille suscepturus erat, pugnabat, atque illos magis etiam horridos ostendebat. Ille interea minime commotus tantum abest, ut attentionem remiserit, ut potius ea omnia ad excitandam attentionem converteret sapienter, secum reputans, tantas commoditates unam compensare posse virtutem. Quicumque igitur ita formatus est, ut in eo ratio adversus difficultates, quas virtus præsefert, fortior pugnet, is sciat, se non mediocriter in virtute profecisse.

§. 34. Sextum indicium est, si adversa sereno animo tolerentur. Enimvero, qui vel minimis malis ita conturbatur, ut miser sit, ne latum quidem unguem profecit. Atque hoc est, quod Stoici docebant, *non cadere in sapientem ægritudinem*. Audiamus hic præclarum Ciceronis scriten. *Necesse est*, inquit, *qui fortis sit, eumdem esse magni animi: qui magni animi sit, invictum: qui invictus sit, eum res humanas despicere, atque infra se positas arbitrari: despicere autem nemo potest eas res, propter quas ægritudine affici potest. Ex quo efficitur fortem virum ægritudine numquam affici. Omnes autem sapientes fortes; non cadit igitur in sapientem ægritudo* (*a*).

§. 35. Septimum indicium est, si virtuosus allicientia ad vitium libenter contemnat: nam si facile proposito suo dimoveatur, aut nihil, aut parum profecit. In primis autem solent homines vitiosi vitia sua pulcherrimis adspectibus ornare, quibus minus vitiosi videantur, atque vitii horrorem aliis demant: consuetudine cohonestare: præscriptione defendere: humanæ naturæ aut indigentia, aut imbecillitate excusare: virtutes velut aut imbecillium animorum, aut enthusiastarum commenta traducere, ac deridere: sapientes eos vocare, qui utilitatis privatæ causa astute alios decipere didicerint, stultos qui nesciant. Tu, si ab illis capi minime pateris, scito, te in virtute profecisse.

§. 36. Octavum signum profectus in virtute constituo, si literarum studiosi ea ex omnibus studiis avidius arripiant, quæ sibi, & societati utilia sunt, cetera velut in transitu salutent. Qui enim ita sunt affecti, opera ipsa demonstrant, ad voluntatem, & naturam moralem perficiendam magis impelli, quam ad intellectum, magis ad *partis mathematicæ*, idest effectricis, quam *logicæ*, seu contemplatricis emendationem, quod præcipit gravissime *Verulamius* (1). Atque hoc est, quod ego in præ-

(a) *Tusc.* III. 7.

(1) Præclare Cicero de Finib. IV. 19. *Equidem*, inquit, *in omnibus istis conclusionibus hoc putarem philosophia nobisque dignum, & maxime quum summum bonum quæreremus, vitam nostram, consilia, voluntates, non verba corrigi*. Agebat autem de vocabulorum controversia, quæ magna animorum contentione inter Peripateticos, ac Stoicos disceptabatur, *malum ne sit dicendus dolor, an non quidem ma-*

præſentibus literarum ſtudioſis deſidero. Nam video eos magis ad intellectus, aut memoriæ potius culturam, quam ad voluntatis & naturæ moralis curas ſuas intendere, id, quod maximum argumentum eſt corruptorum pulice morum. De Græcis ſui temporis dicere ſolebat Anacharſis Scytha, eos philoſophiam oſtentationis ergo colere, non ſecus atque qui totum pecuniæ uſum in numeratione tantum ponat. Eamdem ob cauſam Lucianus lepidiſſime veteres omnes philoſophos tam ſæpe depexit. Vereor, ne idipſum de ætate noſtra dici ac fieri poſſit.

§. 37. Poſtremum ſignum, quo quis ſe grandem feciſſe in virtute gradum cognoſcere poteſt, hoc habeo, ſi nempe ſe ita animo pacato ſentiat, tamque ſit divinæ providentiæ ſecurus, ut virtute contentus, nec anxius nimiumque ſollicitus quærat, quid cras ſit futurum, nec venturi temporis, aut fortunæ cura admodum turbetur. Ac vero nihil cum virtutis exercitio ac in Deum confidentia magis pugnat, quam ita futuri temporis exitu excruciari, ut præſentis officia, vitamque deſeramus. Quin id infeliciſſimum eſt, & nec neceſſarium, nec utile. Quod veteres Græci intellexere, qui idcirco Prometheum Caucaſo confixum, ac vulturibus dilaniatum finxere. Eſt enim προμηθευς quaſi προμηθης, *proviſor anxius:* προμηθιομαι, *ſollicite providere:* προμηθεια, *anxia providentia*, *gravis cura*, idem atque μηδος (1). Tu igitur, ſi ſapis, quid cras ſit futurum fuge quærere. Virtutem colis? cetera tranquillus eſto.

DIS-

malum, *ſed toleratu aſperum*. Sed eadem ego dicta vellem de philologorum, philoſophorum, theologorumque ſubtilibus quibuſdam quæſtionibus, quorum veritas nec ſciri poteſt, nec, ſi ſciatur, meliorem vitam humanam efficere poteſt.

(1) Vide Auctorem operis *Enquiry into the life and writings of Homer pag.* 124.

DISSERTATIO
DE ANIMA BRUTORUM.

§. I. Brutorum animam, quidquid illa sit, inter *principia universi activa* referendam esse, non est quod dubitemus: esse enim oportet activum aliquod & perciens, natura irrequietum, quodcumque actiones brutorum edit. Jam universi *principia activa*, aut, ut alii loquuntur, *substantiæ*, aut *entelechiæ* sensibus minime sunt illa subjecta: ne mentis quidem primis intuitionibus intelligi possunt: latent ergo. Eam ob rem, si quid de illis aut certum, aut vero saltem simile statuere velimus, non vagis hypothesibus niti, sed analytica via & ratione progredi debemus. Perquirendum enim est, non quid animæ brutorum esse possint, sed quid revera sint. Id vero ex earum proprietatibus, has ex operationibus brutorum accurate examinatis pernoscendum est. Nam quando *substantias* intimitus noscere non possumus, nihil nobis reliquum est, quam ut eas ex earum attributis, & hæc ex actionibus cognoscamus. Id cum mentibus humanis efficimus: id cum substantiis corporeis, aere, *igne*, lumine, ceteris. In primis vero a phantasia his in rebus cavendum sibi philosophi sciant: non enim, quod sæpe dictum est, imaginatione nec abstractione mentis rerum natura detegitur, sed experimentis, pura tamen ratione ad calculum adductis (1).

§. II. Omnium primum, ut in homine, ita in bruto quolibet, saltem perfectiore, quæ nunc potissimum specta-

(1) Hæc autem cum scribo, nolim tamen sibi lector persuadeat, me ignorare quam sit id non solum molestum, sed difficile. Bellandum perpetuo est. Quisque secum continenter experitur, quod Anglus magni nominis philosophus scribit. *Tkis* (phantasia nempe & ratio) *is a business which can never stadn still. I must be winner or loser at the game. Either work I upon my fancies, or they on me. If I give quarter, they won't. There can be no truce, no suspension of armt between us. The one, or the other must be superior, and have the comand. For if the fancies are left to themselves, the goverment must of course be theirs. And then, what difference between such a state ande madness?* Shaftsbury Advice to an Author sect. 2. pag. 253. editionis 1757.

ſpectamus, trium generum operationes obſervamus, *neceſſarias*, *ſpontaneas*, *medias*. Neceſſariæ motiones ſunt ſanguinis circulatio, cordis palpitationes, pulmonum ventilationes, arteriarum ictus, item perſpirationes, accretiones, aut diminutiones partium, ſimileſque. Has neceſſarias voco, quod unice legibus naturæ mechanicis fiunt, quodque in eas nullum eſt animæ, quidquid ea ſit, imperium. Id de nobis audacter dicimus idcirco, quod interno experimento convincamur. De brutis ex analogia machinæ conjicimus, ſed confidenter tamen & certe: experimentis quoque probamus. Secetur enim bruto vena, niſi aliis remediis ſanguinis cohibeatur fluxus, animantis voluntate (liceat hoc uti vocabulo, quando propria non ſuppetunt (1)) ut ceſſet ſperandum non eſt. Præterea & febres, & alios morbos vel invita ferunt bruta: at fiunt morbi perturbatis neceſſariis corporis motionibus, & machinæ harmonia. Sed argumenta congero in re non dubia.

§. III. Motiones ſpontaneas appello quæ ex animæ nutu pendent, ſeu quas anima ipſa vi & imperio ſuo excitat, quæque tamdiu ſunt perennes, quamdiu perennis eſt animæ nutus ille, ceſſant vero ſtatim ac is nutus ceſſat. Hujuſmodi ſunt in homine artuum variæ motiones, oculorum, capitiſque geſticulationes, linguæ agitationes. Actiones iſtas (niſi cum ex habitu fiunt, inclinatis in eam partem ex earum replicatione corporis machinulis) ſemper perceptiones præcedunt. Ejus rei in homine argumentum habeo intimam conſcientiam, earum rerum, quæ in ipſo fiunt homine, graviſſimum teſtem. Inde fit, ut plerumque manum, aut linguam, aut totum corporis motum quaſi inſcii ſiſti animadvertamus, ſi paullo a priori propoſito, nobis quaſi inconſultis animus abſceſſerit: at poſtquam eum citavimus, ut adeſt, priores interruptoſque motus reſumimus. Qua ex re apparet manifeſto, motus hujuſmodi ſpontaneos a momentaneis perceptionibus pendere: continuatos a continuatis perceptionibus. Nempe momentanea perceptio momentaneam cit voluntatem; hæc momentaneum motum: continuata perceptio objecti ejuſdem, ſaltem confuſa & generalis, continuatam voluntatem, hæc continuatum in idem objectum motum

(1) S. Thomas in *prima ſecun* ium brutis tribuit.

tum. Qua perceptione interrupta & voluntas interrumpitur, & motus.

§. IV. Ceterum an hujusmodi insint in brutis motiones spontaneæ valde video inter philosophos controverti. Id saltem pernegarunt Carresiani, qui bruta ab horologiis hoc solo distare opinati sunt, quod hæc metallo concinnatæ, illa ossibus, visceribus, sanguine conflatæ machinæ sint. At tam est evidens bruta spontaneis motionibus sese agitare, ut quotiescumque ad id argumentis probandum animum intendo, mihi ipse desipere videar. Sed faciamus id paucis adversus refractarios, si qui hodie ulli sint, Cartesianos. Qui motus naturales sunt, nec spontanei, certis naturæ, & immutabilibus regulis fiunt: id enim demonstratur ex continuis experimentis. Harum regularum præcipua est, *corpus in motu positum perseverare eadem velocitate, atque in eadem directione, nisi ab externa aliqua caussa aut cohibeatur, aut alias in partes determinetur*. De qua motus regula, quæ omnium philosophorum consensione probata est, vide quæ recentes philosophi scripsere (*a*). Jam si bruta spontaneas motiones non habent, hæc regula quod ad utramque attinet partem omnino est falsa.

1. Bruta quotidie e somno surgunt, postquam nempe veluti mortua humi strata jacuerint. Nisi autem admittas vim iis insitam, qua surgant, cogeris fateri ingentem elephanti machinam a quiete ad motum suapte natura excitari. Dicere autem id provenire ex motione ab objectis externis in bruti machina factis, id est ineptire. Nam experimento discimus easdem fieri plerumque motiones, immobilibus interim brutis. Ostende jacenti cani corpus pani simile, surget, accedet, oculisque, naribus, aut etiam gustu imposturam deteget: itaque recumbet iterum. Tu ei recumbenti iterum ostende, fortassis & secunda hac vice surget. At detecta fraude, si centies ostendes, ne aures quidem quatiet: oculos etiam avertet: dormitabit postremo. Quid? eædem externæ motiones: eadem canis machina: cur non idem in cane motus? Ex iisdem enim caussis naturalibus & necessariis iidem profluere debent effectus. Sæpe cum fele, quam domi habeo, ludere soleo. Sunt feles oris tactu delicatissimæ: itaque cibos vel medio-

(a) *New. Gravef. Mussch. &c.*


mediocriter calidos declinant. Huic igitur feli frustulum assi piscis, cujus sunt illæ gulosissimæ, sed pene urens, ostendo: ea accedit, ori admovet: murmurans saltitansque domum circumcursat. Voco parum post, efficio idem; illa eadem. Ergo recta in coquinam. Ego vehementius illam, blandidiusque revoco: ea graviter seroque ad conclavis ostium se confert: ostendo piscem; lente intuetur; moratur parumper: hinc oculos avertit, caputque: in coquinam redit. Quid? effluvia prædicabis? Canes expertus sum plures, qui si quando heros suos manus cum aliquo seu hostiliter, seu per lusum conserere conspicarent, statim inimico, ut putabatur, adsilirent, heros defensuri. Effluvia ne excitabant?

2. Ad hæc; pleraque brutorum in impetu ipso motus velocissimi repente consistunt, si aut viderint aliquid, aut audiverint, aut olfecerint. Aves, quales grues, anseres, palumbes, aliæque turmatim volitantes, aut sibilo audito, aut hominis voce, aut venatore conspecto, velocissimum volatum alio divertunt, etiam per oppositam motus directionem. Canes, equi, damæ, lepores, aliaque animalia pernicissima vel objectu aquæ, vel rupis, vel profundioris scrobis, vel hominis alicujus, aut alterius animalis infesti aut statim consistunt, aut motus directionem repente commutant. Si nunc spontaneos brutis denegas motus, fatearis necesse est, extitisse tantam extra bruta illa vim, quæ eorum velocissimos, concitatosque motus vinceret; non enim motus extinguitur, aut motus directio mutatur, nisi objecta potentiore aliqua caussa, ut statutum est. Quis autem dixerit sibilum, vocem, effluvia scrobis, rupis, fluminis, &c. tam valere, ut brutorum illa phænomena producere possint? Cur cum vertunt motum sæpe velocius fugiunt, quam ante hujusmodi occursus ibant? Nam est lex mechanica, *celeritates post conflictum in corporibus non elasticis esse, ut est massa incurrens ad aggregatum ex utraque massa*. Quæ ratio evidentiam habet geometricam.

3. Præterea omnes anologiæ leges demonstrant bruta spontaneis his motibus esse prædita. Nullus est enim in homine motus spontaneus, qui in animantibus locum non habeat. Eædem capitis commotiones: eædem oculorum conversiones: pedum elevationes, tensiones, contractiones: & hæ quidem ob easdem caussas eædem in homine

& bru-

& bruto. Quod ostendit motiones istas in homine æque & brutis esse spontaneas: similium enim effectuum similes esse caussas necesse est. Qui caussas motrices horologii A detexerit, is omnium similium horologiorum detexerit. Nec alia ratione nos de mutorum hominum motibus judicamus. Non dubitamus eos asserere spontaneos, quod & similes sint nostris, & similibus membris in simili machina, atque ex similibus caussis facti. Quid vetat idem ratiocinium in brutis locum habere? Ratum igitur indubiumque sit, bruta motibus spontaneis sese agere. Quod adeo verum putavit acutissimus nescio quis philosophus, ut non dubitaverit (id quod paradoxum est) libertatem quoque quamdam in brutis agnoscere, eamque rem, in specie saltem, similibus vero argumentis probare. Sit A bivii caput, duo Lepores ex A communi nido ad canis latratum exsurgant:



pergat alter per A B, alter per A C, canis feratur ab X versus A: is quum est in A subsistit parumper, deinde duarum alteram eligit directionem (1). Quo experimento

(1) Octo ante annis, vivo optimo adhuc & familiarissimo amicorum Bartholomæo Interio, quum in iis collibus rusticaremur, qui Stabiis, Surrento, Amalphi incumbunt, magna sodalium manus, sæpe huc illuc, asinis vecti per eos montes discurrebamus. Accidit die Octobris 24. ut quum ab iis collibus rediremus, qui Pasitano imminent, asinus, quo ferebar, ad gradum siliceum paullo altiorem constiterit. Ego quid ageret tacitus immotusque spectabam. Is ad sinistrum primum angulum accessit, quem paullum contemplatus, ad dextrum se vertit: eo prono capite explorato, nihil dum dubitans iterum sinistrum petiit, eaque descendit. Ego hujusmodi re non mediocriter excitatus, cohibito cursu, descendi, atque utrumque gradus angulum admensus, dextrum quatuor pollices altiorem reperii. Rem narro

rimento confirmantur saltem motus brutorum spontanei: libertatem enim iis nego: ea enim sine rationis consultatione esse nequit: neque vero ratio in brutis est ulla. Quod si subsistit canis æquali id fit sensatione: quum vero eligere videtur, fortior efficit irritatio.

5. Scio his argumentis ita respondere Cartesianos, ut eos motus Deus producat in machinis animantium prout objectorum occasio tulerit. At nihil fingi potest ineptius. 1. unde id constitit Cartesianis (2)? ratione ne id assequuti sunt, an revelatione? Si prima, certa ejus rei proferant argumenta; quod nec fecere hucusque, nec scio, utrum efficient umquam. Nam non altera: quippe omnis revelatio, uti commodius ostendam, brutorum spontaneitati & cognitioni favet. 2. si Deus hos motus efficit ad objectorum occasiones, hanc sibi legem, secundum Cartesianos statuit, ut iisdem semper exsistentibus occasionibus eosdem motus producat. At ea lex falsa est in exemplis productis num. 1. Cur enim non semper movet canem, si semper lignum, quod panem imitetur, ostendo? Occasio eadem: motus non iidem. Non censet, inquit aliquis, id conservationi bruti conducere: scit enim panem non esse. At si verum est, ne primum quidem quum ostenderem movere debebat: sciebat enim lignum esse, non panem. 3. ferantur velocissimo motu ingente turma palumbes: paganus homo baculo armatus colli adsidens aspiciat directe adversus se venientes: clamet incondito clamore: palumbes statim motus commutant directionem, seu potius Deus, ut Cartesianis placet, novam motus directionem in columborum machinis producit. Quid ita quæro? Deus enim si αμισως omnes mundanos motus producit, eos non alia ratio-

---

narro miram fortassis: sed haud ego negaverim, me hujusmodi facto valde commotum fuisse, ut nesciam qui fiat, ut asinos inter stupidiora bruta referre audeamus, adeo ut subirascar τω *asinus ad lyram*.

(2) Nescio ego cur philosophi isti vim *causarum secundarum* extinguere voluerint, Deum *immediatam* rerum omnium causam statuentes. Nam id & cum Renati systemate pugnat, qui in *Principiis philosophiæ*, quo rerum universitas procrearetur hoc tantum a Deo poposcit, ut materiæ motum tribueret: cetera ipsa per se se constitisse putat: & nescio, quod alias dixi, qua re hoc systema a Stratonico seu spinozistico differat. Postremo id (sciant Metaphysici) *μηδεις επιτρεπει λογος*, *nulla ratio permittit*, inquit Eusebius lib. 1. hist. eccl. cap. 1. *ειμη φανχι θεμις* quando fas non est id efficere *τον πρωτον των ὁλων αιτιον* supremam rerum causam.

ratione producere decet, quam ut universi ordo & pulchritudo servetur, atque ne ejus partes intereant, dissolvaturque ordo. Nunc nova hæc in columbis motio columborum conservationi necessaria non est: neque enim paganus altissime volantibus columbis nocere potest: id Deus probe intelligit: nulla ergo ratio illum movere potest, qua id velle efficere percipiamus. Deficiet me dies si Malebranchiani systematis absurda omnia colligere velim. Ad fontem digitum indigitasse sit satis. Sed illud præterire non debeo, hoc systema totam Scripturarum sacrarum œconomiam evertere. Cur enim vult Deus homines ab ursis, leonibus, pantheris, piscibus devorari, nec pravos tantum, sed bonos, eosque quos docet, quomodo ab *iis* sibi cavere debent? expediant hoc Malebranchiani.

§. V. Bruta actionibus spontaneis donata esse superiori articulo confecimus. Nunc affectibus quoque ea subagitari, quæ *mediæ actiones* sunt a nobis vocatæ, demonstrandum est. Rem ad pauca referemus capita: ostendemus enim bruta *iræ*, & *metui* esse obnoxia, quod ad rem nostram satis superque erit. Porro id ex iisdem inferemus principiis, ex quibus superiora. Nempe 1. *ex iisdem caussis eosdem effectus nasci, ex similibus similes:* & 2. *ex iisdem effectis easdem caussas, ex similibus similes argui*. Quæ principia qui adspernatur, is omnem rerum ordinem, omnesque scientias physicas evertit. Quæ iram, metumve in homine antecedunt, aut consequuntur, eadem cernuntur in brutis. Exordiamur a posterioribus. Iræ hæc in homine signa. Excandescunt vultus, oculique; contrahuntur pili, gestiunt artus. Secundum hæc, violenti motus, adversus pericula impetus; in id quod cœpere, pertinaces: necessitudinum immemores. Eadem in brutis. Videre est in cane irato rubescere oculos, corripi undique pilos: tardi initio gravesque motus; oculorum capitisque agitationes: mox ferus impetus; nullus periculi metus: ne familiarium quidem dispectus. Idem in tauris, in leonibus, aliisque brutis armis a natura ornatis. In metu stupor, tremor artuum, cordis palpitationes vehementiores, trepida fuga, atque velocissima. Idem in gallinis, leporibus, damis observatur. Ex his conficitur motiones corporis in ira, aut metu, easdem, aut similes in brutis, quæ in hominibus: adeoque affectibus hisce æque illa, atque illos agitari. Respondebis machinæ id fieri articulatione,

tione, impresso ab externis objectis motu. Quot, quantaque ut hoc tuearis, absurda pronuncianda? Videre est vulpes, leporesque a canibus excitos, consistere quandoque, arrectisque auribus canum clamores, hinc cursum explorare: mox iterum pernicissime hac illac fugere: adversus periculum stratagemata etiam adhibere: circumspicere quaquaversum: tum se opportune abscondere, atque hinc, quasi non satis tectos, proripere: quae omnia eidem clamori canum, aerisque motioni tribuere, solemne est insanire.

§. VI. Sed & iisdem ex caussis quum illa, tum homines in affectus hujusmodi concitantur. Opinio injuriae hominem adigit ad iram: idem in brutis. Simiae non ex malo tantum illato corpori, sed ex gesticulationibus quibusdam, sonisque inconditis, & injuriosis irascuntur. Manent quinimmo in simiis & canibus injuriae alta mente repostae. Perpetuis discimus experimentis canes etiam in ira atque odio adversus eos, a quibus sunt semel laesi, pertinaces, nisi beneficiis injuriam compensaverint. Nulli certe bruto memoria tenacior, quod Homerus ipse Ulyssis cane demonstrat, qui

. . . . ως ενοησει Οδυσσεα αγγυς εοντα
Ουρη μεν ρ' όγ' εσηνε, και κατα ααββαλεν αμφω.
. . . . *ut agnovit Ulyssem prope esse*
Caudam quidem is adulabatur, & aures motabat ambas:

viginti scilicet post annos. Praeterea ipsa stupidiora animantia, quales aves, ex filiorum raptu immaniter irascuntur; si pullum rapueris gallinae matri, iracunda insilit. Ut ne quid dicam de corvis, graculis, vulturibus, quorum iram, quod aliquando corripuerim nidulos, ab experto, nec sine periculo, didici: ne quid dicam de tigribus, de quibus scriptores historiae animalium majora narrant. Metus homini ex periculi opinione: idem in brutis, ut agnoscere possimus affectus istos in brutis & in homine esse eosdem. At illud observatu dignum etiam est, ea praecipue bruta ad iram concitari, quae aut armis, aut veneno sunt armata: veluti serpentes, calabrones, scorpiones qui veneno: canes qui dentibus, tauros qui cornibus, equos qui ungulis, leones, tigresque quae dentibus, unguibusque, vultures qui rostro, & unguibus. At quae inermia natura genuit, adversus pericula non ad iram, ut superiora, sed in timorem agi, ut vulpes, lepores, ranae, pisces quos-

dam. Quod sapientissima Dei providentia factum est: nam illa ira se conservant: hæc metu: hinc hæc idcirco pernicissima: illa robustiora: nisi enim ita comparata essent, vix possent se adversus pericula defendere.

§. VII. Dubitandum ergo non est, quin bruta affectibus sint obnoxia. At probandum deinceps est voluptate quoque & dolore perfundi: quamquam tam id apertum est, quam affectibus commoveri, ut mirum sit tam fuisse Cartesianos confidentes, ut hanc brutorum stupiditatem voluerint universo orbi persuadere. Id autem primum ex superiore doctrina demonstratur: etenim si bruta affectibus agitantur (§. VI.); affectus autem esse nequeant sine voluptate & dolore, quemadmodum est per se notum; sequitur bruta voluptate & dolore perfundi. At alterum, idque evidentissimum argumentum suppeditant brutorum phænomena cum iis maxime, quæ in homine voluptate aut dolore occupato contingunt, comparata. Quum vero duorum potissimum sensuum voluptates & dolores magis sint gestientes, *gustus*, & *tactus*, has paullo distinctius perpendemus. Alio in loco demonstravi voluptatem in homine positam esse aut in æquabili irritatione ac motione fluidorum, nervulorumque, qua corporis harmonia continetur; quæ voluptas æquabilis est: aut in restitutione hujus harmoniæ ruptæ jam, atque turbatæ violenta irritatione, & gestientem appello: dolorem vero in perturbatione hujusmodi harmoniæ, seu externa corporis irritatione id fiat, seu interna ab animo. Prout autem major aut minor fuerit hujusmodi dolor, vehementius, aut lentius ad earum rerum usum ferimur, quibus is demitur. Dolor famis, aut sitis ex vacuitate nascitur, unde ventriculi exsistit irritatio: hæc prout major fuerit aut minor, ita nos magis aut minus ad cibum, potionemve impellit. Ex ipso gestu comestionis, aut potationis dignoscere facile possis, qua fame, qua siti quis agitetur; & propterea parva ne, an magna voluptate edens, bibensve perfruatur, quod hæc respondeat, seu, ut cum geometris loquar, sit *proportionalis quantitati doloris ex fame vel siti nati*. Eodem modo dolor libidinis ex repletione nimia vasorum seminalium, eorumque quæ illis adjacent, tum vero & totius ferme corporis irritatione originem ducit; hæc irritatio prout major fuerit aut minor, majori aut minori impetu hominem ad venerem adigit. Veneris porro hujusmodi voluptas proportionalis

nalis & ipsa est doloris quantitati, eximiturque dolor evacuatione eamdemque generatur voluptas. Ad hæc, dolores ex tumoribus nati proportionales sunt gradibus perturbationis harmoniæ: unde fit ut voluptas nata ex tumorum hujusmodi evacuatione respondeat gradibus evacuationis. Signa autem in homine quum alia, tum potissimum anceps quæ in dolore, exserta & libera quæ in voluptate, respiratio. Illic tremores, vultus consternatio atque abjectio, gemitus, lacrymulæ: hic exsultatio, hilaritas, elatus vultus, lætæ interjectiones, gesticulationes. Nunc autem bruta omnibus, quæ in homine dolore, aut voluptate affecto cernuntur, signis dolorem voluptatemve suam ostendunt. 1. Spontaneis motibus ad cibum, potionemve feruntur, & majori, aut minori impetu, prout fames, aut sitis diuturnior fuerit & vehementior; exsaturata autem, expletaque lenta eadem & inepta, & somnolenta, ut homines. Eadem in Venere aut adeunda, aut inchoata, aut expleta, in homine atque bruto signa. Eædem corporis contorsiones, gesticulationes, gemitus, clamores in vehementissimis corporis doloribus quum in homine tum in bruto: eadem machinæ totius abjectio. Quod si ex iisdem effectibus easdem caussas physicus recte dignoscere sibi videatur, omniaque in bruto atque in homine, quod ad tactus, & gustus voluptates, doloresque, eadem; jam aut negemus hominis dolores atque voluptates, aut etiam brutis concedamus. Est autem talis hujusmodi argumentatio, ut, si Cartesianos paucos excipias, vel ab hominum memoria inventus sit nemo, qui brutis voluptates gestientes negaverit. Quid quod voluptates ipsæ paullo æquabiliores videntur in brutis esse? nam & gestiunt canes ad amicorum adventum, & blande adulantur: & in suaviationes ruunt veteli notique columbi: & ludunt catuli, feles, & alia. Quid? erat mihi canis tam musicæ amans, ut testudinem, qua per adolescentiam plurimum utebar, quum pulsarem, dormitabundus magna velut perfusus voluptate genibus mihi adgestiret, nec poterat minis removeri, sed confugiendum erat ad baculum. Ceterum sunt voluptas & dolor adeo ad vitam animalem necessaria, ut illa servari non possit, nisi his agatur stimulis. Voluptate & dolore 1. rapiuntur animantia ad Venerem, qua genera conservantur: eam si demas unum intra seculum vacua viventibus futura sit tellus, 2. ad victum, quem certe nec homo,

nec brutum sequetur, nisi dolore famis, aut sitis adactus, 3. ad ea paranda, quæ vitæ sunt necessaria, 4. ad ea cavendum, quæ sunt vitæ infesta. Ut agnoscere possis sapientissime cum animantium natura Deum se gessisse. At mihi opponent theologi, *sub Deo justo nihil miserum quin mereatur*. Quid igitur tantum merita sunt bruta, ut doloribus obnoxia fierent? nam de homine, inquiunt, scimus eum peccato suo se miseriæ mancipasse. Quibus duobus potissimum modis respondeo 1. brutorum dolores voluptatibus pensari: hæc est universi lex: universo autem serviunt omnia. Atque hæc est Dei infinita sapientia, ut nihil sit in tanta rerum machinatione, quod cum toto suo non congruat, 2. philosophi non interesse investigare occultos sapientiæ & providentiæ divinæ fines: id enim is pensi habet, ut phænomena ex proximis suis caussis explicet, non ut primas etiam investiget. Bruta affici voluptate vel dolore experimenta apertum faciunt. Quid ita autem sint facta, Deo constet auctori suo. Eo enim philosophia non pertingit. Quid? Explicant ne theologi facilius, cur Deus hominem, quem sciebat inconstantem, peccato & miseriæ facile obnoxium fecerit? Nam Augustinus, quo nemo acutius his in rebus vidit, ad Dei *imperscrutabilia* retulit *arcana*. Præstat igitur hæc ignorare, quam aut contentiose edisserere aut ex privatis nostris mancisque rationibus atque utilitatibus admetiri. Sed reponunt, si ita id est, non licere bruta lædere, & dolore afficere, esseque adeo juris inter homines & bruta communionem. Fateor me interdum non leviter hac difficultate permoveri, ut sæpe, hominum præsertim voracitatem ac ferociam spectans, ignoscam Porphyri libro περι αποχης. Sed quum reputo fontem juris esse divinam voluntatem, custodem vero rationem & legem, negatamque brutis rationem & legem, inde repeto, quæ huic argumento reponam. Enimvero quæ dicitur *communio juris* unitate rationis & legis continetur; a qua idcirco communione necesse est animantia distare, quæ nec communi cum homine ratione, nec lege tenentur. Cui hæc responsio non satisfacit, is animadvertat, non semper consequentiis redargui theoremata demonstrata, sed tum demum, quum principia demonstrationum convelluntur. Itaque scholæ Dialectici αντιστροφας, seu *argumentorum retorsiones* minime satisfacere censuerunt, nisi etiam *in forma*, ut ajunt, responderetur.

§. VIII.

§. VIII. Longe admodum, quod felix, faustum, fortunatumque sit, disserratio nostra est progressa: est enim demonstratum 1. bruta spontaneis motibus se movere: 2. adfectibus agitari. 3. voluptate & dolore perfundi. Sed objecta vitæ suæ aut utilia, aut noxia sentire, atque discernere nunc demonstrandum est. Id autem primo ex eo conficitur, quod bruta spontaneis motibus sese agitent; nec esse possint motus spontanei sine ulla co-

(1) Invaluit jam olim Dialecticorum genus, qui *consequentiis* adversarios suos adoriuntur. Recte, necne, id fiat, diu disputatum est. Wolfius hujusmodi homines quasi per derisionem barbaro vocabulo *consequentiariistas* vocat, eosque flocci facit. Sed quum Geometræ iisdem sæpe argumentis theses suas demonstrent, atque sint proculdubio *demonstrationes indirectæ per absurdum* & veræ & ineluctabiles, placet hic argumentum istoc alioquin logicum paucis enucleare.

1. Principio ajo consequentiam tum tantum dici posse absurdam, quum aut primam aliquam veritatem invertit, aut theorema recte ex primis veritatibus deductum. Ais *quinque plura esse quam septem;* ergo totum minus est sua parte. Manifestum absurdum, primam enim communis hominum rationis veritatem tollit. Quadratum perpendicularis circuli diametro imminentis Rectangulo ex partibus diametri esse æquale negas: com perieris negare & quadratum subtensæ angulo recto in trigonis rectangulis æquale esse summæ quadratorum laterum, & omnia theoremata, quibus illa nititur; ac postremo axiomata, quibus tota concatenatio geometrica continetur. Absurde ergo, inepte, stulte negas. Vera ergo absurda sunt aut quæ aperte cum sententiis per se manifestis pugnant, aut quæ aperte pugnant cum demonstratis theorematibus.

2. Quæ non aperte pugnant, non manifeste sunt absurda, sed dubia & incerta.

3. Quæ nec manifeste, nec non manifeste cum iis certitudinis regulis pugnant, utcumque pugnare videantur cum receptis vulgo opinionibus, vera & philosophica absurda vocari non merentur, sed popularia tantum. Itaque si quis quasi ex ratione dicat absurdum est terram circa axem suum moveri, quia id cum populari sensu pugnat; nisi demonstret id pugnare quoque aut cum prima aliqua veritate, aut cum theorematibus ex prima veritate demonstratis, ne nauci quidem faciendus est.

4. Sæpe quæ dicuntur absurda sunt tam vera consequentia, quam veritates ex quibus deducuntur. Dico parabolam perpetuo accedere ad asyntoton, quin tamen cum illa jungi possit. Clamas absurdum. Cur ita? inquam. Quia, reponis, finitum spatium esset in infinitum divisibile. Atque hoc tantum abest, ut sit absurdum, ut tam sit manifeste verum, quam theorema, unde derivatur.

5. Postremo absurda sæpe non ex adversariorum positionibus nascuntur, sed ex aliis doctrinis, quas disputantes positionibus illis adnectunt, quo illas oppugnare possint. Hæc non positionum absurda, sed arguentium dici debent. Atque hæc dicitur in scholis *ignoratio elenchi*; quæ nullo modo thesim evertere potest.

gnitione. Quocirca aut negandum est primum illud, evidentissimisque argumentis, experimentisque adversandum, aut hoc concedendum. Idipsum vero ex brutorum sensibus comprobatur. Corporearum rerum perceptiones solis fiunt sensibus: iis enim corporum extensionem, colores, figuras, sonos, aliasque, quæ sensiferæ dicuntur, qualitates cognoscimus. Idcirco organa sensuum ita sunt in nobis accommodata, ut facile, nullaque perturbatione harum rerum imagines in cerebro nostro depingi possint. Oculi ex. gr. ita constructi sunt ut varie refractis luminis radiis in retina colorata objecta exhibere possint: aures ita temperatæ, ut sonos referant: sic porro. Dicere autem cum Lucretio, sensus non ad hos usus factos fuisse, sed iis casu factis, usum & casu ipsum esse natum, primum solemnis est insania: talis est enim sensuum fabrica, ut nullam ob aliam caussam esse factos pateat, quam ut duces sint, quibus vitam transigere possimus. Deinde, ut id sit, nihil ad quæstionem nostram refert, percipiamus sensibus objecta, quia in id nobis sensus dati sunt: an quia ita structis, aptum commodumque repererimus iis uti. Porro quæ in homine eadem est in brutis, saltem perfectioribus, sensuum structura & machinatio, nisi quod illud etiam accedat, esse brutorum sensus totius machinæ structuræ, & situi diligentissime accommodatos, eaque adjecta, quæ illis necessaria, homini superflua: demta vero quæ superflua illis, homini necessaria. Dicere ergo brutorum sensus non esse factos ob eosdem fines, ut scilicet externa vitæ utilia aut noxia perciperent, aut saltem iisdem organis non similiter uti, maximum mihi videtur absurdum; quia omnes analogiæ leges violat.

§. IX. Sed ista sunt accuratius examinanda. Oculorum structura pene eadem in brutis atque in homine. Sclerotides, humores, retina, musculi, optici nervuli: tum externa munimenta, palpebræ, sinus, &c. Scimus harum partium hos esse in homine fines: palpebræ munimen sunt, ne ullius externæ rei vi lædantur oculi, non necessarium corpori membrum: musculi dati ad oculum aut convertendum, aut constringendum, vel dilatandum, ne major, aut minor, quam oporteat, lumen subintret oculum. Sclerotides instar lentis est, qua radii refrangantur, atque convergant, ne si dissipati progrediantur nullius rei imaginem depingant. Eumdem in finem humores, qui anterius quidem

dem convexi, interius paullo complanati sunt. Uno verbo nihil in hominis oculo est, quod fini suo non sit aptatum: nec alius est is oculorum finis præterquam *visio*. Quum autem eædem sint in bruti oculo partes, dicere non eumdem esse finem, est abuti patientia eorum, qui serio philosophantur. Vident ergo bruta: quod si vident & audiunt, & olfaciunt, & gustant. Id autem, nisi cognoscant, qui habere possunt? Cognoscunt ergo bruta.

§. X. Sed idipsum confirmant experimenta. Bruta objecta distinguunt: internoscunt inter utilia & noxia, amica & infesta. Ex voce, sibilo, strepitu, odore objecta discernunt: ab incessu quandoque judicant, in eoque homine ipso sunt sagaciora. Canes, equi, elephanti voces internoscunt: iis auditis, de objectis, quæ nondum videre, præjudicant: ea esse amica, aut inimica præsciunt. Nam si amica fuerint toti se comparant, ut blande amiceque excipiant: contra vero si inimica præsagiunt, exasperantur, seque ad prælium veluti accingunt in aciem, si res ferat, prodituri. Præterea canes, quod negatum homini, odore ipso de objectis judicant. Iidem ad incertos rumores assurgunt, adstant incerti, quousque amici ne adveniant, an inimici intelligant: tum post certiores conjecturas aut insiliunt furentes, aut blandientes occurrunt. Deficeret me dies, si canum tantum experimenta enarrare aggrederer. Unum vel alterum addam. Quum essem quinquennis, atque S. Magni (a) parvo in oppidulo apud aviam lectissimam fœminam Annam de Medicis degerem, verno tempore, ridente mane, ludibundus ab aviæ oculis patriam versus, mille circiter passibus, sed arduis & alpestribus locis, distantem me deporto: comes adest & canis, quo cum plurimum & familiariter jocari consueveram. Advenio ad rivulum, qui utriusque pagi fines disterminat. Is vernis aquis paullulum excreverat. Ergo verti me in opacissimam, quæ adstabat, silvam, proceris castaneis, quercubus, aliisque arboribus consitam. Ita autem in ea me implico, ut cum volo, exeundi nullas, quantum circumspicere possum, vias invenio. Adsideo mœrens primum, mox la-

---

(a) *Distat a Salerno* 5. *mille passus ad æstivum orientem*.

crymans, hinc ejulans: adblanditur canis, &, quasi me provocans, sæpe ingreditur viam, iterum redit, nec, nisi ut manu me comprehenderet, deerat. Flebili me excitat voce lacrymantique collacrymatur. Eum, qui quid vellem videbat, non intelligo. Ad vesperum usque in eo me situ macero. Tum cadere *altis de montibus umbras* cum adspicio, silvasque obtenebrascere pavidus rigidis capillis adsurgo: canis totum me ruspatur, prehensatque. Eum tandem sector ducem, qui domum refert incolumem. Gratus me ei vitam debere agnosco. Quum Neapoli familiariter versarer in domo nobilissimi, atque humanissimi Josephi Leucterii catellum Isabellæ Leucteriæ honestissimæ integræque formæ adolescentulæ frustis delinivi. Is tanta mecum familiaritate est conjunctus, ut advenientem vel incessu cognosceret: circumsiliebat, vestiumque peras lepidissime lepidus catellus rimabatur. Sed idem Josephus Leucterius narrabat, quum mortuus esset frater vir sanctitate conspicuus sacerdos optimus Franciscus Leucterius, ejus canem funus consecutum plorabundum monumento adstitisse, idque vel mensem frequentasse, ut vix vi verborum ejiceretur. Memoranda certe est, & veteribus adnotata canum fidelitas. Celebratus Homero (*a*) Argus Ulyssis canis, qui, ut diximus,

ενοησεν Οδυσσεα εγγυς εοντα,

continuo advenientem Ulyssem agnovit. Tum & Tacito Canis Sabini; alii aliis. Jam quid memorem brutorum aliorum artificia? Feles dum soricibus insidiantur, aranæ dum muscis, quam πολυτροποι? Formicæ vero quam οἰκονομοι? Nam Salomon ipse hominem eis concredidit, ut eum prudentiam docerent. Simia præterea, *quam similis turpissima bestia nobis*? Pudoris quoque animal istud intelligens esse videtur (si id ita dicere licet). Simiam enim scio fœminam Salerni, quam delititiarum causa Paullus Capograssus vir literis & nobilitate æque illustris domi habebat, quam pudebat, si occulta naturæ quispiam inspexisset. Quam rem cum narrassem Matthæo de Sarno neapolitanorum literatorum Mæcenati, ipsique in litteris versatissimo, id præcipuum nobilitatis suæ insigne reputanti), adsensus est,

(a) *Odyss. P.*

eſt, remque ſimilem de maſculo ſimia, quem olim penes ſe habebat, retulit. Elephantorum, cæterorumque hiſtoria hac in re prorſus miraculoſa eſt ita, ut ne paradoxa narrare videar, ab his referendis abſtineo, quamquam ea hic ſuperioribus annis omnes oculis noſtris viderimus. Ergo bruta cognitione prædita eſſe, ſi his non demonſtratur, neſcio an evidentioribus experimentis res alia ulla in phyſicis demonſtrari poteſt.

§. XI. Conſtat jam bruta animata eſſe: ea enim & cognoſcunt (§. X.) & dolore atque voluptate perfunduntur (§. VII.) & affectibus agitantur (§. VI.) & motibus ſpontaneis ſeſe perciunt (§. II. III. & ſeq.). Sed illud non æque conſtat, qualis ſit hæc brutorum anima, ſeu hoc activum eorum operationum, ut vidimus, principium. Id eſſe aliquod ſuperiora demonſtrant: quale nunc ſit ex iiſdem operationibus perquirendum: non enim vagas conſectamur hypotheſes. Nihil igitur brutis tribuendum, niſi quod ex eorum operationibus neceſſario deducitur.

§. XII. Animam brutorum non eſſe corpus ejus generis, qualia ſenſuum tactu cognoſcimus, iis argumentis probari poſſe nobis videtur, quæ ſi non mathematicam evidentiam, at ſummam, & qua in aliis rebus phyſicis ſumus contenti, præſeferunt probabilitatem. Omnium primum Newtoni egregiam illam in rebus phyſicis philoſophandi regulam, quam auctoritate ſua ceteri philoſophi comprobarunt, præſtituamus, *qualitates corporum quæ intendi & remitti nequeunt, quæque corporibus omnibus, in quibus experimenta inſtituere licuit, ineſſe deprehenduntur, pro qualitatibus corporum univerſorum habendas eſſe.* Ergo quæ ex una harum qualitatum neceſſario in uno corpore deduco, id ex quolibet corpore deduci compertum habeo. Ex. gr. gravitatem veluti qualitatem omnium corporum habemus: ex lapidis gravitate deduco, eum ſi omne deſit obſtaculum, in telluris atmoſphæra relictum cadere: idipſum de quocumque corpore conficio, id nempe libere relictum, ideſt nulla reſiſtentia alterius corporis oppoſita, æque cedere. Ex antitypia, quæ & ipſa ineſſe reperitur in cunctis corporibus, in quibus experimenta licuit inſtituere, deduco, duas metalli partes ſeſe compenetrare non poſſe: ergo (per præfatam legem) deducam idem de ligno, aqua, aere, aliiſque naturalibus corporibus. Ex vi inertiæ deduco, metallum ſuapte

natu-

natura non posse statum suum seu quiescendi, seu movendi mutare: ergo inferam idem de terra, de aqua; de aere, de quocumque alio corpore. At enim, inquit aliquis quum istæ corporum qualitates genericæ a voluntate Dei pendeant, an non potuit corpora efficere, quæ his destituta aliis diversis sint proprietatibus composita? Respondeo 1. id procul dubio potuisse: sed nos non id in physica quærere, quid potuerit Deus, sed quid fecerit. Quousque non constat aliud fecisse, nos ex analogia rerum legibusque universi generalibus id non fecisse judicabimus. 2. tum nos dicere, ea non esse corpora, qualia ea, de quibus physici differunt, sed res alterius generis: corpora enim vocamus eas res quibus qualitates has inesse scimus: quibus insunt contrariæ, ea sicut alterius naturæ alio appellabimus vocabulo. Ac si eodem aliis uti placet, scient se magnifice vocabulis abuti.

§. XIII. Quibus explicatis sic propositionem nostram demonstramus. Inertia & soliditas qualitates corporum sunt genericæ: ea in re consentientes habemus philosophos omnes; ergo si brutorum animæ sint corpora ejus generis, qualia sensuum tactu cognoscimus, inertes erunt & *solidæ*, sunt autem nec inertes nec solidæ: id enim patet ex eo 1. quod sint activæ, spontaneisque motibus gaudent. 2. quod percipiant. 3. quod relationes objectorum cognoscant. 4. quod vis eorum vitalia tota corpora permeet: corpora ergo hujusmodi, qualia contendimus, non sunt, sed δυναμικόν τι.

Explicemus assumtionis partes paullo accuratius. Activas esse brutorum animas ex spontaneis motibus conficitur, quod enim activum non est, sese spontaneis motibus ciere nequit. Porro quod activum est, id iners non est, ut patet: inertes ergo non sunt animæ brutorum. Præterea cognoscere bruta probatum est: ergo & rerum corporearum ideas percipiunt, & eas quodammodo conferunt. At quamquam in solida materia imagines aliarum rerum depingi possint, idque intelligatur clarissime, harum imaginum perceptiones fieri nequeunt, nisi soliditate destructa. Nam extensæ imagines in indivisibili percipiuntur & conferuntur: nullam enim fieri potest extensarum imaginum comparatio, nisi in indivisibili, ut iis patet qui paullo attentius hac de re meditantur (*a*). Quod si id fieret vi

(a) *Vide dicta prop.* X.

vi motus, motæ materiæ partes in indivisibili compenetrarentur. Ponamus percipi duas imagines, unam leporis A, alteram hominis B. Si id motione fieri asseris, certe partium A motus diversus erit a motu partium B: diversitate enim motuum ponis exhiberi diversas imagines. Pone nunc simul conferri; id faciendum tertia quadam motione, hæc motio nec debet esse A tantum, nec B tantum, alioquin unam referret imaginem. Nec esse potest ex utrisque simul una mixta, nisi partes τῦ A cum partibus τῦ B motu penetrentur. Quodcumque asseris, si hæc preceptio motione fit, soliditas materiæ evertitur. Brutorum ergo animæ, quæ cognoscunt, solidæ non sunt. Ad hæc, anima brutorum vi sua vivifica eorum corpora tota permeat, estque, ut actio motrix, penitus cum toto corpore compenetrata: quod confirmat principium hoc activum minime esse solidum; adeoque incorporeum esse.

§. XIV. Atque hoc adeo mihi est persuasum, ut putem nullam esse vim corpoream activam, quæ corpus dici possit, viresque has omnes aut incorporeas esse substantias, aut incorporearum substantiarum attributa. Nempe vires istæ activæ totam materiæ massam permeant, nihilque habent cum ceteris corporum qualitatibus commune. Præterea sine his viribus exsistere corpora posse clare intelligo. Quid enim vetat exsistere rem extensam, solidam, tangibilem hujusmodi activis viribus destitutam? ergo vires istæ activæ mundanæ (*formas substantiales* Peripatetici vocant) aut substantiæ sunt incorporeæ, aut incorporearum substantiarum attributa. Sed, inquiunt, extensæ sunt vires istæ, & materiæ *proportionatæ*? Respondeo spatium ipsum vacuum, si quidem est ullum, extensum esse, esseque extensioni corporum proportionatum. Quid igitur vetat ejusdem, aut similis esse generis substantias hujusmodi animales, & vivificas? Quidvis potius dicere paratus sum, quam aut vires istas esse corporeas, aut proprietates corporum essentiales.

§. XV. Præterea, si brutorum animæ sunt corporeæ, earum perceptiones nihil aliud erunt, quam internæ partium motiones; quum autem quodcumque est corporeum divisibile sit in infinitas partes, sequitur in qualibet perceptione fieri in anima bruti motiones innumerabilium partium. Pone fieri motionem 1000. partium, cur in-

quam, non erunt mille perceptiones? Non aliud dicere potes, nisi omnes illas 1000. partes conspirare motu suo in unam imaginem objectæ rei: id vero intelligi non potest, nisi eandem habeant motus directionem. Ponatur percipi alius rei aliam imaginem, tum aut eædem animæ bruti partes secundum aliam directionem movebuntur, immutata priore, & id omnibus mechanicæ legibus repugnat: aut mutata priore, & tum prior imago dissipabitur: aut non eædem, sed aliæ partes ejusdem animæ hanc secundam imaginem repræsentabunt; tumque bruti anima erit multiplex, idest distinctæ erunt in bruto, atque diversæ facultates percipiendi. Quod si asseras actione alterius generis a motione corporea fieri brutorum cognitiones; tum cogeris fateri actionem hanc esse & ipsam qualitatem alterius subjecti, per ea quæ superius sunt dicta.

§. XVI. Minime igitur dubitandum videtur brutorum animas esse incorporeas. Sed illud video mihi opponi, nihil repugnare, ut Deus corpori *cognitionem* & *sensum* largiatur. Eadem enim ratione, qua quælibet materiæ portio motus est capax, esse potest & sensus atque *perceptionis*. In hac sententia fuit vir doctus Joannes Lockius, qui eam ob rem cum Eduardo Stillingfleeto acerrimam habuit controversiam (a). Sed mihi quæstionem provexisse philosophi isti Angli videntur idcirco, quod non satis vocabula definiverint, in quo mirandum est Lockium præscriptas a se regulas migrasse. Quæstio enim est, an Deus possit materiæ sensum & cognitionem dare ita tamen, ut illa adhuc retineat priores materiæ qualitates, inertiam potissimum, soliditatem, gravitatem: non autem hæc, an efficere possit ut in id subjectum, quod prius erat solidum, iners, grave, evadat cogitans, amissa interim inertia, & soliditate. Quod ad secundam hanc quæstionem spectat, neque affirmare neque negare est animus: religio enim nobis est de obscuris judicare. Ad primam vero quod attinet, negamus id fieri a Deo posse. Neque enim Deus efficere potest, ut idem constet ex iis quæ se mutuo destruunt, ex. g. nequit efficere circulum quadratum: quippe altera alteram figuram destruit, estque voluntas Dei qua vult

(a) *Vide notas Acostæ ad cap. 3. lib. 4. Speciminum philosophicorum de intellectu humano, & quæ nos diximus ad prop. 1.*

vult æqualis voluntati qua non vult, ex qua idcirco fit contraria voluntate æquilibrata nulla sequitur operatio. Sit voluntas, qua vult circulum A = 4, voluntas vero qua idem vult ut sit quadratum B = 4; quum altera tantumdem demet quantum ponit altera, erit actio :: B 4: A 4 — B 4 † A 4, ideſt nulla. Quoniam ergo perceptio & inertiam, & ſoliditatem deſtruit, ea non poteſt ita convenire materiæ ut eidem inertia & ſoliditas conveniunt; quod eſt, corpora hujuſmodi, qualia ſenſuum tactu cognoſcimus, cogitationis non eſſe capacia.

§. XVII. At moleſtior eſt quorundam theologorum objectio. Quid inquiunt, fiet huic animæ, ſi incorporea eſt? ergo creata ea eſt: ergo perire nequit niſi per adnihilationem: ergo legum quoque, & boni moralis erit capax; & ſexcenta hujuſmodi, quæ non ſine faſtidio audiri poſſunt. Nam primum noſtra non intereſt ſcire, quid contingat his ſubſtantiis, poſtquam ab unione aliarum diſceſſere. Conſtet id auctori ſuo, ut perſpecte pronunciat Auguſtinus Calmetus (a). Ad rerum, ut alias dixi, extremos fines humana mens non pertingit. Ergo, inquiunt, creatæ ſunt? Quid vetat? Nihil enim ſubſtantiæ in natura eſt, quin per creationem prodiderit: nam atomi ipſæ, ſeu primæ corporum ſubſtantiæ, creatæ ſunt ex nihilo. At perſuaſum erat alias, idque videbatur probabilius, prodire eas e ſinu *materiæ*. O lepide! quaſi hoc minus ſit, materiæ facultatem dare novas creandi ſubſtantias. Nihil, addunt, Deus de novo creat: omnia ſemel ſub rerum initium creavit. At ſecundum hos creat humanas mentes. Sed eſto, quod ajunt: quid prohibet omnes eas animas, cum aliis univerſis activis ſubſtantiis & ſeminibus vitalibus ſub rerum initium creaſſe? Ergo pereunt per annihilationem. Quid ni? nam ne minima quidem materiæ pars alia via perire poteſt: nihil enim eorum quæ ſunt a Deo creata naturæ vi funditus perire poteſt. Addere vero, quod Scholaſtici faciunt, *nihilum ſui*, & *nihilum ſubjecti*, id eſt inutile: nam id quamquam recte fortaſſe dictum ſit *de modis*, & *accidentibus*, at de ſubſtantiis haud certe dici niſi imperitiſſime poteſt: hæ enim quum pereunt, totæ pereant neceſſe eſt. Sed vero mihi, ut ingenue quod ſentio dicam, hæc Peripateticorum opinio quum

(a) *Vide* Dictionaire de la S. Bible art. ame.

quum rectæ rationi repugnare, tum ad gravissima absurda ducere videtur. Primum sententia hæc Aristotelis, materiam primam unicam esse, immensam, immobilem, ex ejus vero *sinu* & potentia mundanas omnes educi formas, etiam animas hominum, quod rotunde docet Aristoteles, spinozismo mihi videtur similis: in hoc enim eodem modo omnia omnibus modis ex æternæ substantiæ sinu emanant. Quod vellem observatum Walchio, dum rationes conquirit, ut Aristotelem inter Atheos collocet. Deinde quis intelligat ex inertis materiæ sinu principia educi activa? ita posset materia suapte natura a quiete ad motum transire: bruta & homines ex tellure, ut Ægyptii docebant, nati erunt. Quis præterea intelligat ex bruta materia sensum, perceptionem, cogitationem prodire? Quod si id fieri potest, triumphabit Anaximander: is enim mentes atque deos ex atomorum conglobatione, atque motu effici sibi persuasit. Quod sane non repugnat, si ex bruta materia cognitio proficisci potest & *spontaneitas*, quas esse in brutis probatum est, iique, quibuscum nunc rem agimus, non diffitentur.

Quod pertinet ad ultimum, respondemus brutorum animas nec abstractarum rerum notiones ullas habere, nec leges sentire, tantum abest ut possint actiones ad legem conformare, quæ moralis est bonitas. Sunt enim eæ inferioris ordinis substantiæ, & a natura animarum rationalium longe distantes. Quod quis putat, id fieri non posse, næ is divinæ sapientiæ & potentiæ nimis arctos statuit cancellos. Mihi contra persuasum est, summum illum rerum opificem substantias infinitorum generum, atque infinitarum specierum creare posse, quas nullo modo nos intelligere valeamus; nihil unquam magis temerarium censui, quam ex viribus ingenii aut naturæ nostræ de divinis operibus judicare. Quid quod animas etiam humanas (defectu scilicet instrumenti, seu corporis) esse posse in hoc statu, infantium & stupidorum exemplo docemur? qui etsi quæ vitæ utilia sunt aut noxia discernant, at legis, & ratiocinii ad legem formati nondum sunt capaces. In Castilleone patria mea hominem scio, qui quum supra 60. vixerit annos, nec ratiocinii umquam, nec conscientiæ, adeoque nec legis fuit capax: nullus est infans eo stupidior. Nihil unquam relationum moralium, sed ne vitæ quidem corporeæ regendæ quidpiam discere potuit. Ludificaba-

ficabamus eum pueri, eique in os lignea ingerebamus frusta, quæ ille deglutiebat. Vectandis rebus destinabatur. In beatæ innocentiæ statu & vixit, & mortuus est. Erat ei nomen Josephus Pelusius. Rem narro quam coævi testes plurimi & sciunt, & narrant. Hic Terentianus homo exclamaret,

Dii immortales! homo homini quid præstat
Stulto intelligens . . . . . (a)

Qui homunciones ea de re pede stantes in uno sententiam pronunciabunt, & non potius divinam venerabundi adorabunt providentiam? Quam rem idcirco retuli ut confirmarem, nihil esse mirum non intelligere nos pleraque, quæ ad brutorum statum, animasque pertinent; nam infinita sunt de hominibus ipsis, quorum fines & rationes ignoramus.

§. XVIII. Scripturæ sacræ, reponunt, negant brutis intellectum: *nolite*, inquit Psaltes, *fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus*. Respondeo multo plures esse Scripturarum sacrarum locos, in quibus bruta cognoscere affirmatur, quam in quibus negetur, esseque illos magis naturales, hos emphaticos. Nam & gallo intelligentiam; & milvo cognitionem temporis, in quo nidificet, & bovi domini sui notitiam, & aliis brutis generatim cognitionem tribuunt Scriptores sacri. Ne memoratur quidem hæc Cartesianorum veteribus sententia. Sacris una profanisque scriptoribus, quantum memoria vetera repetens recordor, quidvis potius quam hoc Cartesianorum paradoxum venit in mentem. Sed negant Scripturæ brutis intellectum. Commode sunt illæ explicandæ, ne scripturas scripturis committamus. Negant nempe facultatem ideas intellectuales percipiendi, quæ proprie dicitur intellectus; negant ratiocinium, eamque quæ propria hominis est, rationem, reflexionem, perceptiones relationum rerum abstractas. Bruta moventur sensationibus ab objecto aliquo præsente factis: homines a perceptionibus etiam abstractis, genericis, & remotarum a sensu rerum. Quod inde intelligere licet, quod bruta præsentia tantum cavent pericula: homines remota quoque & futura. Canis si jacet non surgit ad remotius periculum quod prospectare nequit, sed ad præsens; rumorem audit, videt minas, cavet. At homo

(a) *Terent. in Eunuch. act. 2. scen. 2.*

homo futura quoque prospicit. Simplices præterea perceptiones corporearum rerum habent bruta: harumque simplicium idearum simplices relationes, quæ in natura ipsa constant, percipiunt. At ideas simplices varie componere, hinc regulas genericas & systemata conflare, per longas series disponere, longissimasque ratiocinationes prosequi, quod proprie est intellectus, negatum brutis. Quod inde patet, quod brutorum opera eodem semper se habent modo: nulla apud eos nova inventio: non artes, non nidulorum, casarumque novæ structuræ; nihil novi. Non igitur systemata ulla in simplicibus suis inædificant sensationibus. Ex quo conficitur cognitionem brutorum intra solarum sensationum & imaginationum ambitum contineri, nec pertingere ad *reflexiones*, *meditationes*, *perceptiones universales*, *regulas abstractas*, *ratiocinationes*, quæ sunt hominis. Præterea Dei & juris cognitionem non habent bruta: ad hæc enim a sensationibus abstracta non perveniunt: at perveniunt homines. *Unum hoc animal sentit quid sit ordo, quid sit quod deceat; in factis dictisve qui modus* (a). Adeoque *homo ut intelligentia ceteris animantibus antecellit, ita de* JURE *&* DIIS *solus aliquam cogitationem animo concipere potest* (b).

§. XIX. Sed qui bruta meras esse machinas universo orbi adroganter persuadere conantur, quærunt, corporeæ cum non sint brutorum animæ, spiritus sint illæ, necne? Respondemus brutorum animas substantias esse diversi prorsus generis atque corpora sunt, quæ sensuum tactu cognoscimus. Nam ex brutorum actionibus superius demonstratum est, brutorum esse aliquod activum principium, idque aut substantiæ cujusdam incorporeæ esse attributum, aut ipsum esse incorpoream substantiam. Hæc clare esse demonstrata ex iis principiis, quæ communia sunt philosophis, nisi toto cælo aberro, video. Nunc autem spiritus necne sint brutorum animæ illæ, non valde explicatu difficile existimo: tantum si quid *spiritus* vocabulo significetur clarius exponant Cartesiani. Nam si hoc vocabulo intelligunt, quodcumque activum est, & sese perciens, quæ prima in hebræa, græca, latinaque lingua spiritus notio est, haud dubium spiritus sunt brutorum animæ: quo modo

(a) *Cic. lib.* 1. *de off. cap.* 4.

(b) *Plato in Menexen. to.* 2. *pag.* 233. *edit. Henr. Steph.*

modo & ventus, & ignis, & vires plantarum vegetantes, & subtiles igneique humores etiam apud nostros physicos, chemicosque dicuntur. Inde *spiritus vini*, *spiritus ambræ*, *spiritus vitrioli*, ac sexcenta alia. Inde in machinis vectes quidam, elateres, chordulæ spiritus appellantur, ut spiritus horologii. Quid igitur tantæ causæ est, ut nos veluti infantes ad vocabula expavescamus? (1) Jam si eodem vocabulo, ut videtur, significant quidquid corporeum non est, ideft quidquid talem non habet naturam, qualem vulgaria corpora, nihil quoque vetat brutorum animas *spiritus* vocare. Sin intelligunt substantiam intellectu & ratiocinio donatam, negabimus animas brutorum esse spiritus: sunt enim illæ tam a corporibus, quam a mentibus humanis dissitæ. Quid clarius dici potest? ergo Cartesiani vocabula definiant, si rite disputare volunt. Nihil, inquiunt, medium est; aut corpora sunt brutorum animæ, aut mentes nostris similes? Quid? unde id resciverunt Cartesiani, duorum tantum generum substantias esse posse, corpora, & mentes? at videant quantum distemus: mihi potius, ut dixi, persuasum est, esse posse substantias numero infinitas, quæ generibus quoque discrepantibus infinitis sint: esse præterea in hoc universo revera substantias alias in pluribus generibus positas, quæ non minus inter se, quam a mentibus nostris, & vulgaribus corporibus differant. Nam quin tales substantias intelligere Deus possit nemo dubitat: nemo præterea dubitat quin efficere eas, ut intelligit, queat; probabilissimum vero est, pluribusque naturæ phænomenis confirmatum, reapse eas creasse. Quum igitur Cartesiani nullum esse posse medium inter corpora & mentes nondum demonstraverint, audiri sine fastidio nequeunt.

§. XX. Interim quamquam non dubitamus naturas hujusmodi animarum, ut plerarumque aliarum rerum, a nobis non intelligi, quod substantiarum non intimas essentias, sed proprietates aliquot, & has ab effectibus cognoscamus; quæ tamen ea de re philosophi cogitaverunt in me-

(1) Quis credat sæpe magnum impedimentum ad scientias esse horrorem ignotæ potestatis vocabulorum? Novi hominem, quem ætate jam provectum cupido incesserat geometricas disciplinas addiscendi. Sed quum incidisset in geometrarum conversationem, audissetque forte fortuna commemorare asyntota, parabolas, hyperbolas, focos, aliaque ejus generis, velut qui in lestrigones incidisset, exhorruit, totaque vita geometras aversatus est.

medium proferre, idque hiſtoricum in morem, nullam in partem quidquam decernentes, haud abs re noſtra alienum putamus. Sententiæ omnes circa brutorum animantium animas ad tres referre poſſis. Vel enim brutorum animæ ſubſtantiæ peculiares ſunt & ſui generis; vel ſunt mentes in corpora revolutæ; vel ipſa ſunt mundi anima: nam tria hæc vulgavere nimium curioſi philoſophi. Vulgatior ea opinio eſt, ſingulis brutis ſingulas eſſe animas. At hujus patroni de hujuſmodi animarum natura omnino non conveniunt. Corpus eſſe illas tenuiſſimum, mediumque inter craſſa corpora, atque ſpiritus credidere Scholaſtici, Claudius Berigardus (*a*), Cardoſus (*b*), Baco de Verulamio (*c*), Petrus Gaſſendus (*d*), Magnanus (*e*), aliique docti philoſophi. Sed ſi corpus res eſt ſolida, gravis, iners, tenuiſſimumque corpus ſuam habet & ſoliditatem, & inertiam, & gravitatem; nullum corpus tam tenue eſſe poteſt, ut medium ſit inter corpus & ſpiritum, quum ſpiritus heic accipiantur res omnino incorporeæ. Eſſe quidem poteſt res alia, & revera eſſe plurimas non inficior, quæ media ſit inter corpus & ſpiritum, ſed id certe corpus non eſt, quod generis eſt diverſi, non a ſpiritu modo, ſed a corpore *ipſo*. Quæcumque autem ſit hujuſmodi opinio ea ſuperioribus argumentis refellitur: demonſtratum eſt enim ſuperius, brutorum animas iis qualitatibus deſtitui, quas corporum proprias philoſophi omnes cenſent. Videtur tamen hanc ſententiam paullo veriſimiliorem reddidiſſe Andreas Rudigerus (*f*), qui ſub initium ſæculi hujus res philoſophicas novo auſu, exitu non ſatis felici, tractavit. Is in ea fuit opinione, diſtinguendam eſſe *materiam* a *corpore*: corpus enim eſſe hoc contrectabile, ſolidum, iners; illam puram eſſe extenſionem, primumque eſſe ſubſtramen quum corporis, tum & ſpirituum, & animorum. Animas igitur brutorum, ut & humanas mentes ſuam habere extenſionem incorpoream, quacum vires vitales ſint conjunctæ, opi-

(a) *In circulo Piſano pag.* 602.
(b) *Philoſophiæ liberæ lib.* 5. *q.* 5.
(c) *De argumentis ſcientiarum lib.* 4. *cap.* 3.
(d) *Phyſ. ſect.* 3. *lib.* 3. *cap.* 3.
(e) *Philoſoph. naturæ cap.* XX.
(f) *Vide Buddeum in hiſtoria philoſophiæ pag.* 501. *edit. Walchii an.* 1631.

opinatur. Placet hæc opinio iis, qui jam extensionem a corpore discreverunt, sibique persuasere esse posse extensionem, quæ non sit corpus. Nam quis eos feret, qui substantias extensas statim esse corpora statuunt? Non enim sola extensio corpus efficit. Præterea patet spiritus humanos, & brutorum animas suarum habere operationum veluti theatrum quoddam, corpus nempe hominis & bruti: in eo vero sese actione coextendere admodum esse probabile ille censet. Ita facilius hac in re Scholasticos sectatur, quam Cartesianos: nam illi non brutorum tantum animis, sed & mentibus ipsis extensionem quamdam activitatis, & diffusionem per corpus dederunt. Sed clamant Cartesiani, omnem extensionem esse corpoream: inscite admodum (1), ut nemo hodie probatus sit philosophus, qui eos defendendos hac in re putet. Mihi potius persuasum est, esse infinita alia entia extensa, quæ non sunt corpus. Cartesianos oro, ut paucis mihi dicant, quid sint vires seminum plasticæ?

§. XXI. Singularis præ ceteris hac de re fuit Leibnitii doctrina. Is mundi elementa, ut in dissertatione de rerum genesi dicetur, esse voluit substantias quasdam simplicissimas, easque inextensas, quas *monadas* appellavit. Earum monadum quatuor esse docet genera, activa omnia & sese percientia, 1. earum est, ex quibus corpora conflantur: eæ vi tantum activa motrice, quam *formam substantialem* vocat, sunt præditæ: alterum genus est eorum, quæ mundum sibi repræsentant *clare*, sed *confuse*: ex his esse docet animas brutorum; 3. genus est earum monadum, quæ mundum *clare* & *distincte* repræsentant, quales animæ sunt humanæ. Quartum tandem est divina monas, quæ sibi *simultanee*, *clare*, & *distincte omnia possibilia repræsentat* (2). Plura haud dubium sunt, quæ in hac Leibnitii doctrina reprehendi possunt; quæ, qui plura vult, legat apud Ruardum Andalam (3). Ad me quod attinet, nihil aliud fecisse Leibnitium puto, quam vulgatam veterum, recentiorumque phi-

(1) Lege quæ habet Musschembroek element. phys. §. 18.

(2) Exstant plurimæ Leibnitii commentationes in actis Eruditorum Lipsiæ, an. 1694. mense Martii pag. 110. an. 1695. mense Aprilis pag. 145. an. 1698. mense Septembris pag. 427.

(3) In disputatione philosophica de quatuor fictis simplicium speciebus, ex quibus illustris Leibnitius cum Cl. Wolfio derivare voluit omnia mundi corpora, animas brutorum & hominum, ut & ipsum intellectum divinum. Franequeræ an. 1727. 4. eodemque anno Halæ recusa.

philosophorum doctrinam novis vocabulis obtegere, 1. prima corporum elementa vi quadam activa esse prædita, seu una omnes, ita ut ea sit mundi anima, seu singulis singula, vetustissima est, sed & recentioribus probatissima philosophorum sententia, ut alibi ostendi, 2. brutorum animas esse monadas, idest substantias simplices incorporeas, plurimi ante Leibnitium dixere. Eas cognoscere iidem docuere: hoc mutato vocabulo, per mundi *repræsentationem claram*, sed *confusam*, pronunciat Leibnitius. Deinde idipsum facit cum hominum animis, Deique intellectu. Unum igitur in hac doctrina Leibnitii est proprium, animas istas brutorum & hominum nihil ope sensuum percipere, sed eas tali esse vi præditas, ut continuata serie sibi mundum repræsentent. Quod quale sit superius. Penitius de natura animarum istarum, quæ in brutis sunt, disseruit Wolfius (*a*) perpetuus Leibnitii admirator, fidusque Achates. Ejus doctrina huc redit. 1. esse animas hujusmodi incorporeas, inextensas, simplices, 2. prodire non potuisse nisi per *creationem ex nihilo*, 3. esse immortales, nec perire posse, nisi *adnihilatione*, 4. non esse tamen spirituales; quippe quæ sint intellectus & ratiocinii expertes. Quæ quibus ille argumentis probat, non vacat dicere. Eamdem vero, paucis tantum commutatis, doctrinam docuit Augustinus Calmetus Benedictinus ille celebratissimus in Dictionario Biblico.

§. XXII. Veteribus autem plurimis placuit, brutorum animas esse mentes in corpora revolutas. Quicumque metemphsychosin, & προσπαξιν animarum posuerunt: ii omnes in ea versati sunt opinione, similes esse brutorum, hominumque animas: has scilicet ab homine in bruta, a brutis in homines transire, donec labes omnes, quibus se in superiore vita fœdarint, eluant. Sunt autem isti in primis veteres illi Ægyptii, qui metempsychosis inventores & architecti dicuntur Herodoto (*b*) & Diodoro Siculo (*c*), tum græci plurimi philosophi, qui eo dogmate, inquit Herodotus, usi sunt pro sua inventione, in primis Pythagorici & Platonici. Sed quum quidam Pythagoreorum hanc & Platonicorum metemphychosim in allegoriam detorquere videantur, in primis Chronius ille in libro de Palingenesia, quemadmodum retulit Gregorius Nyssenus in

(a) *In Psychologia rationali*. (b) *Herodot. lib.* 2.
(c) *Diod. Sicul. lib.* 2. *Vide Orig. in libb.* περι αρχ.

in libro de anima (*a*), non huic traditioni multum innitemur. Illud certum est, προυπαρξιν animarum totam Platonis scholam statuisse, Platonemque ipsum disertis eam verbis passim docuisse. Certum item cum hoc dogmate hæc alia admixta 1. creatam a Deo omnium parente immensam animarum, & dæmonum copiam, ejusdem ferme naturæ, sapientiæ, pulchritudinis: 2. in sphæris supramundanis locatas, locis nempe amœnitate & deliciis diffluentibus, 3. his voluptatibus mentes corruptas, plurimis se criminibus immiscuisse, 4. eam ob rem demissa in corpora, tamquam in carceres, ut ita pœnas scelerum darent, 5. selecta autem corpora minus aut magis deformia, pro cujusque criminis qualitate, 6. itaque alias devolutas in homines, quippe quæ minus, alias in bruta, quod magis peccassent. Ordinem vero harum animarum in corpora delabentium pro criminum varietate magis aut minus fœda, Plato explicat in Phædro (*b*): quæ Ægyptiace doctrinæ sunt consentanea. Vide Porphyrium de abstinentia &c. Nec defuere qui & Scripturis christianorum divinis in hanc sententiam abuterentur: isti arbitrati sunt dæmones quum excidissent a Dei consortio, immissos in varia corpora, idque explicare Mosem ex persona Dei dæmoni tentatori ita minitantis, *super pectus tuum gradieris, & vesceris terra*, ut hæc verba significent spiritus in corpora animalia detrusos, præ cibo illo angelorum, terrestribus vesci cibis (1). Quæ tam sunt putida, ut pudeat ea refellere. Quum enim sit certum immensum esse discrimen inter brutorum & hominum animas (ex §. XIX.), id certe satis superque demonstrat, substantias illas diversorum generum esse. Sed, ut cetera omnia omittam, si id ita esset, communio esset juris bruta inter & homines; essetque tam contra naturam, brutum, quam hominem lædere; quod nunc tantum abest ut Christianorum id Scripturæ, ad quas isti appellant, doceant, ut potius aperte dicant, in hominis commodum & servitium facta esse, licereque ea occidere, & in cibum convertere. Scio nonnullos fuisse, quibus persuasum fuerit, non licere brutis vesci, in primis Porphyrium περι αποχης εμψυχων. Sed id quale sit non est hic dicendi locus.

§. XXIII.

(a) *Nyssenus de anima*.

(b) *Quem in locum vide & Marsilium Ficinum*.

(1) Ornavit nuper eam sententiam auctor libelli *amusement philosophique sur le langage des Bêtes*. Et vide Origenem in περι αρχων.

§.XXIII. Restat ut de eorum dicamus sententia, qui animam hanc mundanam invexerunt, in qua & docti plurimi sunt & eruditi. Mundum universum, aut singulos saltem globos, quos pro totidem mundis habuere veteres, anima quadam *mundana*, unde ceterarum rerum animæ perpetuo manarent, animatum esse, velut Ægyptiorum, Chaldæorumque vetus doctrina habetur (1). Virgilius elegantissime hanc in quarto Georgicorum explicuit (*a*): ex veterum enim sententia (quorum philosophiæ erat ille callentissimus) ait,

. . . . Deum ire per omnes
Terrasque tractusque maris, cælumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitam.

Manichæi ipsi, ut agnoscere in eis possis persicam Caldæorum, & Zoroastris doctrinam, idem docuisse videntur, auctore Augustino, qui ejus sectæ arcana omnia rimaverat (*b*). Probatam eam recentibus pluribus orientalibus Persidis, Mogolis, Siam, Indorum ex viatorum itinerariis discimus (*c*). Nec desunt in Europa quibus idem placuit. Certe Spinozæ & Tolandi doctrina in hoc est posita, ut doceant Deum esse rerum omnium mentem, animam, vitam. Noster ille Calaber Thomas Campanella Dominicanus Monachus in *Commentario de sensu rerum*, quem an. 1590. in lucem edidit, dum conatur probare omnibus rebus, omnique, qua circumdamur, extensioni sensum inesse, ab anima ista mundana non admodum abhorrere videtur. Sed animam mundi, qua omnium vita constet, quæque a Deo sit creata, ex Platonis platonicorumque sententia promovit Henricus Morus (*d*), Cudworthus (*e*), præterque alios Anglos, Newtonus ipse. In principiis enim *physico mathematicis* ad finem hunc in modum scribit: *adjicere jam liceret nonnulla de spiritu quodam subtilissimo corpora crassa pervadente, & in iisdem latente, cujus vi & actio-*

(a) *Virg.* IV. *Georg.* 222.
(b) *Lib.* 2. *de Gen. ad lit. cap.* 8. *& ep.* 74.
(c) *Vide* la Philosophie des Païens *tom.* 1. *pag.* 68. *& seqq.*
(d) *In Enchridio & de Immort. anim.*
(e) *In systhem. intellectuali dissertatione de nat. genitrice. Sed ejus argumenta oppido sublesta censuit Mosshemius ad* §. 2. *ejus diss. not.* 1.
(1) Legatur Stanleyus de philosophia Chaldaica, & Cudworthus in *systemate intellectuali*.

& actionibus particulæ corporum ad minimas distantias se mutuo attrahunt & corpora electrica agunt ad distantias majores .... & lux emittitur, reflectitur, refringitur, inflectitur, & corpora calefacit, & SENSATIO *omnis excitatur.* Vide quæ eadem de re scripsimus in disputatione de origine rerum corporearum. Nec vero ab omni veri similitudine abhorret creatam esse a Deo animam, idest substantiam quamdam activam, quæ dum organica quædam corpora, qualia brutorum sunt, permeat, sensum in iis & perceptionem pariat, quæque statis quibusdam legibus, quas ignoramus, in natura agat, ejus vires omnes, motiones, vitam producat, magna æquabilique perennitate. Esse enim in natura aliquid unde motiones rerum corporearum, eorumque vires activæ, plantarum vegetationes, seminum, ovorumque fœcundationes, animantium generationes prodeant, indubium est. Sunt qui hæc αμεσως a Deo provenire opinantur, naturamque istam activam nihil esse aliud, quam Dei ipsius voluntatem rentur. Sed cur non id ope hujus animæ mundanæ efficere Deus possit? Nihil video, quod aut rationi, aut religioni, ea si doctrina statuatur, officiat. Sed præstat de re tam incerta nihil, quam inconditum aliquod, minusque probatum dicere: nam ego philosophari in rebus occultis concedam omnibus, temere affirmare semper negabo. Ab instituto numquam discedam, & quod præcipio, *epochen* esse philosopho necessariam, ipsum primum omnium perficere oportet: *opinari enim duas ob res turpissimum est* (inquit perspecte Augustinus de utilit. credendi cap. 11.): *quod discere non potest qui sibi jam se scire persuasit, si modo illud disci potest; & per se ipsa temeritas non bene affecti animi signum est.* Quod si qui sunt, qui etiam rem nimium me promovisse affirmant, ii sciant, non me ignorare majora quoque scripsisse & Augustinum Calmetum in Dictionario, & veteres omnes scholæ philosophos, atque theologos; & nimium non esse brutis cognitionem eorum, quæ circa sensum sunt, quibusve eorum vita indiget, concedere, quam & sensus hominum communis, & experimenta omnia iis vindicant. Quid quod non defuerunt veteres aliquot Patres, qui syllogismos quoque brutis tribuerunt? veluti BB. Basilius (a) & Ambrosius (b): Lactantius vero scripsit

(a) *Basil. Mag. homil. 8. & 9. in Hexaem.*
(b) *Ambros. lib. 4. cap. Hexaem.*